laudandi, qui haec apparere additamenta monuerunt[1]): crus dextrum inde a talo sursum versus vsque ad genu, quod ex parte nouitium, vtrumque brachium, nasum, mentum et labium inferius: etiam collum adiiciunt dubium videri. Sed ne quis putet, iam omnem figuram et corporis habitum hinc fieri incertum, obseruandum, neque dubitari posse, quin dextrum brachium elatum supinumque, sinistrum contra deflexum fuerit, cum humeri et axillae exstent, neque de eo ambigendum, num dextrum crus firmiter solo institerit, cum ipse pes a talo deorsum antiqui artificis manu factus videatur, et huic vestigio totum corpus inniti et inhaerere appareat. Cognoscitur idem ex aliis eiusdem Amazonis statuis ad idem exemplar expressis, de quibus in extrema commentatione (§. 12.) dicam. Contra, quae statua nostra manibus teneat, siue arcum siue aliud quodcunque, ea ab auctore statuae antiquae profecta esse non posse, quisque mihi iam facile largietur.

3. Iam veniendum ad quaestionis summam, quae in eo versatur, quo gestu actuue artifex huius signi auctor Amazonem exhibuerit. Nam Amazonem esse nulli dubium fuit, cum et tunica illa tenuis et alte cincta, qua altera mamma denudatur, et pharetra lateri alligata cum pelta in trunco arboris suspensa, denique totus ille corporis habitus firmior quam pro muliere, mollior quam viri, cum membrorum gyri teretes et suculenta gracilitas Amazonem plane exprimant et documentis luculentissimis demonstrent. Sed hoc tantum ambigitur, quid ex mente auctoris egerit Amazo haec pulcherrima. In hoc memorabili experimento deprehenditur, quantum valeant oculi, et quantopere etiam prudentes et cordati homines specie, quae forte prima visum ferit, a recta via seduci possint. Nam cum ei, qui statuam nostram ex truncata integram fecit, forte placuisset, vt pharetrae a latere pendenti arcum adderet et hunc manibus Amazonis miro modo implicaret: omnibus iam persuasum fuit, Amazona nostram exhiberi arcitenentem. Ennius Quirinus Viscontius id solum disceptandum putat, vtrum ea arcum tendat an tensum remittat[2]). Videntur autem Archaeologi his vocibus: arcum

---

[1]) Consentit cum iis St. Victor in Commentarii Musei Antiq., delineati a pictore Bouillon. T. II. fol. 10.

[2]) Ad Mus. Piocl. dicit: *La nostra Amazone sta in atto di piegar l'arco per saettare,* p. 71. Sed in commentario Mus. Fran-

tendere, duplice significatione vti, aut ita vt neruum ad cornua arcus adaptari, aut vt neruum arcui aptatum ad pectus sagittarii attrahi significent, quo iam propellatur sagitta. Illud Homerus in certamine Ulixis cum procis describendo dicit: *τόξον* vel *νευρὴν τανύσαι* siue *ἐντανύσαι*, hoc vero *ἕλκειν νευρὴν γλυφίδας τε* (Odyss. XXI, 75—420.), sed ab aliis etiam hoc dicitur arcum in aliquem tendere et similiter. Iam de adducendo neruo, quo sagitta statim emittatur, nemo facile cogitabit. Sed videntur viri eximii, qui Amazona arcum tendentem hic repraesentari putabant (inter quos etiam Heynius et Millinus nominandi sunt [1]), de altero illo et prius perficiendo negotio cogitasse. At neque hoc ita vnquam gestum est: potius, cum sat multa supersint in operibus sculptis eius laboris exempla, in omnibus res ita agitur, vt alterum arcus cornu inferius vel genu vel solo innixum teneatur, ne retro cedere et vrgenti se subducere possit, alterum superius altera manu deprimatur, altera autem arcus medius vel attrahatur vel repellatur, vt satis inflexus et curuatus iam neruum in cornu recipere posset [2]). Contra arcum ita tendi posse, vt nulli fundamento innixus, sed in aere pendens vtrinque manibus prehendatur et curuetur, nemo facile, qui scrupulosius in eam rem inquisiuerit, sibi persuaderi patietur. Omnia autem, quae de arcu tendendo dixi, etiam de remissione tensi arcus accipi volo, cum manifestum sit, eadem incuruatione qua neruus aptatur, opus esse ad remittendum.

4. Sed et hoc audiui prolatum, arcum ab Amazone, cum sagittae emissae essent, et hostium acies a telorum iactu ad pugnam statariam processerit, clauae modo ad feriendum

---

cici verbis vtitur: *l'action de tendre ou détendre un arc.* Cf. St. Victor l. l. Eandem hanc opinionem profitetur Viscontius in Additam. ad Pioclem T. VII. p. 99., et addit, Amazonem fortasse esse ex iis, quae a Baccho deuictae ferebantur (Pausan. VII, 2.).

[1]) Heyne in Lectionn. Academicis (si hic liber a. 1822 Brunsvici editus inter Heynii opera censeri meretur) p. 387. Millin *Galérie mythologique* ad tb. 138. n. 496.

[2]) V. Gemmam antiquissimam, quam edidit Meyer ad Histor. Art. Graecae tab. 1. fig. 3. et statuas Amorem arcum tendentem exhibentes notissimas (Editt. Opp. Winck. VI. p. 195.). Cf. Gemmam Tuscanici operis, quae Paridem arcum tendentem monstrat, Guattani *Monumenti antichi inediti* 1785. p. LXXXIX. In hac altera manus arcum retinet, altera neruum attrahit.

aduersarium adhiberi. Hoc vero pugnae genus vt concedam artificis ingenio se probare eiusque animum iucunda specie percellere potuisse: hac forma vnquam artificem id exsecuturum fuisse pernego. Neque enim lacertus ille supinatus neque omne corpus ita potuerat conformari, si artifex Amazonem se defendentem et hostem incessentem monstrare voluit. Certe corpori ab hostis telo cauere debebat, cui nunc incaute omne latus explicatum offert; debebat in ictum inclinari et pendere, a quo nunc corpus quodammodo retinere et cohibere videtur. Postremo, si archaeologus quidam[1]) Amazonis statu militare quoddam exercitium significari arbitratur: quale illud sit exercitium indicandum erat, vt ea sententia in censum venire posset.

5. At quid haereo in opinionibus aliorum refellendis, quibus, si arcum et manus, quae arcum tenent, ab artifice recentiore addita tenemus, omne iam subductum est fundamentum, praesertim cum veram explicationem, insperatam quidem eam, sed quae dubitationem omnem eximat, Gemma quaedam scalpta afferat. Iam diu est, ex quo ea gemma a Nattero[2]) edita et descripta est, quo magis miror, neminis adhuc oculos summam eius cum nostra statua similitudinem in se conuertisse. Gemmam, quanquam in quibusdam rebus non satis curate et diligenter scalptam, antiqui artificis opus esse, testis est satis peritus ipse Natterus, et probat ipsa illa similitudo, quae neque casu neque scalptoris cuiusquam recentioris consilio effici poterat, quippe cui signum nostrum nonnisi truncatum vel additamentis prauis obsitum conspicere licebat. Quodsi quis eum ex signo truncato figurae totius rationem diuinasse putauerit: miror praeter hunc, quem fingimus, scalptorem nemini vnquam neque artifici neque archaeologo quidquam de hac signi adornandi ratione suboluisse. Hinc summa fiducia hanc scalpturam agnoscimus opus antiquum, et iterum oculos conuertimus in similitudinem figurae insculptae cum statua sane quam insignem. Agnoscetur enim, puto, a quouis idem in statua atque gemma corporis habitus, eadem membrorum forma, qua mollities mulieris cum masculo vigore temperatur; eodem modo in vtroque opere pes dexter solo firmiter insistit, sinister paulo eleuatur; eodem modo la-

---

[1]) Petit-Radel Musée Napoleon T. II. n. 53 p. 114.

[2]) Natter Traité de la méthode antique de graver en pierres fines pl. 31.

certus dexter erigitur et supinatur, sinister demissus est; neque vestis mammam sinistram denudans et hoc in latere per cingulum a femore altius retracta vlla in parte a vestimento statuae recedit. Adest etiam pharetra non humero, sed sinistro lateri apta, sicut Phrygum et Persarum mos fuisse videtur: cui cum in gemma arcus adiectus sit non manibus inhaerens sed in tergo suspensus, fortasse et huius vestigia, si quis ea in signo sculpto curiosius quaesiuerit, reperiri poterunt. Iam cum oculos in gestum Amazonis, qualis gemma scalpta exprimitur, conuertimus, videmus eam ambabus longum scipionem vel hastam puram tenere, eoque adminiculo corpus ad saliendum leuare. Nam ad saltum moueri Amazona etiam Natterus vidit, quanquam in eo magnopere falsus, quod Dianam venatricem hic exhiberi putat, cum nihil in ea non Amazonem arguat. Verum quidem est, gestum salientis motu leniore, quo corporis totius figura non admodum mutatur, indicari, sed violentiorem motum, quem artificium nostrorum temporum haud dubie praeferret, respuit ars antiqua, praesertim eorum temporum, quibus hoc signum deberi postea videbimus. Est tamen omnis motus in hoc signo aptus et ad id exercitationis genus accommodatus. Praecipue ad hoc argumentum obseruandum est, Amazonem ex ea parte, qua firmiter terrae insistit, brachium altius euehere ex ea autem, qua manum inferiore loco hastae admouit, crus atque pedem tollere. Hac enim ratione corpus optime ad saltum euehi et attolli, consentiunt etiam recentiores artis gymnasticae magistri[1]; ac videtur naturalis eiusmodi motus lex poscere, vt eadem parte corpus superne attrahatur, qua simul ab inferiore parte propellitur. Ita fit vt, dum in dextro signi nostri latere omnia appareant extensa et ad rectam lineam explicata, sinistrum latus fiat contractius et magis curuatum: quod in corpore humano, vt ita dicam, anthiteton ars Graeca a Polycleti inde temporibus maxime affectabat. Apparet etiam, Amazonem nullo cursu, ut fit, saltum praeparasse et eius vehementiam augere studuisse, sed ex eo ipso loco, quo hastam solo imposuit, corpore diligenter librato et omni robore, quo potissimum opus erat, collecto saltum inituram esse.

6. Etiam hoc in eius rei examine curiose attendi velim, quam exacte cum gestu et actu Amazonis, quem modo de-

---

[1]) V. *Gutsmuths Gymnastik* p. 242.

signaui, conueniat omnis eius cultus et vestitus. Arma et tela deposuit omnia, nisi quod corythum suum leuissimo telorum genere refertum retinuit. qui loro a dextro humero suspensus tenetur: quod idem etiam in Amazonibus, quae exstant in zophoro Phigaleensi, nonnullis perspicue obseruatur [1]). Sed peltae Amazoniae, securis, cassidis pondus a corpore dimotum partim in trunco arboris, partim in basi depositum conspicitur. Tunica induta est satis tenui ac leui, sed et hanc ad saltum etiam commodiorem reddidit. Cum enim ea vtramque mammam et axillam tegere solita esset, iam soluit fibulam, qua ad sinistrum humerum attrahebatur; hinc ortus est sinus ille vestimenti, qui a sinistra mamma denudata ad femur descendit, atque eodem modo in gemma atque in marmore expressus est. Magis vero attendendum ad singularem illam et, quod equidem memini, in nullo alio signo obseruatam tunicae inferioris replicationem [2]). Cum enim ad dextrum femur tunica remissior pendeat, et citra genu limbus eius manifestus appareat: lacinia ad sinistrum genu dependula retracta et cingulo siue balteo, quo corpus infra pectus cinctum est, ita inserta est, vt extremus eius margo supra emineat. Contrahi vero hac ratione necesse etiam oppositam vestis partem: vnde rugae illae graduum instar descendentes in femore dextro oriuntur. Ea vero vestis dispositio quo spectat nisi vt sinistrum femur nulla vestis parte impeditum et irretitum facile attolli et moueri queat. Obscurior autem et explicatu difficillima est ea rugarum series, quae circa medium corpus in dexteriore latere apparet. Nam vestem quandam superiorem hic limbo terminari, vix credibile est, cum nullum in ceteris sit duplicis vestimenti vestigium, quanquam ad humerum et axillam inferioris indusii pars vix latere potuisset. Igitur puto has plicas, si modo recte delineatas accepimus, manu artificis recentioris, a quo signum tractatum est, male habitas esse, et earum genuinam formam talem fuisse, vt cingulo inferiore, zona muliebri, effectae viderentur: in qua re plurimum valet comparatio gemmae, in qua id cingulum

---

1) V. Stackelberg: Templum Apollinis Epicurii tb. 9.

2) „*Tunique retroussée*“ appellat Millin Gal. mythol. n. 496. Graecis verbis similem tunicae habitum in Cressis virginibus cum Europa ludentibus describit Achill. Tat. I, 1.: *Τὸ γὰρ ζῶσμα μέχρι γόνατος ἀνεῖλκε τὸν χιτῶνα.*

manifeste apparet. Cingulum enim circa coxas corpori circumiectum ad vestitum muliebrem pertinere, idque esse idem, quod in coniugio et partu soluatur (*ζώνην λῦσαι*), notissimum. Superior vero isque latior balteus, qui corpus infra pectus ambit, adiicitur maxime armatis tum viris tum mulieribus; atque plane, vt in hoc signo, in alia Amazonis vulneratae statua cum cingulo illo muliebri coniunctus reperitur, quae cum nostro comparata vestimentorum quam proposui explicationem firmissimo argumento stabilire videtur[1]). Neque raro in Amazonibus, quas anaglypha Phigaleensia cum Graecis pugnantes exhibent, duplex hoc cingulum apparet[2]). Inferius, sicut dixi, *ζώνη*, superius autem atque latius cingulum ab Homero aliisque *ζωστήρ* dicitur; idemque est Martis illud cingulum (*Ἄρεως ζωστήρ*), quo, vt nota est fabula, Hercules Hippolyten Amazonum reginam spoliauit. — —

Hoc loco si parumper subsistentes circumspicimus, quae huic statuae nostrae significationi fortasse opponi possint, aut iam ab aliis opposita sint (nam quidni fateamur, haec ipsa a nobis biennio post commentationem primum recitatam et argumentum eius publice indicatum scribi): hoc vnum[3]) moram quandam obiicere videtur, quod huius, quem manibus Amazonis adaptamus, scipionis siue hastae nullum in basi statuae vestigium apparet. At vero equidem non miror, tenue hoc hastile, quod non marmore, sed ligno vel aere confectum

---

[1]) V. Mus. Capitolinum T. III. tb. 46. Winckelmanni Opp. T. VI. tb. 46. *Monumens du Musée Napol.* T. II. pl. 54.

[2]) V. Stackelberg: Templum Apollinis Epicurii tb. 9. 11.

[3]) Praetereo enim, quam V. Cl. Ed. Gerhardus dubitationem attulerat, *Bulletino dell' Instit. Archeol.* 1830. *p.* 39, de similitudine gemmae scalptae cum statua, et ipsius gemmae antiquitate. Huic iam satisfecisse videtur gemmae adumbratio ex libro Natteriano petita, quam ad Virum Doctissimum transmiseram. Nunc legitur in eodem opere „*Bullet.* 1830 *p.* 273.“ *de hac „illustrazione del prof. Müller sulla statua vaticana e capitolina d'un' Amazzone, che ei ingegnosamente deduce da un originale di Fidia, assicurando la gran rassomiglianza di quella figura con l'altra d'un intaglio conosciuto per l'opera di Natter, e sormontando i maggiori dubbj sull' autenticità di tal intaglio ora sparito: ma non così dimostrò la possibilità che i ben conservati basamenti delle due statue potessero sostentare un' asta appogiata all' uopo da lui supposto, e nel modo dell' accennato intaglio.“*

fuisse credibile est, in basi marmorea, quam integram adhuc exstare doceor, nullum reliquisse vestigium. Quid quod, si archetypum statuae exemplar aereum erat, marmoreum signum ad eius imitationem expressum hoc hastili plane carere poterat, cum Graeco cuivis homini ipse Amazonis habitus, quid sibi vellet, satis demonstraret. Sed opus non est eo confugere, et veri similius puto, Amazonis hastile, dum signum integrum esset, reuera in illo baseos angulo haesisse, qui ad sinistrum eius pedem ante cassidem humi depositam procurit. — —

7. Hoc igitur iam certum tenemus, Amazonem Vaticanam hastae siue conti cuiusdam auxilio corpus ad saltum leuare. Nunc si quaeritur, quomodo huic Amazonis actioni conueniat cum consuetudine et moribus veteris artis gymnasticae, atque cum fabulis, quae de Amazonum studiis et rebus gestis traduntur: fatendum est primo loco, raram esse hastae siue conti in saliendi exercitatione apud antiquos mentionem. Quantopere Graeci saltum inter exercitia gymnastica probauerint, et quem velocitatis gradum assecuti sint, notum est, atque etiam nunc miramur, cum relatum legimus, Phayllum Crotoniatam saltum quinque et quinquaginta pedum peregisse. Sed vbi de instrumentis sermo est, quo corpus librabant et motus vehementiam augebant, solennis est mentio *ἁλτήρων*, id est ponderum quorundam plumbeorum, quae incurua et ita formata erant, vt manus iis bene possent immitti, de quibus Welckerus tam docte disputavit, vt vix quidquam notabile addi possit[1]). Verum opinor tamen, his halteribus tum tantum uti potuisse antiquos, vbi in longitudinem porrectum erat id spatii, quod saliendo superandum erat: contra vbi in altitudinem saltu perueniendum erat, hastilia eos eodem fere modo, quo et nunc fit, adhibuisse. Ita Nestor apud Ovidium[2]) „sumto posita conamine ab hasta Arboris insiluit, quae stabat proxima, ramis: Despexitque loco tutus, quem fugerat, hostem.“ Propterea etiam in vasorum picturis, vbi praeter iuuenes halteribus instructos alii conspiciuntur bina hastilia gerentes, haec pariter atque illos ad saltum subleuandum pertinere existimauerim, quanquam non refragor, si quis nonnullos inter hos iuuenes iaculatores habere malit, cum iaculandi exerci-

[1]) *Zeitschrift für Geschichte und Auslegung der alten Kunst* I, II. p. 239.

[2]) Metamorph. VIII, 365 sqq.

tium cum saltu in quinquertio Graecorum coniunctissimum fuerit [1]). Exstant tamen figlina picta, quibus saltum ipsum his hastilibus adiuuari liquido conspicimus [2]). Durauit vero hoc ludi genus vsque ad tempora antiquitatis vltima, cum in Codice [3]) Iustinianus imperator inter lusus et exercitationes lege concessas praeter *μονόβολον*, id est cursum, *κοντομονόβολον*, id est saltum, qui conto siue longiore hastili adiuuatur, commemoret. Etiam in bestiario ludo amphitheatrorum, quo Romani sub principibus exultabant, conti vsus erat, cum viri contos humi figentes iisque corpus subleuantes feras ipsis minaci vultu imminentes transsilirent [4]).

8. Iam vero vsus conti siue hastae in saliendo extra ludorum gymnasticorum fines extenditur ad artem equitandi apud antiquos. Etenim notum, stapedibus, quae vox barbaricae originis infimis demum temporibus occurrit, neque Graecos neque Romanos antiquiores vsos esse; sed in equos a solo inde insiluisse siue, vt Virgilius dicit, corpora saltu in equos subiecisse. Id vero duplici modo factum esse, Xenophon, *ἱππικώτατος* ille scriptor, luculenter docet [5]): aut hastae auxilio aut

---

1) V. apud Welckerum tb. I. n. 14. II. n. 15.

2) Vide nunc Panathenaicam amphoram inter vasa Volcorum in Monum. Ined. Instituti Archaeol. tb. XXII, 1 b. coll. Annalibus a. 1830 p. 216. Sed etiam manifestius agnoscitur id exercitium in vase Berolinensi, quod edidit Ed. Gerhardus „*Antike Bildwerke*" Fasc. IV. n. 67. Adde Labordii opus T. I. tb. 6. 7.

3) Lib. III. tit. 43. de aleatoribus. Cf. praeter alios Souterius de aleatoribus, Gronov. Thes. Ant. Gr. T. VII. p. 1107. Bulengerus de ludis, ib. p. 920.

4) V. Epigr. in Anthologia Palatina IX, 533. *εἰς τὸν ἀπὸ κόντου κατερχόμενον θηριομάχον.*

5) De re equestri c. 7. Cf. Hermanni dissertatio vtilissima de verbis, quibus Graeci incessum equorum indicant, ad Xenophontem de re equestri c. VII. in Herm. Opusculis V. I. p. 64. Ceterum de modo, quo in equo adscendendo veteres vsi sunt, cf. Winckelm. Monum. ined. IV, 12. p. 265. Fea annot. ad Winckelm. de Hercul. antiqq. in Edit. Opp. Winckelm. Dresdensi T. II. p. 357. Beckmann in Symbolis ad Histor. Inuentionum T. III. p. 109. Facius Collectaneis ad Antiqu. Graecas et Romanas p. 209. Num eae gemmae scalptae, quae equitem transuerso cuidam ligno hastae adaptato pedem immittentem exhibent, genuinae sint, viderint alii. V. *Cabinet de Stosch* p. 170. n. 973; vbi militis figura describitur, qui adscendit „*mettant le*

sine hasta. Si hasta adhibita adscendebatur, solebant manum sinistram extensam hastili, quam altissimo loco fieri poterat, adiicere, dextram autem equi armis ad infimam iubam vna cum habenis implicare. Tum corpus sinistri brachii et pedis nisu subsiliebat, donec brachium dextrum in equi armis positum directo extenderetur, et corpus, ab illo brachio pendens, hoc fultum, cruribus dimotis tergum equi superare eique insidere possit. Sin nullum erat hastae auxilium, in ceteris tamen nihil mutatum est, nisi quod manus dextra non hastae superiori parti, sed equi capiti, summo quo fieri poterat loco. imponebatur: qui equus nisi fallor docendus erat, vt collum tum praecipue supinum atque sublime ferret. Manet autem semper similitudo quaedam cum contomonobolo, a quo prior illa ratio in eo solo distat, quod manus sinistra non hastae siue conti[1]) inferiori parti, sed equi armis imponitur. Sed apparet, summum huius exercitii vsum fuisse in arte equestri. Iam vero in fabulis de bellicosa illa mulierum gente nullum fere momentum insignius, quam quod equis inuehuntur, *Ἀμαζόνας εὐΐππους* dicit Pindarus, et nullum, si recte memini, in operibus sculptis et vasis pictis occurrit Amazonum proelium, quin, si non omnes, nonnullae certe ex iis equis vectentur. Vnde pendet etiam omnis illa narratio de Sarmatarum origine ex progenie Scytharum iuuenum et mulierum Amazonum, quae aperte inde potissimum nata est, quod apud Sarmatas etiam feminae olim in equis viuebant.[2])

9. Restat autem argumentum grauissimum, quo eam, quam modo exposui, reuera fuisse artificis antiqui mentem, probari posse videtur. Loquor de calcari pedi sinistro adaptato, cuius iam pridem mentionem iniecissem, nisi huic loco eam reseruandam putassem. Nam calcar loro, quo pes sinister circa

---

pied droit sur un crampon, qui est à une certaine hauteur au bas de sa pique." Id quidem certum est, Xenophontis tempore equites. non ad hastam sicut in scala quadam adscendisse, sed eo adminiculo saltum sublevasse. Sed sicut fit, quanquam ille error iamdiu proturbatus videri poterat tamen vsque recurrit.

[1]) Hastam siue contum dixeris, perinde est. Nam etiam contis ab equis pugnabatur. V. Veget. II, 14. Sil. Ital. XV, 686. Gratius Cyneg. 117.

[2]) Herodot. IV, 116. coll. Tacit. Germ. 46. Cf. Winckelmanni Monum. ined. P. II. p. 184. et anaglyphum Burghesianum (n. 137.), quod ibi illustratur.

talum vinctus conspicitur, notari, non dubito quin recte statuerint Viscontius, Millinus, alii. Episphyrium enim, id est annulus ad ocream retinendam factus, quod eo fere loco in celeberrima statua Achillea Musei Parisiensis apparet, aliam plane formam habet. Itaque eo certis passibus et iusto curriculo deuenimus, Amazonem hoc signo repraesentari equestris artis studiosam et huius studii causa saltu se acriter exercentem. Arctius enim studia equestria et gymnastica, de quibus sermo est, coniungi non possunt. Nam ipsum equum iam conscendentem Amazonem si quis forte hoc signo exhiberi putauerit, multa sunt quae, ne ei sententia accedam, interdicant. Vetat hoc imprimis manus sinistra corpori adhaerens, quae equi tergo inniti debebat, cum in equum ascendere non possit, nisi aliqua parte eius corpori innixa; vetat species statuae, vt ita dicam, plane rotunda atque vndique, maxime vero a fronte, conspici digna, quam si equus ex maxima parte oculis subduxisset, profecto suo ipse operi artifex inuidisset. Omissum autem esse equum tanquam parergon, in ea re incredibile est, in qua sine equo actio, quam significare volebat artifex, neque recte et iuste exhiberi neque a quoquam intelligi poterat.

10. Postquam gestum signi nostri gemmae Natterianae auxilio exposuimus, restat vt, si fieri potest, ei et nomen et auctorem asseramus. Nomen habemus Amazonis; definitius et distinctius si quaerimus, en adest *Myrina πολύσκαρθμος* Homeri[1]). Molpadiam quidem dixerat Viscontius, sed nullam ille ob causam nisi quod Molpadia Antiopen, et ipsam Amazonem, arcu interfecisse traditur, et haec Amazo arcum tendere credebatur. Qua actione improbata concidit etiam nomen illud. Myrinam autem, Amazonum reginam, ex fama in littore Asiae minoris, maxime Aeolico, peruagata multi memorant scriptores, Strabo, Diodorus, alii[2]), eamque famam fuisse antiquissimam, locus Homericus testis, quem modo innuebam. Dicit ibi poëta, ad quem de rebus Troicis traditionis fons vberrimus adhuc et limpidissimus permanauerat, quem insecuti posteriores iam arescentem et lululentius fluentem reppererunt, copias Trojanas congregatas esse circa tumulum,

[1]) Iliad. II, 814.

[2]) Strabo XIII, p. 623. Diodorus III, 54 sqq. Eustath. et Scholia ad Il. l. l. Tzetz. ad Lycophr. 243.

αἰπεῖαν κολώνην, ab hominibus Batieam dictum, deorum autem lingua monumentum vel signum *properipedis Myrinae*, vt ita *σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης* vertam. Non dicit, quod studiose obseruandum, *Batieae tumulum* a populo appellatum esse eum locum, sed *Batieam*: et recentiores demum scriptores videntur conuertisse loci appellationem in mulierem, quam Teucri filiam Dardanique fecere vxorem[1]). Deorum autem lingua, id est, vt videtur, glossa ex antiquiore sermone repetita et in poesi et hymnis celebrata, dicebatur idem locus *σῆμα*, quod dubitanter monumentum vel sepulcrum verto, *πολυσκάρθμοιο Μυρίνης*. Hoc verbum *πολύσκαρθμος* quanquam iam ab antiquis grammaticuis, quos secutus est Strabo[2]), de equorum, quos Myrina rexit, velocitate, vel de feruore bellico intellectum est: multo melius tamen de saltu explicabimus. *Σκαίρειν* enim significat motum pedum vehementiorem, vibratorium, qualis est salientium[3]). Posses sane etiam de saltationis tripudio intelligere[4]), quippe cui Amazones maxime in colenda Diana Ephesia, cuius delubrum condidisse fama sat antiqua ferebantur, egregiam operam nauauere[5]): sed simplicior et facilior videtur illa de saltu explicatio. Qua de re vtcunque statuis, id certum videtur, artificem Amazonem quandam, quam saltu egregiam fuisse fama tradebat, repraesentasse; et hinc verisimile videtur, *Phidiam*, quippe qui etiam in Jove Olympio Homericis se vestigiis insistere significauerit, etiam in hac statua vnam Homeri vocem artis suae splendore illustrare voluisse.

Magnum nomen, quod vix sine animi commotione proloqui possum, velut in transcursu et pectoris arcana ante tempus pandens pronunciaui. Sed iacta est alea, neque amplius me retineo, quin sinceram animi sententiam, etiam hoc signum Phidiae operibus addendum esse, aperiam. Narrabo, quae ex antiquis scriptoribus hausta me eo perduxerint.

11. Fabula erat antiquitus tradita, Ephesum et praecipue Dianae Ephesiae delubrum conditum esse ab Amazonibus,

---

1) Apollodor. III, 12, 1. Stephan. Byz. s. vv. *Ἀρίσβη* et *Βατίεια* ex Hellanico. Eustath. ad Il. l. l. ex Arriano. Schol. Lycophr. 29. 1308.

2) Str. XII. p. 573. cf. XIII. p. 623.

3) Il. XVIII, 172. Od. X, 412. Equi *εὔσκαρθμοι*.

4) Sicut Heynius fecit.

5) Callimach. in Dian. 240. cum Spanhem.

Deae Magnae, qualis in Cappadocia, Ponto, aliisque Asiae plagis celebrabatur, cultricibus. Hinc Ephesus plena artis monumentis ad Amazonas spectantibus: ex quibus etiam nuper sarcophagus Amazonum pugnam anaglypho exhibens ad Ephesum inuentus esse dicitur[1]). Sed Phidiae tempore placuit in templo Ephesiae Dianae dicari probatissimum Amazonis signum, et venere in certamen laudatissimi statuarii, quanquam diuersis ciuitatibus geniti, Phidias Atheniensis et Polycletus Sicyonius, atque Phradmo Argivus, Ctesilaus denique et Cydon, quorum patriam non nouimus. Ipsi artifices praesentes erant: quibus cum iudicium de statuarum praestantia committeretur, suam quisque pulcherrimam iudicauit, secundam Polycleti. Huic igitur palma tributa, proxima ab ea erat Phidiae, tertia Ctesilai, quarta Cydonis, quinta Phradmonis. Hic videtur nexus fabellae, qua iteratur narratio multo illustrior de iudicio inter duces pugnae Salaminiae in Isthmo habito: sed hic omnis pessumdatur lectione, quam omnes ni fallor libri mordicus retinent, ex qua hi artifices diuersis *aetatibus* geniti erant. Scio Plinium non raro dormitasse et in Graecis potissimum reddendis negligentiae latam culpam sustinere, sed si tanta erat viri oscitantia, qui eodem spiritu hos artifices diuersis aetatibus genitos esse et nihilominus praesentes de suarum ipsos statuarum praestantia iudicium tulisse pronunciaret, vix audeo dicere nomen tali homine dignum. Accedit, quod omnes, quorum de tempore aliquid innotuit, Phidias, Polycletus, Ctesilaus, Phradmo, aequales fuisse traduntur[2]). Correxi igitur[3]): diuersis *ciuitatibus*, atque etiam nunc in ea sententia persto. Sed his missis, in ea re omnes consentiunt, ab his summorum artificum signis imitatione originem duxisse non paucas Amazonum statuas quae etiamnum exstant. Ctesilai statua ob Plinii testimonium ab ipso male sub falso Desilai nomine positum vulnerata Amazo habetur, cuius duo

---

[1]) Moses *Collection of antique Vases* pl. 133. Sed video eundem Sarcophagum, opus artis elegantissimum Vindobonae exstans, cuius et hic formam gypso expressam admiramur, in opere Bouillonis pictoris T. II. f. 93. ex fama quadam Vindobona accepta Lacedaemone repertum dici.

[2]) Ctesilaus fecit Periclem Olympium. Phradmonem Plinius ponit Olymp. LXXXVII.

[3]) In Annal. Litterar. Vindobonensibus T. XXXVIII. p. 290.

egregia supersunt exemplaria, alterum magis integrum in Museo Capitolino, alterum mutilatum et alienarum partium adiectione adulteratum Parisiis [1]). Atque certe nihil impedit quominus huic opinioni accedamus. Phidiae autem Amazonem, Lucianus testis est [2]), innixam fuisse hastae, et insignem maxime oris conformatione et ceruicum pulchritudine. *Ἐπερειδομένην τῷ δορατίῳ* dicit, quas voces hucusque viri docti ita intellexisse videntur, vt hastam herois instar manu dextra tenuisse videatur. Sed fatendum tamen, eam figuram nihil significantius, nihil quod inuentionis artem, qualis in Phidia emicuit, probet, neque actum quemquam Amazonis potissimum signo accommodatum continere. Contra haec verba in imaginem statuae, qualem modo ex signo Vaticano et Gemma Natteriana composui, ita quadrant, vt eius gestus omnio breuius simul et accuratius non possit definiri. *Ἐρείδεται τῷ βάκτρῳ*, qui eius ope incedit, *ἐπερείδεται τῷ δορατίῳ* Amazo quae ei innixa subsultim processura est. Phidiacum igitur signum habemus hanc Amazonem, id est statuam Phidiae aeneam a seriore quodam, sed et hoc egregio artifice marmore expressum. Nam Phidiae ipsius signum fuisse aere fusum, persuadet locus, quo Plinius eius mentionem iniicit, agit enim ibi de statuaria arte quae proprie dicitur, id est aeris fundendi opificio [3]). Ita quidem si intelliguntur, quae dixi, nihil est quod vetet, ne Phidiam huius signi auctorem existimemus. Neque id dissuadet membrorum forma, quae ad eandem veritatem adspirat, atque vestitus, cuius eadem fere est grata negligentia, quae in signis illis de Parthenonis fastigio detractis conspicitur, quorum exemplaria gypso expressa iamiam Regis vere regia munificentia vniuersitati nostrae litterariae munus exoptatissimum obueniunt. Nam quum ante hos annos rigidior quaedam vestitus dispositio, in qua rugae velut ad regulam factae decurrunt, Phidiae tribueretur: nunc quidem intelligitur, iam ab hoc artifice, sicut a Polygnoto, vestes tenuiores, corpusque non nimis obuelantes, *ἐσθῆτα ἐς τὸ λεπτότατον ἐξειργασμένην*, praelatam

---

[1]) V. Editt. Winckelmanni T. IV. p. 356. VI. p. 103. Meyeri Historia Art. Gr. p. 81. Not. p. 78.

[2]) Imaginum c. 4.

[3]) Idemque comprobat locus ab illo proximus, Plin. XXXIV, 19, 1.

esse. Fortasse formae signi nostri molliores, magis teretes et rotundae, et vt ita dicam minus castae castigataeque sunt, quam Phidiacorum operum [1]), sed etiamsi id iudicium ipso marmore diligenter inspecto et cum monumentis Atticis comparato comprobaretur, huius rei causa solo in sculptore, qui Phidiae opus imitatus est, quaerenda esset. Rationes symmetricae, quarum obseruatio in temporibus statuarum recte disponendis plurimum valet, plane cum hac sententia conueniunt. Longe enim abest Amazonis huius statura ab ea gracilitate et proceritate, quam ab Euphranore et Lysippo inuentam artifices posteriores retinuere; immo vero proxime ad Polycletei canonis regulas accedere videtur. Certe corporis vniuersa altitudo, si ex accuratissimis delineationibus iudicare licet, capitis mensuram non plus quam septies continet, cum Niobidarum signa aliaque postea facta corporis altitudine octo fere modulos de capite sumtos exaequent, Laocoontis, Herculis Farnesini aliaque signa etiam proceriora et excelsiora sint [2]). Denique grata simplicitas, qua crines dispositi sunt, et vultus quaedam austeritas, quam archaeologus Franco Gallus (St. Victor) in eo signo sibi agnouisse videtur, a Phidia haud magis abhorrent.

12. Itaque quanquam vehementer cauens, ne quid calidius vel caeco quodam mentis instinctu abreptus proloquar, id tamen ex parte omnino certum, ex parte probabile, si quid aliud, dico: Vaticano signo exhiberi Amazona, quae in eo sit, vt corpus hastili ad saltum euehat, eamque signi figuram profectam esse a Phidia Atheniensi, qui tali statua Homeri Myrinam *πολύσκαρθμον* celebrare voluerit. Neque quidquam adiicio, nisi quod ea explicatio ad plures Amazonum figuras ex eodem, vt videtur, archetypo expressas pertinet, quarum nulla magis integra quam Vaticana esse videtur, omnes autem pulcritudine multum inferiores [3]), vno excepto signo Capitolino,

---

[1]) Commentator Operis Francogallici „Musée Français“ dicit „*Cette statue peut être regardée comme un des chefs d'oeuvre de l'école Grecque: les contours de la tête, l'aisselle droite et la jambe gauche annoncent un artiste habile qui sait allier le moëlleux de la touche à la fermeté de l'exécution.*

[2]) Vtilissimas in ea re inueni tabulas a Comite de Clarac Musei Parisiensis descriptioni, fasciculo primo, additas.

[3]) V. Galeria Giustiniani T. I. t. 147. Marmora Oxoniensia ed. Chandler P. I. n. 15. Tertiam eius generis statuam vidi

quod, quanquam laude illius fere obscuratum, venustate tamen Vaticanum fere exaequare accipimus[1]): quo magis accuratiorem huius signi notitiam earumque maxime partium, quae ad motum et actum exprimendum faciunt, descriptionem desideramus.

---

apud Comitem Landsdown, v. Amaltheae T. III. p. 244., [ed. nostra vol. II p. 76] quartam in villa Egremontiana. Est etiam Florentiae Amazo ad idem exemplar facta, quam aere expressam inuenies in opere: *Tableaux, statues etc. de la Galérie de Florence et du Palais Pitti, dessinés par Wicar*, Tomo II.

[1]) V. Ed. Gerhard. *Bulletino* 1830. p. 30.

De numo Sardiano.

1830.

Numus sardianus est, qui cum ad fabulas Lydias, quarum tam exigua nunc exstant vestigia, illustrandas aliquantùm faciat, paucis verbis hic explicandus videtur. T. E. Mionnet in opere utilissimo: Description des médailles, tom. IV, p. 138 et 789, eum ità describit: *CAPΔIC. ACIAC. ΛYΔIAC. ΘΛΛΛΔΟC. Λ. MHTPOΠOΛIC. Tête voilée et tourrelée de femme, à droite.* RV. *ΘΠ. CY. AYP. HPAKΛΘIΔIANOY. CAPΔIANΩN. B. NΘΩKOPΩN. Triptolème dans un char attelé de deux serpents, allant de gauche à droite; au bas, un fleuve couché, près duquel on lit: ΓH; dans le champ, TYΛOC.* Mionnet eum numum inter monetam Tranquillinae recenset, sed in margine, eum Otaciliae potius tribuendum esse, sententiam fert; praestat fortassè utrâque rejectâ Sardis metropoleos ipsius imaginem in parte adversâ agnoscere, cum Otaciliae vultus in eâ expressus non similior sit quàm Tranquillinae. In alterâ parte quem Mionnet fluvium dicit, ipsam esse *Terram* arbitror, cum nomen *ΓH* adscriptum sit, laevâque spicas teneat, et masculini sexûs in eo certè exemplari hujus numi, quòd Mionnetii arte sulphure expressum antè oculos habeo, nulla appareant indicia. Dextrâ autem ea mulier vestem, quâ crura et femora involuta habet, attrahit et sinum pandit, quo haud dubiè fruges exceptura est, quas juvenis ille serpentibus vectus è chlamyde, quam brachio sinistro extendit, dextrâ manu jàm dispergit. Nam quod Terra spicas jàm manibus tenet, prolepticè factum est neque artis antiquae

legibus disconvenit. Jàm autem mirum videtur, quòd juveni illi satori non *ΤΡΙΠΤΟΛΕΜΟϹ* sed *ΤΥΛΟϹ* nomen adscriptum est. Sestinius quòd opinatur (Lettere e Dissertazioni, T. VII, Fir. 1820, p. 97.) τύλος significare membrum virile (scilicet apud comicos poetas), idque hoc loco vim fecunditatis indigitare, propterea tantùm memoro, ne ignorasse videar. Sed vide an haec rem expediant. Dionysius Halicarnassensis, ubi Lydorum deos et heroas plerosque genealogico stemmate dispositos exhibet (Antiqq. Rom. I, 27), Cotyn narrat uxorem duxisse Alien, Tylli (s. Tyli, Codex Ven. habet *ϹΤΥΛΟΥ*) terrâ orti, filiam, et ex eâ procreasse duos filios, Asien et Atyn. Vix dubitari potest, hoc loco cum numo nostro comparato, hunc Tyllum s. Tylum in fabulis Lydorum eodem munere esse functum, quo Triptolemus ornatur in Atticis; Terra quod ei additur, id eo aptiùs factum est, quod eam ipse Tylus matrem habet. Jàm igitur ipse rejicio conjecturam, ex quâ in libro de Etruscis, introd. 2, 5, n. 26 pro Tyllo Hyllum fluvium Lydiae posui; eam verò, quam nunc proposui, sententiam jam indicavi in compendio Archaeologiae artium (Vratislaviae, apud Josephum Max, 1830, §. 358, 5.), sed tam breviter, ut rem paulò accuratiùs explicare, haud inutile visum sit.

De Zophoro Parthenonis Mantissa.

1830.

Quanquam intelligo, commentationi meae de Zophoro sculpto in cella Parthenonis [Vol. III. p. 1—5.] permulta addi posse, quippe qui eam profecto non ad rem conficiendam, sed ad invitanda et incitanda aliorum studia scripserim, unum tamen non possum quin jam nunc adjicere properem, cum id in inscriptione Panathenaica Annalibus Inst. Tom. 1829 p. 156 communicata nobis ministratum multum facere videatur ad universum argumentum hujus operis sculpti penitus introspiciendum. Nam si in ea disputatione [p. 4] in curribus illis Panathenaicis sinistra parte viros juvenes, chlamyde amictos, plerosque galeatos et scuto insignes, *stare* dixi, id brevitatis causa factum est, cum plerique ex iis curribus non insistant, sed vel insilire vel desilire videantur; sunt etiam inter eos qui currum suum cursu sequantur. Jam ad hanc rem explicandam tanquam vocata adest inscriptio Panathenaica a Boeckhio edita et ita explicata ut non possit melius. In hac enim inter victores curulium certaminum primo loco nuncupantur peregrinus quidem, qui dicitur *ἡνίοχος ἐσβιβάζων* (haec saltem lectio adhuc optima visa est), atque Atheniensis, qui dicitur *ἀποβάτης*. Hos duos viros eodem curru certasse, optime intellectum est, et ita quidem, ut ille habenas regeret, hic ante perfectum cursum curru desiliens pedum velocitate cum ceteris certaret, atque certum spatium emensus in currum reciperetur. Ita enim Boeckhium rem recte explanasse mihi persuasi, ejusque rei novum documentum affero has ipsas Panathenaicorum

solemnium imagines florentissimo Athenarum tempore deae ipsius aedi insculptas; quibus quanquam certamen ipsum non exhibetur, sed pompa ludorum commissionem antecedens, jam tamen juvenes, qui nomina ad certamen professi sunt, qua arte sese victuros sperant, eam ostentare, alii curribus praevehi, alii quadrigas citato cursu insequi, alii desilire, alii rursus insilire videntur. Cujus ludorum generis origo manifesta, ut mihi videtur, deprehenditur in re bellica aevi heroici, quo viri principes armis onusti cum aurigis modo curru in praelium et per aciem vectabantur, modo desilientes statariam pugnam edebant, modo, si res posceret, curru suo quam fieri poterat celerrime recepti auferebantur. Cui certaminis hujus origini convenit id, quod in illo titulo Apobata civis est, sicut omnes, qui equo bellatore vel curru bellico certant, auriga autem, ut inferiore constitutus gradu dignitatis, peregrinus homo; conveniunt in primis arma, quibus Apobata, plane ut Catasterismorum libro, qui Eratostheni tribuebatur, describitur, in marmoribus hisce conspicuus est. Quo scriptore si ab Erichthonio ipso, Panathenaeorum conditore, hoc ludorum genus derivatur, etiam hoc non sine causa et quodammodo recte factum est. Certe antiquissimum in ludis Panathenaicis hoc certamen fuisse, tum locus in inscriptione declarat, quem primum inter victores curules Apobata cum auriga suo occupant, tum quod in Zophoro Parthenonis omnes quadrigae, nulla excepta, suum habent Apobatam s. desultorem, undè colligitur id commissionis genus inter certamina curulia aut unicum fuisse eo tempore (quod non crediderim), aut prae caeteris avita laude floruisse, et fabularum splendore, qui in operibus artis primus spectatur, eximium fuisse. Etiam quae currus agendi artem invenisse et Erichthonium docuisse dicebatur, Minerva, ea statim in bello Phlegraeo usa esse fertur, quo magis quadrigas, quibus in Panathenaeis certabant, antiquitus ad bellum fuisse instructas credere licet. Quod tamen Athenienses non impediebat, quominus apobatico certamini, quod ex heroici aevi militia repetitum erat, adderent postea *ἅρμα πολεμιστήριον* (sicut inscriptionis v. 58 docemur), quo singuli homines utroque munere, aurigae et militis, fungentes vehebantur, neque desiliendo certabatur. — Ceterum in ea adhuc persto sententia, quam de virginibus iis, quae hoc in certamine aurigarum munere fungi videntur, protuli, neque ab ea me demoveri passus sum iis, quae Comes Claracensis,

comiter ut solet, ei opposuit (*Musée de Sculpture*, t. II, p. 218), qui non deas certaminum (Hamillas quas dixi), sed Atticas virgines et filiasfamilias curribus illis vehi et frena regere credidit. Nam feminas Athenienses in ludis Panathenaicis partes sibi depoposcisse, nunquam mihi persuadere potero; exempla a mulieribus Lacaenis et Macedonicis sumpta nihil ad vitam Atticarum virginum faciunt, quae quam diversa fuerit, omnes scimus; etiam titulus e Corp. Inscript. n. 1591 advocatus huc non referendus erat, cum ad ludos Boeoticos et Macedonum tempora pertineat. Neque negligendum est, quod saepe negligitur, discrimen inter victoriam in ludis Olympicis aliisve curru reportatam, quae est res divitiarum et liberalitatis, et inter currum propria manu per hippodromum actum, quod artis et roboris opus. Atque ut rem uno verbo conficiam (ut mihi quidem videtur), Parthenonis Zophorus non exhibet virgines paucas quasdam cum juvenibus diversis de curribus certantes, sed cuivis quadrigae, quotquot nunc integris tabulis plenius conspiciuntur, praeter Apobatam, armis decorum virgo insistit, omnesque in pompa Panathenaica equi jugales manibus reguntur femineis. Hoc est quod explicationem sibi poscere videbatur.

De numis Sicyoniorum.

1830.

Notum est sub judice adhuc litem esse de amplo quodam et illustri Graecorum numorum genere, quod cum *Siphnii* et *Seriphii*, e Cycladibus insulis, quasi usucaptum possiderent, recentioribus temporibus multorum cum plausu sibi vindicaverunt *Sicyonii.* Pugnat enim pro his tum imaginum impressarum (ex altera parte Chimaerae, ex altera columbae volantis) similitudo cum typis eorum numorum, quos omnes Sicyoniis tribuunt, tum numorum splendor et frequentia major quam pro opibus insularum illarum, tum locus, quo multi ex iis reperti sunt, ager Sicyonius. Quocirca cum Sestinius (in Litteris et Dissertationibus de re numismatica) eos numos Sicyoni tribuendos censuisset, Eckhelius contra (in Doctrina numorum) monuit, eandem plane formam et fabricam esse eorum hujus generis numorum, qui *ΣE*, et eorum qui *ΣI* litteris inscripti sunt; hanc autem duplicem epigraphen cum eodem typo conjunctam tribui posse insulis illis exiguo spatio disjunctis, Seripho et Siphno, non posse ei urbi, quae ab omnibus Graecis appellata sit Sicyon. Ex quo ea lis mota est, plerique viri docti numismatum antiquorum periti Sicyonem quidem horum numorum patriam existimaverunt, sed non sine dubitatione ob inscriptionis varietatem adjecta; nonnulli huic dubitationi plus quam illis argumentis tribuentes Seriphios et Siphnios, quo statu possessionis fuerant, eodem reliquerunt. Hoc ut jam plane dejiciantur, suumque cuique restituatur, cur nondum adhibitus est hic locus eximius (nisi forte jam a quodam adhibitus est, quod equidem ignoro) Apol-

lonii Alexandrini, grammatici gravissimi, de adverbiis apud Bekkerum, Anecd. graec. p. 555, l. 5: *Μετάθεσις ἐγένετο τοῦ ἰ εἰς τὸ ἐ, καθάπερ καὶ οἱ ἀγχίμαχοι ἀγχέμαχοι καὶ ἡ Σικυὼν Σεκυὼν παρὰ Σικυωνίοις*? Nonne enim hoc uno verbulo omnes dispelluntur questionum nebulae? — Hanc dum ad rem numariam affero symbolam, in memoriam redeo eorum, quae in Annalium Instituti arch., V. II, p. 81, a duce Luynensi, egregio archaeologo, de *Damaretiis*, Syracusanorum numis, dicta sunt. Quae, non eo consilio ut mihi mea vindicem, sed ut rei ipsius veritatem hoc consensu, quem neuter neque expetivit neque exspectavit, stabiliam, optime convenire noto cum iis quae de Etruscis scribens (t. I, p. 327) de eodem numorum genere dixi. Nam etiam hoc libro argumenta collata sunt, quae evincant numos illos ex Sicilia argenteos maximi moduli *πεντηκοντάλιτρα* esse et ad *νόμισμα Δαμαρέτειον* pertinere, quod, cum a Gelone in honorem Damaretes primum percussum esset, Syracusanorum rempublicam etiam saeculo post eadem forma et eodem fere pondere signasse. Qui consensus eo magis rem firmat, quod plane diversa via eodem pervenimus. Nam cum dux Luynensis singulo quodam numo ad sententiam suam perductus esse videatur, me in eam opinionem traxit Litrae ponderis examen, quod cum ab initio obolum Aeginaeum aequasse Aristoteles doceat, Dionysiorum temporibus demonstravi a pondere XXIII granorum ad XVI grana cum quincunce fuisse imminutum, ita ut quinque litrae Syracusanorum sex obolos s. drachmam Atheniensium, pentecontalitron igitur decem drachmas Atticas penderet, quod Diodorus et ipsi illi numi splendissimi confirmant.

De origine pictorum vasorum, quae per hos annos in Etruriae agris, quos olim Volcientes tenuere, effossa sunt.

1831.

Hisce temporibus, quibus Aegyptus Europaearum gentium commercia captans abditissima quaeque antiquitatis suae monimenta nobis reclusit, neque delubrorum adyta neque syringum labyrinthos aeterna nocte sepultos oculis nostris inuidit, quibusque Graecia ipsaeque Athenae feruidioribus studiis dispectae templorum suorum decora nobilissimis manibus sculpta nobis obtulere, et nunc, vbi nostrorum regum sub auspiciis reuiuiscunt, nouorum inuentorum summam nobis mouent exspectationem: ecce etiam antiqua Etruria, tanquam harum laudum aemula, vrbium suarum sepulcra, quorum magnae partis adhuc etiam situs ignorabatur, profert, et inaudito conatu vasorum elegantissima arte confectorum et picturatorum plura millia simul profundit. Et recrudescunt statim, quae iam dudum composita putaueramus, certamina, cum ipse, cuius terrae maximam huius thesauri partem continent, Lucianus Bonaparte, Princeps Caninensis, horum vasorum non solum antiquitatis, sed etiam domesticae atque patriae originis vindex exstiterit acerrimus, atque quod Itali quidam vano patriae studio pellecti olim statuerant, novis et insignibus documentis sibi euicisse videatur, Etruriam artes non accepisse a Graecia, sed ei tradidisse, non esse Graeciae alumnam, sed magistram, atque ipsas has testas ab artificibus Tyrrhenis multis ante seculis fictas atque pictas esse, quam Polygnotus

et Zeuxis aliique inter Graecos pingendi artem ad id praestantiae euexerint[1]). Sed ne metuatis, Viri Venerandi, me in hac sententia refellenda tempus consumpturum, multum abest, vt eadem sit in hoc viro antiquitatis cognitio, quae est nominis claritas et ingenii mobilitas: contraque omnes, qui genuinum antiquitatis succum imbiberunt, ex quo haec vasa cum picturis spectauere et nomina Graeca inscripta legere, uno ore confessi sunt[2]), omnia in iis esse Graeca, ex ipsis Graeciae medullis hausta, tum vasorum species formasque, tum picturae genus ingeniumque, tum argumenta iis adumbrata vestiendique corporis et ornandi morem, tum literarum inscriptarum figuras nominumque, quae inde efficiuntur, sonum et caetera omnia. Iam quum opus non sit hanc sententiam demonstrare, videamus tamen, quae certiora fortasse et accuratiora de horum vasorum origine possint constitui. Sed priusquam ea via pergamus, de locis, quibus ea figlina inuenta sunt, quaedam narranda erunt.

Locus, quo haec vasa reperta sunt, situs est in ea parte

---

[1]) Prodierunt curante Luciano principe hi libri: *Catalogo di scelte antichità etrusche trovate negli scavi del Principe di Canino* 1828—29. *Viterbo* 1829. 4. (*Estratto*, *Annal. dell' Institut. Archeol.* p. 188 sqq.), et opus plenius: *Muséum étrusque de Lucien Bonaparte Prince de Canino. Fouilles de* 1828 *à* 1829. *Vases peints avec inscriptions. Viterbe chez Camille Tosoni imprimeur* 1829. (cf. O. G. in *Bullet.* 1830. N. VI. a. p. 142.) Nunc prodiit opus lithographicas vasorum continens tabulas: *Vases Etrusques de Lucien Bonaparte prince de Canino. Livr. I.* (v. *Bulletino dell' Instituto Archeol.* 1830. *N. VI. a. p.* 143.) *Livr. II.* (ib. N. X. XI. p. 222.).

[2]) Argumenta harum picturarum titulosque inscriptos, qui quidem intelligi possunt, Graeca esse, confitetur Ed. Gerhardus (*Bullet. dell' Instituto* 1829 p. 121.), quanquam vasa iisdem locis, quibus inuenta sunt, facta esse arbitratur; eademque sententia auctorem et commendatorem habet Millingenium, qui quae de ea re scripsit, laudabuntur not. 133. Commerciis maritimis e Graecorum terris inuecta esse ea vasa, opinio est Rodolphi Rochette in notitia operis: *Catalogo di scelte antichità* (*Journal des Savans* 1830 *Fevr. Mars.*), quam commentationem sicut separatim impressam manibus teneo, ita postea laudabo. Unus inter archaeologos Romanos, Hierolamus Amati, Italiae honorem vindicandum in se suscepit, tribus commentationibus in Diario Arcadico Romae 1829. Aprilis et Augusti m. et 1830. Januarii. Sed v. *Bullet. dell' Instituto* 1830 *N. VIII. p.* 182 *sqq.*

patrimonii S. Petri, quae Tuscaniae, quae nunc dicitur, et mari mediterraneo finitima est, medius fere inter oppida Montaltum atque Caninum. Imminet fluuio, qui nunc Fiora, antiquo nomine *Arminia* dicitur. Proximus est ponti, qui nunc de Abbatia (Ponte della Badia) dicitur, qui opere antiquo et spectabili (nam ex magnis saxis quadratis tofi nulla calce adhibita constructus arcum efficit sat magnum et validissimum) has regiones olim frequentes et celebres fuisse, iam dudum intuentibus demonstrauerat. Hic pons coniunctus erat cum aquaeductu, quo ex ripa Arminiae occidentali aqua traducebatur in orientalem ad vrbem, cuius situs etiamnum ex largis, quae supersunt, ruderibus agnoscitur. Eam vrbem fuisse *Volcientium*, qui inter duodecim Etruriae populos potentia non infimi erant, tum quae antiqui scriptores de situ Volcorum oppidi tradidere, tum nomen, quod in his regionibus ad nostra vsque tempora haesit (Piano de Volci, di Voce), persuadent[1]. Sepulcra, quae necropolin Volcientium dicere licet, ex vtraque fluminis parte sita sunt in agris, quorum partem in dextra ripa positam Romana gens *Candelori* emphyteutico iure iam per multos annos possidet; maximam partem in vtraque ripa *Lucianus Bonaparte* cum territorio Caninensi acquisiuit; alia versus meridiem sita in bonis gentis Romanae *Feoli* est. Iam inde ab ineunte anno MDCCCXXVIII omnia haec latifundia, postquam casus quidam viam monstrauit, suffodiendo perquiri coepta sunt, neque exiguus vasorum numerus, quem cum Candeloriis coniunctus in lucem protulit *Melchior Fossati*, Romam transuectus est, qui Museo Vaticano, sicut accepimus, inferetur. Sed multo maior multitudo cessit in Museum Principis Caninensis, quod Musignani est; quanquam permulta iam, antequam Lucianus Princeps de ea re certior factus esset, a villicis quibusdam clam diuendita in manus viri harum rerum experientissimi, Dorowii, eiusque Sociorum peruenere, quae Musei Berolinensis splendorem regis Borussorum munificentia mirum quantum augebunt. Sepulcra, vnde Luciani Principis vasa protracta sunt, omnia sub campo inter Fiorae

---

[1]) Consentiunt quae breuiter dixi, de Etruscis II, 1, 2. p. 351., cum prolixiore Vincentii Campanari tractatu de Vulcis vrbe, cuius epitomen praebent Annales Instituti Archaeol. T. I. p. 194 sqq. Uterque nonnulla hausimus ex Holstenii annot. ad Cluverium p. 515, 10.

fluminis sinistram ripam atque riuum cum Fiora confluentem, quem nunc Timonem dicunt, sita sunt, pleraque circa collem siue tumulum altiorem, qui Cocumella dicitur. Hunc tumulum intellectum est non natura, sed arte congestum esse, et parte eius disiecta plura apparuere aedificia Etrusca[1]): crepido satis alta et lata, qua totum cingitur, camerae quaedam magnis saxis quadratis constructae duaeque turres, altera quadrata, altera rotunda et conica specie, haec, quantum ex adumbratione admodum imperfecta colligo, monimentis illis Sardiniae haud dissimilis, quae Sardi appellant Nuraghas[2]). Camerae autem, vnde vasa extrahuntur, pleraeque exiguae magnitudinis sunt, in saxo tofaceo paucis infra planitiem pedibus excisae, nec pictis parietibus neque alio ornatu insignes; neque quidquam in iis notabile, nisi id ipsum, quod locis tanta parsimonia et tenuitate paratis eius pulcritudinis vasa reperiuntur[3]). Sed iam hinc intelligitur, hoc genus operum et artificiorum tanta frequentia fuisse in his locis, vt etiam tenues et egeni homines sepulcris suis hunc ornatum facile possent comparare.

Iam cum ad quaestionem, quam nobis exagitandam sumpsimus, de origine horum vasorum, propius accesserimus: fundamento quodammodo ponamus id genus vasorum, quo nullum significantius, vt ita dicam, digitum in patriam intendit et clamat: *haec est.* Loquor de illis diotis, siue vt rectius dicemus, amphoris, quarum in altera parte Minerva propugnatrix, in altera varia certamina, qualia in sacris Graecorum ludis committebantur, tum equestria tum gymnastica depicta sunt. Adest titulus in omnibus idem: τῶν Ἀθήνηθεν ἄθλων (*TONAΘENEΘENAΘΛON*) i. e. praemium ex iis, quae Athenis reportantur. Non poterant profecto apertius declarari et picturis et titulo amphorae illae Atticae, quas etiam Pindaro teste victores ludorum Panathenaicorum limpidissimo oleo repletas praemium virtutis et gloriae documentum retulerunt. Nimirum non id studebant Athenienses, vt pretii magnitudine peregrinos allicerent, sed tale praemium retribuebant, quod in suo genere

[1]) V. descriptionem in: *Bulletino degli Annali* 1829. *N. VI. p.* 51., et lineas in Museo Etrusco Pr. Luciani Tb. 1. *Vue du Mont Cocumella.*

[2]) Has in libro de Etruscis IV, 2, 2. T. II. p. 227. iis Sardiniae temporibus tribui, quibus Etruscorum in ditione erat.

[3]) Verbis vtor Gerhardi, *Bulletino l. l.*

optimum habebant, gratissimumque Atticae terrae, figlino opere et olearum cultura praeualentis, signum et monimentum. Sed mirum accidit, quod cum in Attica terra vnum huius generis vas nuper repertum sit, quod Londini in priuatis aedibus asseruatur [1]), vnumque, quod superiore anno innotuit, in insula maris Aegaei [2]), atque in Magna Graecia e sepulcris Nolanis duae eius speciei amphorae prouenerint [3]), agri Volcientium eadem vasa Panathenaica numero sane stupendo profuderunt. Accurata horum vasorum descriptione [4]), proposita a V. Cl. Eduardo Gerhardo, qui Archaeologici Instituti commercium epistolicum procurat, edocemur, anno superiore iam decem et nouem amphoras Panathenaicas eiusdem fere magnitudinis, eodemque omnes, si vnam exceperis [5]), titulo et iisdem picturis insignes inventas fuisse, quae maximam partem in agris Luciani Principis effossae sunt, duae in praediis Feoliorum, quinque apud Candelorios. Non annumeraui iis vasa minora varia specie titulo *τῶν Ἀθήνηθεν ἄθλων* carentia, sed iisdem, vel similibus, argumentis picta, quae Gerhardus putat [6]) *ξένια* siue dona victoribus ab amicis et cognatis oblata esse; huic classi inter Volcorum vasa tribuuntur sedecim [7]). Quas diuersas classes non distinxisse videtur Lucianus Princeps, qui in Museo Etrusco, quo vasa anno vigesimo octauo et nono in-

---

[1]) Edidit Jacobus Millingen, *Antient Unedited Monuments S. I. pl.* 1—4.

[2]) v. Joannes de Witte in *Bullet. dell' Instituto* 1830 N. IX. p. 193. Quae descriptio plane conuenit cum vasis Volcientibus, quorum pictura iam magis elaborata est quam in vase in Attica reperto, quod omnium vetustissimam habet speciem.

[3]) Alteram, e collectione Kolleriana, nunc Berolinensi, edidit Ed. Gerhard, *Antike Bildwerke* T. I. t. 5—7. Alteram in collectione Com. de Pourtalès-Gorgier Parisiis esse, testem habemus R. Rochette *Journal des Savans* l. l. p. 17.

[4]) *Annali dell' Instituto* V. II. p. 209—224. cum tabulis XXI. et XXII. Monum. inedit.

[5]) N. 11., cuius in auersa parte titulus exstat *ΕΛΑ ΕΛΑ*, de quo not. 56, et *ΚΑΛΟΣ ΝΙΚΟΝ*, de quo not. 104. N. 807. cursoribus auersae partis addita est inscriptio *ΣΤΑΔΙΟ ΑΝΔΡΟΝ ΝΙΚΕ* (in vase scriptum esse *ΝΙΚΙΙ* testis est Gerhardus p. 217.), *σταδίου ἀνδρῶν νίκη*. Amphoram, de qua Gerhardus p. 221. narrat, ob magnum argumenti picti discrimen segegraui.

[6]) Annali l. l. p. 211.

[7]) ib. p. 222 sqq.

uenta recensentur, decem integra, et plura quam viginti fracta eius generis vasa adesse scribit[1]. In omnibus Pallas eadem figura et eodem gestu est, ex vtroque latere deae galli, certaminum indices, columnis insistunt, adestque titulus, de quo dixi. Id tantum variatur, quod scuto Palladis diuersa insunt insignia, quae cur variare libuerit, causam rationemque reddere difficile est; et quod altera vasis parte diuersa certamina et equestria et gymnastica adumbrata sunt, aurigae cum curribus, equi celetes, cursores, luctatores, pugiles, pentathli disco saltuque certantes[2], denique etiam citharoedus[3]; quod certaminis genus in Panathenaeis ex lege a Pericle, circa Olymp. LXXXIV., lata instituebatur[4]: quo tempore figlinum illud antiquius esse non posse apparet. Percommode factum est, vt in hac amphora columnis, quibus deae figura circumdatur, non galli, pugnacitatis imago aliena a commissione citharoedorum, picti sint, sed vasa palmis figendis destinata, qualia in numis Graecarum vrbium ad ludos sacros significandos adhibentur[5].

Quaerenti autem, qui casus has amphoras Panathenaicas in hoc Etruriae litus detulerit, primum fortasse in mentem veniet, eas iure et recte praemia Athenis reportata dici, quippe ab athletis Etruscis Panathenaeorum ludorum victoribus in patriam terram deuecta. Ea vero opinio consideratius spectanti vix immota stabit. Quid enim? cum ne vnum quidem siue Etruscum siue Tyrrhenum sacra Graeciae ludicra adiisse constet, et inter sexcenta, quae antiquitas nobis tradidit et in catalogis disposita habemus, victorum gymnicorum aliorumque nomina nullus Etruriam patriam profiteatur: num credemus, Panathenaicorum ludorum praemia centum et plura, quippe ex adhuc inuentis numerum eorum, quae sepulta iacent, augurari licebit, in vnam eamque exiguam neque vlla re illustrem Etruriae plagam perlata esse. Luciani autem Principis audaciam, qui Athenienses, scilicet artium rudes et operis figlini incuriosos, Panathenaica sua vasa ex officinis Etruriae aduexisse

---

[1]) Museum Etruscum p. 48. cf. Raoul-Rochette p. 18.

[2]) Haec Gerhardo teste, p. 216. Luciani opus p. 48. etiam hoplitodromos memorat.

[3]) Gerhard. p. 216.

[4]) Plut. Pericl. c. 13.

[5]) v. Gerhard. p. 222., cuius sententiae subscrbio. Vas est inter Dorowiana.

coniectat[1]), quis nostro aeuo imitabitur etiam inter Italos, patriae interdum amantiores quam veri? Quantum video, duae supersunt viae, in quas omnes sententias, quas antiquitatis prudentes de his vasis ferre possint, discedere necesse est. Aut statuendum, haec vasa in Etruria circa ea loca, in quibus reperiuntur, ex imitatione, Panathenaicorum facta esse siue ab ipsis indigenis siue Graecis opificibus, quos vtrum inquilinorum an colonorum iure has terras insedisse putemus, ambigi poterit: aut per commercia maritima e Graecia et ipsis Athenis inuecta esse concedendum erit. Videntur enim, vt hoc statim adiiciam, figuli Athenienses ad exemplar vasorum, quae praemio destinabantur, multa alia fecisse, quae in foro venirent: quo factum vt inter luxum mensarum Alexandrinarum etiam argentei *ἀμφορεῖς Παναθηναικοὶ* haberentur[2]). Sed temerarium esset, alterutram harum viarum alteri praeferre, antequam caetera omnia vasa examini, quatenus id hoc tempore et loco institui potest, subieceris et, vtri sententiae faueant, perquisiueris. In qua quaestione ordiendum erit a titulis inscriptis, quos adhuc habemus accuratius traditos quam imagines pictas, atque primum a forma litterarum verborumque Graecorum; postea de argumentis, quae his titulis et ipsis picturis continentur, et artificii genere et charactere disputari poterit.

Omnes tituli, qui vasis Caninensibus inscripti sunt, paucis exceptis ex palaeographica ratione inter se non multum distant et easdem fere litterarum formas seruant. Continent enim eas, quibus antiquior Graecorum literatura constare solet, literas vnam et viginti *A, B, Γ, Δ, E, Z, H* quod pro spiritu aspero ponitur, *Θ, I, K, Λ, M, N, O, Π, P, Σ, T, Y, Φ, X*. Longarum vocalium *H* et *Ω* signa nunquam reperiuntur, et consonantes literae compositae *Ξ* et *Ψ* binis vbique signis, *XΣ* et *ΦΣ*, redduntur. Diphthongos *OY* fere semper exprimitur per simplex *O*[3]); contra *EI* variis modis, tum literis

---

[1]) V. *Bulletino dell' Instituto a.* 1829. *n. IX. b. p.* 120.

[2]) Athenaeus V. p. 199. d. Panathenaica pocula (Posidonius ap. Athenaeum XI. p. 495. a.) non amphoris, sed caeteris vasis Vulcientibus, quorum imagines ad Panathenaea spectant, similia dixerim.

[3]) Hinc etiam nomen *ΔOPIΣ* n. 183. 1184. non Doris, vt in Museo Etrusco fit, sed Duris pronuntiandum est: quod nomen notissimum est. Excipiendum est *OYΔEΠOTE* in titulo n. 1386. b., de quo v. p. 72. n. 4.

E et *I* coniunctis, tum per *E* atque interdum per *I* solum, significatur[1]). Haec omnia satis bene concinunt cum titulis Atticis, qui ante Euclidem archontem, i. e. ante Olympiadis XCIV. a. 2., scripti sunt; quod et hi productas illas vocales non propriis literis signant, et consonantes compositas *Ξ* et *Ψ* eodem modo per literas adspiratas et *Σ* reddunt, quod Aeolicae stirpis populos non aeque fecisse scimus[2]). *OY* autem diphthongon Attici quoque ante Euclidem simplici litera *O* reddebant, exceptis quibusdam verbis, inter quae οὐκ est: hinc etiam in vase Volcienti *OVΔΕΠΟΤΕ* scriptum est (p. 52 n. 3.). In diphthongo *ΕΙ* significanda Attica monumenta simili modo inter *ΕΙ* et *Ε* incertis passibus errant[3]), sed apud Atticos etiam *I* pro *ΕΙ* positum esse, certis documentis confiteor non posse probari[4]). Inprimis memorabile visum est, quod in vasis Caninensibus nusquam certum deprehenditur vestigium literae Vau, quam digamma vocant[5]), cum hic sonus eiusque signum apud Dorienses et Aeolenses populos diu in vsu fuerit, vnde in literaturam Etruscorum et Latinorum inuectus est, sed idem ab Atticis monumentis, quotquot nouimus, plane alienus sit. Sicut haec Phoenicum litera in Atticis monumentis nostrisque vasis desideratur, cum aliis Graeciae locis vsu servata sit: ita Phoenicum Koph, quod Graece Koppa

---

[1]) Scribitur *ΕΠΟΙΕ* pro ἐποίει, nisi *ΣΕΝ* excidit, n. 24. *ΑΙΝΕΑΣ* n. 544. et saepius pro Αἰνείας. *ΠΕΡΙΘΟΣ* n. 560 b. et saepius pro Πειρίθους (sed erat etiam Attica forma Περίθους). *ΑΝΤΙΟΠΕΙΑ* n. 560 b. 1614. *ΠΟΣΕΙΔΟΝ* n. 1610. 1614. *ΧΙΡΟΝ* n. 544 b. pro Χείρων, *ΧΛΙΣΟΦΟΣ* (*ΚΛΙΣΟΦΟΣ*) i. e. Κλείσοφος 1645 b. *ΚΛΙΒVΛΟΣ* Κλείβουλος, n. 1645 b., vbi, si recte legi, ου expressum est per Υ. Sed dubito.

[2]) Aeoles enim Πελοπς, πσαλις et talia pronunciabant et scribebant. v. Gregor. Corinth. de Aeol. dial. §. 39. Theodos. p. 1. Göttling. Boeckh. in Corp. Inscr. ad n. 17.

[3]) Scribitur in Monumentis publicis (v. Corp. Inscr. n. 71-82) *ΑΡΧΕΝ* et *ΔΙΚΑΖΕΝ* et *ΑΒΛΑΒΕΣ* et *ΠΟΛΕΣ* pro ἄρχειν, ἀβλαβεῖς etc., sed etiam *ΠΟΛΕΙ*, *ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΑ*, *ΗΕΡΑΚΛΕΙΟΝ*, *ΑΤΕΛΕΙΑ*, sicut *ΑΝΤΙΟΠΕΙΑ* in vasis nostris.

[4]) Nisi forte statuendum, *ΣΙΛΕΝΟΣ* in Corp. Inscr. n. 74. Σειληνὸς pronunciandum esse.

[5]) Quod enim legitur n. 1635. *ΕΙΟΛΕΟΣ* ne in *FΙΟΛΕΟΣ* mutes (de Vau in *FΙΟΛΑΣ*, Violas, v. Kidd. ad Dawes. Miscellanea p. 277.), dissuadent ceterae eius nominis mentiones, n. 798 b. 1003., ubi *ΙΟΛΕΟΣ* est.

appellatur et in Latinum Q transiit, in titulis Doriensium vrbium haud raro reperitur, ab Atticis vero aeque ac nostris vasorum titulis abest[1]). Sed monendum est ad vtramque obseruationem, duos titulos excipiendos et a ceteris segregandos esse[2]), qui non modo literas illas Vau et Koppa nobis offerunt, sed etiam in aliis rebus et vniuersa inscriptionis specie alienam a cetera multitudine originem produnt: ita vt harum comparatione, quae de illarum indole diximus, stabiliantur magis quam infirmentur. Ceterum, quae in titulis Magnae Graeciae propria et singularia adhuc obseruata sunt, sicut *H* dimidiatum pro spiritu aspero positum[3]), in vasis Caninensibus non deprehenduntur. Eadem autem, quae in vsu literarum agnoscitur, conspiratio inter monumenta Attico in solo exstantia atque haec nostra, peruadit etiam formas et figuras singularum literarum. Composui in tabula adiecta eos literarum ductus, qui in decretis tabulisque Atheniensium inde a tempore Pisistratidarum ad Euclidem vsque archontem exstant, cum iis, quos figlina nostra offerant, quo melius intelligatur, quam pauca in his deprehendantur signa, quibus Attica ciuitas vindicari non possit; apposuique ex altera parte etiam literas quasdam e monumentis Peloponnesi, Boeotiae et Magnae Graeciae eiusdem temporis tractas, ex quibus quantopere hae a nostris distent appareat. Qua in re quisque concedet aliquantum largiendum esse negligentiae, qua literae penicillo festinante testis illinebantur, quo factum est, vt interdum ab exactis

---

1) Nam titulum Corp. Inscr. 166, cum nominibus militum plerisque Doriensium, quamquam in Attica repertum, non pertinere ad Atticam dialectum, satis demonstratum est.

2) Alter est n. 530., quo vase Meleager exhibetur Atalantae apri corium offerens, huic nomen est *ΑΤΑΛΑΝΤΕ*, illi vero *ΜΑΟΦΣΟΣ*. Adstant *ΠΕΛΕVΣ* et *ϘΛVΤΙΟΣ*. — Sed etiam magis alienam a ceteris originem primo statim adspectu prodit vas n. 802, quod sex Satyros et totidem Maenades exhibet, ut videtur, chorum ducentes, nominibus adscriptis, quae ita legenda esse videntur: *Μυρὼ*, *Σῖμος*, *Μολπὴ*, *Ϝιρ* . . . ., *Αντιης* (?), *'Λανων*, *Κλυτὼ*, *Ἱππαῖος*, *Ψωρὰ*, *Χανθα* . . . (*Κάνθαρος*?) *ΟϜατίης*, *'Ορχίς*.

3) Hoc signum adspirationis habemus in titulis et numis Heracleae, in vase Paestano et alio Barii in Apulia invento; videtur igitur in omni Magna Graecia praeter Campaniam (nam in vasis Nolanis nondum apparuit) in usu fuisse.

illis formis in marmoribus Periclei temporis, quibus vlla vnquam pulcrius exarata esse negauerim, longius distare videantur, quam re vera distant[1]). Literae Etruscae, quae in monumentis vere Etruscis inueniuntur, nostris titulis non sunt similiores, quam ceteris omnibus Graecis; atque adsunt etiam certa documenta, Etruscos eodem, quo ea vasa in his sepulcris composita sunt, aeuo multum diuersis literarum ductibus vsos esse. Habemus enim hominum quorundam, quorum cineres hic repositi sunt, nomina et praenomina lapideis crepidinibus vel vasis non pictis et rudi opere factis inscripta, eaque et sono vocis et literarum specie Etrusca, et quaedam in iis, quae etiam aliis Etruriae in ciuitatibus obseruata sunt[2]). Sunt tamen, ne hoc reticeam, quaedam, sed perpauca vasa, quorum literae contagio quodam Etruscam formam induisse videantur, inprimis duo (n. 1499 et 1500), quae in hypogeo reperta sunt, quod altiore loco, quam ceterorum ordo, saxo incisum est, situque suo recentiorem originem prodit. Huc accedunt formae nominum inscriptorum: *Achilei* et *Pelei*, proximae iis, quae in gemmis et pateris quas vocant Etruscorum recurrunt, *Achle* et *Pele*[3]); accedit etiam picti operis ars ceteris picturis deterior multo et rudior. Quae omnia coniuncta nobis persuadent, haec certe vasa non eadem, qua cetera pleraque, origine prouenisse, sed ex imitatione illorum facta esse ab hominibus Etruscis Est vero etiam aliud genus

---

[1]) Monendum etiam, hac in comparatione ea tantum nomina in censum venisse, quae satis certe legi et intelligi possint. Quid de iis inscriptionibus, satis magno numero, quibus verba sensu et saepe etiam sono carentia contineretur, dicam, profecto incertus haesito. Sed quae de ea re dicenda habeo, v. p. 70. n. 4.

[2]) V. Princ. Caninensis Mus. Etr. tb. 2. Nomina sunt: *Minucha Fuechka. Anii. Ranuthas Apies. Arusanial. Larth. Fepia. Arions.* Verum hoc ultimum nomen ab vsu linguae Etruscae, quae *O* non habet, recedit, nisi *Arithns* legitur. Nomina haec vniuersam gentem siue familiam, cuius sepulcrum fuerit, significare vix crediderim; sunt singulorum hominum. *Larth* non est nomen, sed praenomen. *Fepia* idem nomen esse videtur, quod inter gentes Volsinienses *Fipi*, Vibii.

[3]) Comparandum est vasis fragmentum apud Inghiram. Mon. Etr. S. V. t. 55, 8, cui inscripta est vox Etrusco more formata *TPITVN*. Hoc inuentum est apud Bononiam siue Felsinam Etruscorum.

titulorum in his vasis, quod viri quidam docti Etruriae attribuere[1]), sed dubito an iniuria. Dico literas, quae sub pede multorum vasorum stilo vel acu leuiter incisae sunt. Quae quanquam aliam prae se ferunt speciem, quam tituli picturis additi: tamen si attentius consideraueris, magnam partem Graeca vocabula continent, quibus genus vasorum designatur, quod quo consilio factum sit, definire non audeo. At liquido apparent voces *ὑδρία*[2]), *χύτρα* s. *χυτρίς*[3]), *ἀρυστρίς*[4]), et videntur etiam alia id genus nomina inesse his obscuriora[5]). Sed praeter haec vasorum nomina eo testarum loco multa conspiciuntur monogrammata siue sigla, quae vtrum mensuram vasis an fabricam an pretium designent, antequam plura eiusmodi obseruata et inter se collata fuerint, decernere nolim. Neque negauerim, inesse etiam his inscriptionibus verba, quae Etrusca videri possint[6]), et reperiri literas, quae recentioris aetatis esse videantur, quam tituli picturis additi[7]), quod nemo mirabitur. Quippe titulos picturis additos eodem tempore pingi necesse erat quo figuras, antequam vasa igne torrerentur; illa autem sigla vasis iam dudum coctis multis annis post mercantium in vsum stilo inscribi poterant[8]).

---

[1]) V. Ed. Gerhardus in: *Bulletino dell' Instituto* 1829. Nr. XII. p. 219.

[2]) N. 1690 in grandi vase tribus manicis, et 1693 in vase eiusdem speciei. Literae quaedem additae sunt, ex quibus nihil extrico. R. Rochette l. l p. 5. duo refert vasa Musei Ducis de Blacas, alterum in pede inscriptum esse literis *YΔPI*, alterum *KAΛ* i. e. *κάλπις*, provocans ad librum V. D. Theodori Panofka de vasorum nominibus p. 8., additque in Museo Witte Parisiis hydriam conspici Nolanam, cui eodem modo inscriptae sint literae *YPIAΣ*, addito numero IIII.

[3]) N. 1821.

[4]) N. 1710. Adsunt literae *ARVΣIΛ*, quas *APYΣTP*.., an *APYΣIΣ* legam, dubito.

[5]) N. 1194. et 1198. videntur idem nomen continere: *TIΓΛENON* s. *XIΓΛENON*, quod quale sit vasis genus, me fugit.

[6]) Etrusci soni est, quod n. 1262 legitur vocabulum *MAPVTΛ*.

[7]) Ex. gr. *ΣΩ* n. 543 b. Forsitan haec Ionicus quidam mercator, Phocaea oriundus, inscripserit.

[8]) Ceterum non assentior Viris doctis (R. Rochette l. l. p. 4. et aliis), qui hos tenues et misellos ductus hominum indoctorum ad *γραμματικὰ ἐκπώματα* Athenaei XI. p. 467. traxere, quae

Post scripturam linguae siue dialecti genus venit considerandum. Id primo statim adspectu intelligitur in his titulis neque esse Doricum aut Aeolicum neque Ionicum, quatenus Ionum dialectus ab Attica differt, sed antiquiori Atticorum sermoni plane conuenire. Dea Athenarum his titulis semper audit *Ἀθηναία* (*ΑΘΕΝΑΙΑ*), non *Ἀθηναίη*[1]; eodem modo scribuntur nomina *Ἥρα*[2], *Τιμάνδρα*[3], *Αἴθρα*[4], *Κλειταγόρα*[5], neque vero *Ἥρη*, *Τιμάνδρη*, *Αἴθρη* etc. Ionum more; contra *Νίκη*[6], *Κλεοκράτη*[7], *Ἀνδρομάχη*[8], *Ἑλένη*[9]; neque vero Doriensium more *Νίκα*, *Κλεοκράτα*[10]. Nomen Herculis non plus quam semel reperitur forma soluta *Ἡρακλέης*[11], saepe autem recurrit forma *Ἡρακλῆς*. Heros cum Theseo coniunctissimus Pirithous, sicut apud Atticos, his vasis nuncupatur, *Πειρίθους* vel *Περίθους* (*ΠΕΡΙΘΟΣ*)[12]. Eidem dialecto conueniunt formae *Μενέλεως* et *Ἰόλεως* et *Κτησίλεως* (*ΜΕΝΕΛΕΟΣ*, *ΙΟΛΕΟΣ*, *ΚΤΕΣΙΛΕΟΣ*), quae per hos titulos regnant[13], et

vasa erant argentea inscripta versibus vel sententiis. Refragatur etiam Comes Claracensis *Mélanges d'antiquités Grecques et Romaines. Paris* 1830. *p.* 36 *sqq.*

[1]) In rationibus Quaestorum Mineruae aliisque monumentis temporum belli Peloponnesiaci legitur *ΑΘΕΝΑΙΑ*. *ΑΘΗΝΑΙΑ* in cippo Attico ap. Bröndsted *Voyages en Grèce* T. II. p. 299 tb. 42. Terminus multo antiquior, Corp. Inscr. n. 526., habet *ΑΘΕΝΑΙΕ*.

[2]) N. 2062. p. 10. Musei Etrusci. Etiam in vase, de quo p. 69 n. 6.

[3]) N. 2062.

[4]) N. 1610. Nam mulieris nomen, quam ibi Neptunus retinet, videor mihi recte *ΑΙΘΡΑ* legere.

[5]) N. 1515.

[6]) N. 541.

[7]) N. 533.

[8]) N. 798 b.

[9]) N. 1941. 2062.

[10]) In vno vase n. 544 nomen Nereidos occurrit *ΠΟΝΤΜΕΛΑ*, quod *ΠΟΝΤΟΜΕΛΑ* videtur legendum, si modo *Α* in fine certum est.

[11]) N. 1533.

[12]) N. 560. cf. 1941.

[13]) N. 798. 1003. 1635. 1757. cf. p. 69 n. 6. *ΙΟΛΕΙΟΣ*, quod R. Rochette p 9. memorat, nusquam repperi. De *Κτησίλεως* v. p. 64 n. 3.

quae fallaci quadam similitudine pictorem quendam, vt etiam Ἀχίλεως scriberet, seduxere [1]). Nam in aliis haud raro nomen recte Ἀχιλεὺς s. Ἀχιλλεὺς scriptum est [2]). Genitiuum autem illo loco a pictore significatum esse, non credibile est, quum cetera omnia nomina primo casu posuerit, quanquam alias in his vasis ille nominum casus adhibitus inuenitur [3]). Habemus genitiuos Ἰόλεω, Ἑρμοῦ, plane Atticos. Verborum formae perpaucae occurrunt, sed memorabile est, quod legitur in vno ex Panathenaicis illis amphoris, adscriptum homini curru certanti, *ΕΛΑ*, *ΕΛΑ* [4]), quasi acclamatum a circumstantibus, quo auriga, vt equos agitet, excitatur. Etiam hoc Atticae potissimum dialecto conuenit, qua Xenophon ἀπέλα et Euripides ἐκποδὼν ἔλα, abige, propelle, dixerunt. Hoc vnum video relictum, si quis aduersus Atticam horum vasorum originem tendere velit, vt ad Chalcidenses confugiat, quum probabile videatur, eos Ionas, qui Chalcide ex Euboea in Siciliam et Italiam se contulerant, sermonem retinuisse Attico propiorem, quam quo Iones Asiae vti consueuerant [5]). Haec igitur contentio vt componatur, sequenti disputatione alla-

---

1) N. 544.

2) N. 527. 539. 568. Consonantes geminae in his titulis solent simplices poni, vt *ΦΕΙΔΙΠΟΣ* n. 558. *ΦΛΕΒΙΠΟΣ* n. 1758 b. *ΛΥΣΙΠΙΔΕΣ* n. 1547. *ΗΙΠΟΚΡΑΤΕΣ* apud Candelorios, Bullet. 1829. p. 76., *ΑΠΟΛΟΝ* n. 1182. *ΜΝΕΣΙΛΑ* n. 1548. Quanquam id non semper fit. Exstat etiam *ΙΠΟΔΑΜΕΙΑ* in vase in finibus Samnii (*S. Agata de Goti*) reperto (Gerhard et Panofka Neapolit Antiq. Vas. VII, 5. p. 343.). in quo titulo iam *Ψ* et *Η* et *Ω* reperiuntur.

3) In vase apud Candelorios *Bullet. dell' Instit.* 1829. n. VII. p. 75. est *ΗΕΡΜΟ. ΗΕΡΑΚΛΕΟΣ. ΙΟΛΕΟ.* In vasis apud Dorowium legitur *ΤΡΙΤΟΝΝΟΣ*, *ΗΕΡΑΚΛΕΟΣ*, *ΑΝΔΡΟΜΑΧΕΣ*. Videtur cogitatione supplendum: imago, figura.

4) N. 11. cf. p. 50 n. 5. Similis est ille titulus iam decantatus n. 1887., quem mihi persuasum est rectissime legi ἆθλον ὄχει, praemium reporta. Cf. *Bulletin.* 1829. *X. p.* 143. 1830. *VIII. p.* 187. *Annali T. I.* p. 191.

5) Possit huius sententiae auctor etiam Χαλκιδικὸν ποτήριον apud Aristophanem, Eqq. 237., afferre, quanquam incertum, figlinum hoc sit poculum an aeneum aliove metallo confectum. — Sed Cumanorum figlinas officinas antiquissimas fuisse, etiam etymologia Pithecusae insulae nominis a πίθοις (Plin. III, 6. 12.), quamuis ridicula, significat.

borandum erit. Ceterum etiam sermonis genus docet, nonnulla vasa ex ceterorum multitudine eximenda et aliunde repetenda esse: veluti illud vasculum, quo Ulysses Sirenum insulam praeteruehens depictus est[1]). In hoc enim altera ex Sirenibus *Ἱμερόπα* i. e. suaui voce in amorem pelliciens, appellatur, Dorica nominis forma[2]); Ulyssi antea nomen adscriptum est *ΟΛΥΣΕΥΣ*, ea mutatione literae *Δ* in *Λ*, quae in hoc nomine etiam in Sicilia, et apud Etruscos Romanosque in Uluxe, Ulixes reperitur[3]). Consentit cum literis pictura, quae, quantum ex adumbratione in Monumentis Instituti Archaeologici proposita[4]) indicare licet, iis picturis, de quarum origine Attica disputamus, multum inferior est.

Hinc disputatio nostra procedit ad argumenta horum titulorum, quae, segregatis siglis illis in basi inscriptis, in tria genera dispesci possunt. Aut opificum praebent nomina, aut continent honorificam appellationem pulcrorum puerorum aliamue salutationem, aut deos atque heroas hominesue nuncupant pictura in vasis expressos. Ut primum de opificum nominibus dicam: Volcientibus demum vasorum titulis edocti sumus, quid intersit inter *ποιεῖν* et *γράφειν*, quum antea tituli vtriusque generis, tum *ὁ δεῖνα ἐποίησεν*, tum *ὁ δεῖνα ἔγραψεν*, ad eundem semper artificem, eumque pictorem referrentur. Verum enimuero in his vasis is, qui *ἐποίησεν*[5]), et is qui *ἔγραψεν*[6]), saepe nuncupantur coniuncti; et qui in vno vase vt qui *ἐποίησε* memoratur, si idem nomen iterum et saepius in aliis figlinis reperitur, semper *ποιῆσαι* dicitur, et qui vnum vas *ἔγραψε*, etiam in aliis *γράψαι* dicitur, vnde

---

[1]) N. 829.

[2]) Quod cum hoc nomine comparatur, *ΚΑΛΟΠΑ*, in vase, quo Adrastus et Amphiaraus Eriphylae valedicentes picti sunt (ediderunt Scotti *Illustraz. di un Vaso Italo-Greco*, Nap. 1811. et Millingen *Peintures de Vases de div. collect. pl.* 21.), nihil esse videtur, nisi *ΚΑΛΟΣ ΠΑΙΣ*. Nam Eriphyle quo iure *Καλοπα* dici possit, non intelligo. Sed factum est nomen *Ἱμερόπη* ad eandem normam, qua *Θελξιόπη* Siren, *Καλλιόπη* Musa etc.

[3]) V. de Etruscis V. II. p. 279.

[4]) Tab. VIII.

[5]) Legitur tum *ΕΠΟΕΣΕΝ*, tum *ΕΠΟΙΕΣΕΝ*, rarius *ΕΠΟΙΕ* (*ἐποίει*) n. 24. cf. n. 1303. b. 1386.

[6]) Multo frequentius est *ΕΓΡΑΦΣΕΝ*, quam *ΕΓΡΑΦΕΝ*, n. 558. 1184.

intelligitur, τὸ ποιῆσαι et τὸ γράψαι diuersa fuisse diuersorum hominum officia et munera. Quod discrimen in eo quaesivit Vir Doctus, quod ποιεῖν is tantum artifex, qui tabulam proprio inuento composuit, recte dici potuerit, γράφειν autem is dictus sit, qui illam picturam in vasculum figlinum transtulerit: adhibita enim esse ab his opificibus in vasis pingendis exemplaria quaedam, qualia nunc patronos vocant, ab egregiis artificibus adumbratra et ab operis hisce serua imitatione expressa. At, si verum fateamur, decantatae huic de tabulis celebrium artificum in vascula translatis opinioni nullum adhuc subuenit exemplum satis luculentum; exemplaribus autem istius modi vsos esse vasorum pictores ne credamus, omnia eorum operis et laboris vestigia, quae in vasis ipsis deprehenduntur, dissuadent. Atque concessit huius sententiae auctor [1]) iam ipse in alteram sententiam [2]), hoc potissimum argumento motus, quod, Millingenio percommode monente, inscriptio *ΕΠΟΙΕΣΕΝ* etiam in figlinis nulla pictura ornatis exstat. Est igitur qui ἐποίησεν figulus, qui ἔγραψεν pictor, vterque opifex, sed eo saepe venustatis sensu praeditus, quem nunc tantum a summo artifice exspectes. Figulorum nomina in vasis Volcientium habemus: Tleson Nearchi filius [3]), Audocides [4]), Tlesipolemus [5]), Nicosthenes [6]), Hischylus [7]), Hieron [8]), Euphronius [9]), cuius nomen etiam

---

[1]) R. Rochette l. l. p. 7.

[2]) Theodori Panofka *Bullet. dell' Inst.* 1829. p. 137. aliorumque. cf. *Annal.* 1830. *p.* 262.

[3]) *ΤΛΕΣΟΝΗΟΝΕΑΡΧΟ*, n. 15. 1146. Lectio prioris vasis corrigitur altero adhibito. Cf. *Bullet. dell' Inst.* p. 136.

[4]) N. 24. 1181. 1381.

[5]) Id dubitanter posui pro *ΤΛΕΝΠΟΝΕΜΟΣ*, quod in vno vase bis scriptum indicatur, n. 1491.

[6]) N. 273. 567. 1516.

[7]) Defendimus enim *ΗΙΣΧΥΛΟΣ* neque mutamus in *ΑΙΣΧΥΛΟΣ*, cum idem nomen in duobus vasis, n. 558, 1115., reperiatur. Deriuamus ab ἴσχυς, et spiritum Attico more adiectum contendimus, quos notum est, ἰχθὺν et multa itidem talia, citra morem gentium Graeciae ceterarum, inspirantes primae literae dixisse. Gell. N. A. II, 3.

[8]) N. 565. 1183. 1439. 1988. 2062.

[9]) N. 568. 1911.

vas circa Viterbium repertum obtulit[1]), Python[2]), Panthaeus[3]), Canchrylion[4]), Euxitheus[5]), Diniades[6]), Exechias[7]), Chelis[8]), Amasis[9]), Epitimus[10]). Pictores nuncupantur Duris[11]), Philtias[12]), Phidippus[13]), Epictetus[14]), Euthymides, Polii filius[15]), Onesimus[16]), Hypsis[17]) et, vt videtur, Hippaechmus[18]). Vix est quod moneamus, in his nominimus nullum

---

1) v. *Bulletin. a.* 1830. *X. p.* 233.

2) N. 572.

3) N. 1116. 1303. 1513.

4) N. 560. 1186. Vtrobique scriptum est *ΧΑΧΡΥΛΙΟΝ*, reduplicatione facta per literam adspiratam, quod sermone vulgari saepe factum crediderim. Nomen significat figulum vasa torrentem, *κάγχρυς* enim est hordeum, quod *φρύγουσιν*. V. praeter locum a Schneidero laudatum Cratinus ap. Plut. Solon. 25. Etiam *καγχρύλια* apud Theophrastum et Aristotelem hinc defendi possunt.

5) Hoc nomen dubitanter posui, nam in Mus. Etr. legitur n. 1120. *ΕΙΥΧΣΙΘΕΣ*. R. Rochette l. l. p. 12. suasit *Ζευξίθεος*.

6) N. 1533.

7) N. 1900. Echsekias scribitur in Mus. Etrusco p. 10.; sed nomen descendit ab *ἐξέχω*.

8) N. 1915. Idem nomen in vase Candeloriorum, de qua re v. *Bullet.* 1829. *p.* 84.

9) N. 2140.

10) N. 2307.

11) N. 183. 1184. De forma nominis v. supra p. 52 n. 3.

12) N. 551. nomen est *ΦΙΤΙΑΣ*, quod possis *Φιντίας* supplere (vt supplet R. Rochette l. l. p. 6.), nomen Doriensium in Sicilia et alias. Sed n. 1533 legitur *ΦΙΛΤΙΑΣ*, et habes nomen, quod, sicut Philton, Atticae dialecto conuenit.

13) N. 558. Scriptum est *ΦΕΙΛΙΠΟΣ*, sed legendum *ΦΕΙΔΙΠΠΟΣ*, vt supra p. 58 n. 2. monitum est.

14) N. 561. 572. 578. 1115. cf. *Bulletino* 1830. *I. p.* 4.

15) N. 1386. 2308. (Mus. Etr. p. 11.) Hoc titulo collato apparet etiam in illo coniungenda esse vocabula *ΕΓΡΑΦΣΕΝ ΕΥΘΥΜΙΔΕΣ ΗΟ ΓΟΛΙΟ*. V. diuersas de ea re sententias Theodori Panofka et Eduardi Gerhardi, *Bullet.* 1829. *p.* 137. 142. *Annali* 1830. *p.* 208.

16) N. 1911.

17) Ex vasis Candelorii *Bullet.* 1829. p. 109.

18) N. 1005., si alterum vocabulum *ΕΓΡΑΦΣΕ* legendum est, vt putat R. Rochette p. 11. Nomen pictoris *ΟΛΤΟΣ* n. 1120. adhuc obscurum est.

ex celebrioribus Graeciae artificibus quaerendum, neque Nicosthenem nostrum esse eundem, quem Plinius inter claros pictores recenset. Sed memorabile est, quaedam inter haec nomina esse, quae et in vasculis aliarum et longe remotarum terrarum recurrant, velut Nicosthenes in vase Agrigenti reperto [1]), et Euthimides in vase Adriae ad mare superum inuento [2]), et Epictetus in alio aliunde aduecto [3]): validissimum profecto argumentum eius sententiae, ex qua haec figlina nauibus e longinquis saepe regionibus aduecta sunt. Ceterum in nominibus hisce nullum est, quod Doriensibus vel Aeolensibus proprium dicere possis, contra multa cum Atticis notorum hominum nominibus conueniunt, velut Nearchus, Andocides, Epitimus, Euxitheus. Amasis nomen haud dubie Aegyptum redolet, sed poterant commercia, quibus hic Aegyptiorum rex fauerat, nomen eius in Graeciam transferre, sicut Psammetichi nomen in Corinthiam Periandri stirpem illatum est. Sed fuit etiam, qui in Exechiae nomine de Hebraeo homine cogitaret: quem saniora docere frustra tentaueris.

Quod in innumeris vasis, ex omnibus fere, quas Graeci olim coluere, terris prouenientibus, eorum, qui literas scriptas rimantur, oculos primum in se conuertit, id etiam in his vasis admodum vsitatum est. Loquor de iis titulis, quibus Graeci pulcros homines vtriusque sexus, sed pueros saepius quam puellas, simplici pulcri epitheto extollunt. Frequentissima est simplex sine nomine proprio appellatio *ὁ παῖς καλὸς* vel *καλὸς ὁ παῖς;* cuius vocis formae corruptiores, *ΠΟΑΣ* et *ΠΑΥΣ* et *ΠΟΥΣ*, quae in vasis Campaniae frequentes sunt [4]), nus-

---

[1]) V. de hoc vase, quod est in Museo ducis de Blacas, R. Rochette p. 7. Th. Panofka *Bullet.* 1829. *p.* 138.

[2]) V. Lanzi in: *Giornale della Letter. Ital. Padov. T. XX. p.* 181. In vase legitur *ΕΓΡΑΦΕ ΕΥΟΝΜΙ*, quod Lanzi *Εὐώνυμος* legit, sed non dubito quin *ΕΥΘΥΜΙ* [*δης*] inscriptum sit. In alio vase Adriano Chaerestrati nomen est, quod Lanzi optime contulit cum Chaerestrato figulo, quem memorat Phrynichus, antiquae comoediae poeta, ap. Athen. XI. p. 474 b.

[3]) Hoc nomen est in vase collectionis viri elegantissimi Durand, de quo v. *Bullet.* 1829. *p.* 139.

[4]) De forma *ΠΟΑΣ* v. Mazochi intab b. Heracleens. p. 552., qui de nomine proprio Hopoas somniat. In vasis Kollerianis Musei Berolinensis legi *ΗΟ ΓΑΥΣ ΚΑΛΟΣ*, *ΚΟΛΟΣ ΗΟ ΓΑΥΣ*, *ΚΑLΕ ΓΟΥΣ*.

quam in his, quantum obseruaui, deprehenduntur. Non raro in his vasis additur etiam asseuerandi particula *ναίχι* [1]), plane vt in epigrammate Callimachi *ναίχι καλὸς καλὸς* coniungitur [2]); est etiam vbi salutatio additur *καλὸς χαῖρε* [3]); denique coniuncta reperiuntur *καλὸς καλὴ* (*ΚΑΛΕ*) [4]), quae vasa ad consortium iuuenis pulcri cum pulcra virgine respicere, et inter nuptialia dona oblata esse videntur. Neque vero rara sunt *τῶν καλῶν παίδων*, quorum pulcritudo celebranda sumitur, propria nomina; et licet ex vasis Volcientibus nomina colligere Megaclis [5]), Hipparchi [6]), Diogenis [7]), Leagri [8]), Acephiti [9]), Lyci [10]), Epidromi [11]), Niconis [12]), Solonis [13]), Memnonis [14]), Athenodoti [15]), Laboti [16]), Simiadae [17]), Pantaetii [18]), Phlebippi [19]), Euphileti [20]), Hip-

---

1) V. n. 154. 1174. (vbi liquido apparet *ΗΟ ΠΑΙΣ ΝΑΙΧΙ ΚΑΛΟΣ*) 1184 b. 1435 b. 1737 b.

2) Epigr. XXIX. (XXX.) *Λυσανίη, σὺ δὲ ναίχι καλὸς καλὸς, ἀλλὰ πρὶν εἰπεῖν Τοῦτο σαφῶς, ἠχὼ φησί τις ἄλλος ἔχει.* Id est: Quem nunc meum amasium dico, is propter inconstantiam statim alius amori se permisit.

3) N. 566.

4) N. 531. 542. 571. 769.

5) N. 551 b.

6) N. 561.

7) N. 562.

8) N. 584. 1186 b. 1510. Aperte idem nomen in his vasis apparet, quanquam ab auctore Mus. Etr. non vbique agnitum.

9) N. 1054. *ΑΚΕΦ ΙΤΟΣ ΚΑ . ΟΣ.* Nomen obscurum.

10) N. 1187.

11) N. 1425. 1473. Altera epigraphe ex altera corrigitur.

12) N. 1434 b. Idem titulus *ΚΑΛΟΣ ΝΙΚΟΝ* in vase Panathenaico est, quo Gerhardus victorem significari arbitratur. Offenderet sic omissus articulus. *ΚΑΛΟΣ ΝΙΚΩΝ* etiam in vase vt videtur Nolano ap. Mazochium in Tab. Heracl. p. 138. fig. 2.

13) N. 1434 b. Legitur quidem *ΣΟΛΟΣ ΚΑΛΟΣ*, sed videtur *Σ* inuersum *Ν* esse.

14) N. 1434. 1617. et b.

15) N. 1471. et b.

16) N. 1515.

17) N. 1617 b.

18) N. 1725.

19) N. 1758 b.

20) N. 1790. Nomen manifestum est, sed pro *ΚΑΛΟΣ* adest *ΚΑΛΕ*, quod ad nomen mulieris pertinere videtur, quod legi non potest. *ΟΙLΤΟΗΕ* in eodem vase videtur esse *Φίλτων*.

pocratis[1]), Leocratis[2]), Ctesilai[3]), Onetoris[4]). Quid quod ex vno horum vasorum[5]) sponsus et sponsa curru nuptiali vehentes et choro hymenaeum cantante deducti nominibus suis nobis innotuerunt, *Λυσιππίδης* (*ΛΥΣΙΠΙΔΕΣ*) *καλὸς* et *Ῥόδον καλή*[6]). Sed maiore pretio habebimus hoc vasculum, si cum alio vna reperto[7]) comparamus, quo quatuor virgines vel matronae ex fonte quodam, qui ex leonino capite profunditur et peristylio cinctus est, aquam haurientes pictae sunt. Trium inter eas nomina manifeste leguntur, sunt: *Μνήσιλλα καλή*, *Ἀνθύλη καλή* et ipsa nostra *Ῥόδον*. Quis antiquarum rerum paulo peritior hic non reminiscitur Attici moris, a Thucydide memorati, quo virginibus sponsis lauacrum solenni quodam modo ex fonte Calirrhoe siue Enneacruno, qui Pisistratidarum tempore opere architectonico excultus fuerat, afferebatur[8])? Etiam iuuenum illa nomina nos quasi in medias Athenas rapiunt[9]), et si Hipparchi nomen non statim ad filium Pisistrati reuocandum putauerim: non reprehenderem tamen, qui Megaclis nomen ad Alcmaeonidarum gentem rettulisset, cui nomen hoc auitum et ab auis ad nepotes tralaticium erat. Leagrum possis filium Glauconis habere, quem Plato comicus in Laio fabula inter molles, vt videtur, homines

---

1) In vasis Candelor. *Bullet.* 1829. p. 76.

2) In vasis Candelor. legitur *ΛΕΟΚΑΤΕΣ*, referente *Bullet. dell' Inst.* 1829. p. 82. Nomina, quae diffidentia quadam in hunc censum non recepi, sunt *ΚΑΛ* . . *ΧΣΙΠΡΟΣ* n. 1757 b. (*Ζεύξιππος* legit R. Rochette p. 14.) et *ΣΤΛΕΓΓΟΣ* 1758. et *ΚΑΛΕ ΕΥΟΤΜΕ* n. 1755. (*καλὴ Εὐπότμη*?)

3) *ΚΤΕΣΙΛΕΟΣ* ex figlino apud Dorowium memorat R. Rochette, *Journal des Savans* 1829. *Mars* p. 139.

4) Indidem hausi. Sed dubito an non recte scriptum sit *ΟΝΗΤΩΡ*.

5) N. 1547.

6) Pompa nuptialis venustissime in patera, quae omnium prima in his locis inventa est, apud Dorowium exhibetur, sponsi curru vehentes, Apollo et Diana eos excipientes, citharoedi, daduchi deducentes.

7) N. 1548.

8) Thucyd. II, 15. Photius s. v. *λουτρά* et *λουτροφόρος*. Suidas s. v. *λουτροφόρος*. Pollux III, 3, 43.

9) Solum Laboti nomen Doriensium dialecto magis conuenit, quam Atticae.

derisit[1]). Et Leocratem quidni putemus esse pulcrum Stroebi filium, qui epigrammate quodam Simonideo propter iuuentutis florem celebratur, quo circa tempus bellorum Persicorum excelluisse videtur[2]), aut, si mauis, iuniorem quendam eiusdem familiae? Iam mirari possis, quod has delicias, quibus Athenarum mellephebi demulcebantur, in vasculis deprehendimus, quae sepulcra Volcientium hominum, Vibiorum et Arusaniorum aliorumque, ad nostra usque tempora recondiderunt. Nimirum sumitur a plerisque[3]), omnia id genus vascula eo consilio ficta et picta esse, vt pueris adolescentibus solenni quadam in re, cum in gymnasia epheborum reciperentur, gymnastico quodam honore florerent, pallium virile sumerent, ab amicis dono esse oblata; eique opinioni fauent sine dubio tituli, quales in vasis Volcientibus plures reperimus: *χαῖρε καλὸς, χαῖρε σύ*[4]), *καλὸς εἶ*[5]), *προςαγορεύω*[6]). Sed nihilominus certum est, temporibus Aristophanis et insequentibus inter Athenienses moris fuisse, nomina pulcrorum puerorum, vbicunque spatium et locus dabatur, adiecta appellatione *καλοῦ* appingere vel incidere. *Ὁ Πυριλάμπους Δῆμος καλός* tum in omnibus postibus legebatur[7]). Serioribus temporibus praecipue muri Ceramici eroticis titulis pleni stabant[8]). Furibundus ille Praxiteliae Veneris amasius suum *καλὴ Ἀφροδίτη* cuivis

---

[1]) Athen. II. p. 68c. cf. Clinton. Fast. Hellen. p. 277. Krügeri.

[2]) V. Epigramma Simonidis in Brunkii Anal. T. 1. p. 139. n. 68. *Στροίβου παῖ* cum n ta Schneideri. Est idem Leocrates, qui Aeginam expugnauit.

[3]) V. ex gr. Millingen. *Peintures de vases de div. coll. Introd.* p. III. Propterea Visccntius, nomina *τῶν καλῶν* postea, cum figlinum dono daretur, addita esse putabat (ad Pio Clement. T. V. t. 13. p. 25.), quod fieri non potuisse, vbi nomen pictum exstet, certissimum est.

[4]) N. 547. 560 Idem in vasis Nolanis occurrit, Panofka in *Bullet.* 1829. p. 140.

[5]) Certa exempla sunt n. 1004. 1378. Etiam hoc in vasculo Campaniae. V. R Rochette l. l. p. 15.

[6]) N. 563. Etiam hoc in vase Campaniae scriptum monet R. Rochette p. 16. Memorabile est, ter in his vasis legi *ΠΑΙΔΙΚΟΣ* n. 585. 1122. 1514., quo consensu a mutatione in *παιδικὸν* retinemur.

[7]) V. Aristophan. Vesp. 98. cum Scholiis. Cf. Acharn. 144. et Schol.

[8]) Luciani dial. meretr. IV, 2. X, 4.

parieti tenuique arboris cortici incidit[1]). Ipsumque Phidiam, nota est narratio, *καλὸς Παντάρκης* digito collossei Iouis in templo Olympiae clam et furtim inscripsisse. Num mirabimur, etiam pictores figlinorum siue Athenis siue in alia Graeca vrbe, pulcrorum puerorum, quos vniuersus populos in ore ferebat, nomina vasculis inscripsisse, quae postea commerciis in longinquas regiones deferri poterant? Quanquam plura eo consilio sine dubio fecerant, vt ab amantibus emerentur et dono mitterentur, quod ex titulis iam dictis *καλὸς εἶ, χαῖρε σὺ* colligimus. Itaque et nuptiae illae pulcri Lysippidis cum pulcra Rhodo, si fama populari celebratae fuerant, in vase pingi poterant, quod, cum in foro figulorum veniisset, casus in sepulcrum Volcientis hominis detulit.

Conspicimus etiam exercitia et pugnas gymnasiorum in his vasculis nominibus inscripta, quae, vix dubitari potest, quin vere iuuenes in gymnasiis florentes vel sacris in ludis victores designent. Magna est in Museo Principis Caninensis patera[2]), elegantissime depicta, qua iuuenum lucta et pugno certantium ipsis corporibus nomina inscripta sunt (qui vsus titulorum non proprius erat Etruscis), quorum lectio ita constituenda esse videtur: Asopocles, Antimachus, Olympiodorus, Batrachus *καλὸς*, Dorotheus *καλὸς*, Ambrosius *καλὸς*, Cephisophon *καλὸς*, Antias, Phormus, Eratosthenes, Clisophus, Epichares, Timon, Cleon, Euagoras, Clibulus et alia quaedam obscuriora nomina[3]). Etiam his nominibus inest nescio qui quasi ex Hymetto odor; certe Athenis ad Cephisum multi erant Cephisophontes, et credi sane potest, Epicharem nostrum pugilatu eximium eundem esse Atheniensem puerum, qui circa tempora Peloponnesiaci belli Olympiae stadio vicit[4]).

---

[1]) Luciani Amor. 16. Cf. Callim. Cydippes Fragm. 1. cum Aristaeneto Epist. I, 10. Interpr. ad Theophr. Charact. XXI, vnde intelligitur, appellationem *τοῦ καλοῦ* etiam ad sepulcrales cippos transiisse. De vniuersa quaestione legendi inprimis Mazochi in Tab. Heracl. p. 138. 551. Boettiger *Vasengemälde* Fasc. III. p. 62—64. *Amalthea* V. III. p. 347. n. coll. 344.

[2]) N. 1645.

[3]) Vt *ΦΟΙΝΕΙΣ, ΕΡΟΝΟΣ, ΙΑΙΥΑΣ*. Nomen Charetis, quod Catalogus Mus. Etr. p. 9. et R. Rochette p. 14. legit, in tabulis lithographicis nusquam indicatum inueni.

[4]) Demosthen. in Thocrinem p. 1342. ex. Nomina *Κλείσοφος, Κλείβουλος* (cf. p. 53 n. 1.) ad eundem modum facta sunt,

Plerique tamen tituli, qui ad argumenta picturae declaranda adiecti sunt, deorum et heroum nomina continent, atque magnum nobis ad explicandas fabulas afferunt emolumentum. Quo adhibito intelligimus mirabundi, quanta tum etiam inter homines indoctos fuerit notitia heroicarum fabularum et epicae poeseos, siquidem nostra harum rerum cognitio, quam e poetis et mythographis hausimus, tum ignoratione rerum multa sibi obscura esse, tum ex ipsis his vasculis sedulo consideratis sibi augmenta petenda fateri cogitur. Pauca ex his nunc depromere iuuat[1]). Ex cyclo Troicarum fabularum conspicimus Troilum Priamidam ad aram Apollinis Thymbraei ab Achille crinibus arreptum atque interfectum[2]). Videmus in patera iam ab archaeologis celebrata Patroclum saucium, cuius vulnus ab Achille adolescente summa cura fasciis obligatur[3])

quo Clisthenis et Clidici (Paus. I, 3, 2.) Atheniensium, et Cligenis Acanthii (Xenoph. Hell. V, 2, 11.).

[1]) Plura recenset argumenta Millingenius in dissertatione de vasis Etruscis, „*On the late discoveries of ancient monuments in various parts of Etruria*“ (quae in nostrum sermonem conuersa legitur in Ephemer. Scholast. a. 1831. II. N. 52 sqq.) p. 412. Eiusdem epitome legitur: *Kunstblatt* 1831. *N.* 54.

[2]) N. 568. Caedes Troili etiam n. 529. picta est. Notum est de Troili caede in Cypriis narratum fuisse. Sed hanc nostram fabulam tangit Lycophro v. 307, explicante Tzetza. Fuchsius de fabulis Troicis p. 46. non satis recte hanc fabulam tractat; nam Seruii alia est narratio.

[3]) Vas est in collectione Dorowii et sociorum. Picturam internam, qua Achilles et Patroclus exhibentur, et externam edidit Institutum Archaeol. Monum. tb. 24. 25. In externa quis non agnoscat *εὔκυκλον* illam *ἕδραν*, *οὐράνου βασιλῆας πόντου τ᾽ ἐφεζομένους* (Pindar. N. IV, 67.) id est: Pelei et Thetidos nuptias. Videmus assidentes, nominibus additis, Amphitriten (literae adsunt *ΑΟΦΙΤΡΙΤΑ*, sed extremae obscurae), Vestam (*ΗΕΣΤΙΑ*) et octo alios aliasue, quorum nomina et partem figurae aetas deleuit, sed adnoscitur Thetis pisce, quem manibus complectitur, et sponsi assidentis videtur adhuc barba conspici. Adueniunt Mercurius (*ΗΕΡΜΕΣ*) *κριοφόρος*, Diana, (*ΑΡ. ΕΜΙΣ*) cum cithara, Hercules (*ΗΕΡΑΚLΕΣ*, sed plures literae corruptam habet formam); Horae (*ΗΟΡΑΙ*) autem, dea quadam, quam Venerem putauerim, prosequente, sponsum sponsamque adire videntur. Conuiuae in eo esse videntur, vt libantes fausta quaeque sponsis annuant. (*Καρχήσι᾽ ἔχον καὶ ἔλειβον, ἀράσαντο δὲ πάμπαν ἐσλὰ τῷ γάμβρῳ* dicit Sappho). Nescio quid de cosmicorum numinum consilio sibi finxit V. D. Francogallus,

Alia eaque egregia pictura [1]) Patrocli corpus ostendit contra impetum Troianorum defensum a propugnatoribus Achaeis, quo cum argumento in eodem vase coniungitur, quod inde consequebatur, Achilles Graecis placatus: quae res maximam partem e narratione Homeri hausta esse videtur, sed admixtis nonnullis ab hoc poeta alienis [2]). Ad Homeri descriptionem conuenit etiam alia pictura antiquo modo adumbrata [3]), qua Hector mortuus raptatur circa Patrocli tumulum, cui vmbra siue spectrum huius herois, adscripto nomine Patrocli, insidet, gaudens nimirum hoc tumuli sui honore [4]). Huic vasculo forma et magnitudine par est alterum eodem loco repertum [5]), quo pugna de Achillis corpore ex fontibus nobis ignotis adumbrata est: certe nullus scriptorum, qui nunc sunt superstites, nobis narrat, quod hic oculis conspicimus, Neoptolemum iam Achillis patris sui caedi adfuisse [6]). Idem vas, quo fabulas de Achille cyclo quodam complectatur, in exteriore superficie Thetidem a Peleo raptam exhibet cum Chirone et Nereide Pontomeda [7]). In aliis picturis huius cycli nulla est difficultas, velut in Hectore a Priamo et Hecuba armato [8]).

---

qui in Annalibus Instituti Archaeol. a. 1830. p. 232. commentarium de hac pictura scripsit. Sic in interiore et exteriore eiusdem vasis facie argumenta eiusdem cycli saepe coniungi notum est.

[1]) N. 1210.

[2]) Adest pugnae de Patrocli cadauere heros *ΗΙΠΙΣΟΣ*, qui pro Priamida Hippaso apud Hyginum, cuius quidem locus Priami stirpe admodum corruptus est, habetur.

[3]) N. 527.

[4]) Similis pictura Agrigenti inuenta est, in qua alata illa figura herois pro imagine Phobi s. Pauoris habita est, antequam hoc vasculum inueniretur. V. R. Rochette *Monum. inéd. Achilléide* tb. 18, 1. et l. l. p. 12. Minus persuasit mihi V. D., nomen adscriptum *ΚΟΠΙΟΣ* vel *ΚΟΝΙΟΣ* ad Hectorem puluere iactatum pertinere. — In vasculo apud Dorowium herois psyche eodem modo, quo Patrocli umbra, descripta est.

[5]) N. 544.

[6]) Adest etiam Aeneas, qui his in vasis saepius quam in aliis artis operibus exstat, a quo Nireus (si modo nomen liquido apparet) occisus esse videtur.

[7]) De hoc nomine v. p. 57. n. 10 *ΠΑΤΡΟΚΛΙΑ*, quod ibidem scriptum est, R. Rochette p. 12. explicat *Πατρόκλεια ἆθλα*, praemia in ludis Patrocli. Incertus haereo.

[8]) N. 1386. Sed turbas ciet editor Musei Etrusci, qui nomina heroum et pictoris miro modo confundit.

Aliud argumentum, quod in his picturis late patet, fabulae de Hercule obtulere. Videmus Herculis cum Apolline de tripode contentionem [1]), pugnam cum Alcyoneo Gigante [2]) atque Amazonibus, Lycopide et Andromache [3]), cuius rei in vasculorum picturis frequentior est mentio quam in scriptoribus antiquis, certamen cum Nereo marino deo [4]), atque, vt alias pugnas taceam, ridiculam illam Herculis Melampygi cum Cercopibus rixam [5]). Est etiam vas antiquo modo depictum, quo Herculi in Olympum recepto sponsa Hebe obuiam venit, a Iunone et Minerua perducta [6]). Saepe Herculi additur Ioleos [7]), etiam aurigae munere fungens, sicut in Scuto Hesiodeo. Inter ea vasa, cuius Musei Etrusci Volumine primo mondum pictura describitur, sed tituli tantum breuiter indicantur, est quoddam [8]), quo Hercules cum Gleno filio suo componitur, Doriensis stirpis heroe tam tenuis memoriae, vt nomen eius apud Pausaniam plane obliteratum recentissimo tantum tempore restitutum

---

[1]) N. 1182. *ΔΕΤΙΟΙ* in hoc vase Delios deos significare (R. Rochette l. l. p. 9.), etiam mihi vix credibile visum, quanquam etiam *Δεξιοπάλων* et *Δηιοπάλων* (Panofka *Annal. Instit. V. II. p.* 209.) me assentientem non habet. Etiam n. 1533. certamen illud exhibet.

[2]) N. 1533. cf Panofka in Annalibus Instituti V. II. p. 205.

[3]) N. 798. b. *ΛVΚΟΠΙΣ ΗΕΡΑΚΛΕΣ ΑΝΔΡΟΜΑΧΕ.* In vase apud Candelorios tres Amazones appellantur Antiopea, Andromache et Hypsipyle, vt videtur. V. *Bulletin.* 1829. p. 109. In vase Pr. Canin. n. 527. duae Amazones nomina habet *ΑΝ. ΡΟΜΑΧΕ* et *ΑΓΡΕΠΟ*, quod *Ἀερόπη* esse videtur. In vasculo apud Dorow. Amazo cum Hercule pugnans adscriptum habet *ΑΝΔΡΟΜΑΧΕΣ.* Item in vase Neapolitani Musei, de quo Panofka *Neapels ant. Bildw.* 1. p. 350.

[4]) Cui nomen adscriptum est *ΤΡΙΤΟΝΝΟΣ,* apud Dorowium. Cf. R. Rochette p. 10.

[5]) Indicante R. Rochette l. l.

[6]) Vas est in collectione Durand Parisiis et describitur *Annali dell' Inst.* 1830. p. 334. Nomina adsunt *ΗΕΡΑ, ΗΕΒΕ, ΑΘΕΝΑΙΑ, ΙΟΛΕΟΣ, ΗΕΡΑΚΛΕΣ.* Etiam equis Herculis, quos Iolaus regit, nomina adsunt *ΓΕΛΚΟΣ* vel *ΠΕΛΚΟΣ* et *ΑΡΙ* (vel *ΑΔΙ, ΑΕΙ*), quod lego *ΑΡΙΟΝ.*

[7]) N. 798. b. 1003. 1635. cf. supra p. 53. n. 5. et nota praecedente dicta.

[8]) N. 1914.

sit[1]). Apparet, quanta ab his vasculis, ex quo luculentius virorum doctorum oculis proposita erunt, subsidia ad fabulas heroicas et epicam Graecorum poesin cognoscendam petenda sint.

Sed praeter has fabulas, quas Graeciae vniuersae communes dicere licet, nullae tot horum vasorum picturis celebratae sunt, quam Atticae. Videmus Athenarum deam Palladem, sicut in peplo quem Panathenaicis ludis sibi dedicatum accipiebat, cum Encelado depugnantem, eodem gigante, quem in Phlegraea pugna deuicisse ferebatur[2]). Habemus etiam Mineruam, paruulum Erichthonium, quem Terra ex profundis sustollit, aegide substrata materna quasi sollicitudine excipientem, in pictura vasis, quae nouitate compositionis et elegantia lineamentorum omnium iam oculos in se conuertit[3]). Etiam Panathenaea solennia vno horum vasorum habemus adumbrata, id est deae statuam in basi exstantem, aram deae, vaccas iuuencas a sacrificulis vel praeconibus adductas, tibicines, citharoedos, omnia fere eodem ordine exhibita, quo in zophoro Parthenonis, cum integrior exstaret, conspiciebantur[4]). Omnino nullum numen in his vasis pictis saepius adspicitur quam Minerua. Posthaec Neptunum videmus Aethram, Pitthei filiam, rapientem[5]), quam matrem deinde fecit Thesei. Theseus

---

[1]) Pausan. IV, 30, 1. Restitui in Britannica libri de Doriensibus editione T. I. p. 61. [cf. ed germ. II. T. I. p. 54. n. 2.]

[2]) N. 1606. *ENKELAΔΟΣ AΘENAIA.* De Encelado in peplo Panathenaico v. Boeckh Trag. princ. p. 194.

[3]) Edidit Institutum archaeol. Monumentis tb. 10. Cf. Panofka in Annal. 1829. p. 292. et Lange in epistola valedicente ad Ilgenium, qui ex hoc vasculo eandem statuae Berolinensis explicationem sumsit, quam in Relat. Gottingensibus n. 202. p. 2012. a. 1830. proposui.

[4]) Vas erat apud Dorowium. Iuxta tibicines et citharoedos versus decurrunt literas quidem, sed verba nulla continentes. Sed soni effici videntur, eiusdem fortasse significationis, quam illud *τὸ φλαττοθρὰττ* etc. atque *τήνελλα* et similia continent. Saepe autem negari non poterit, pictores, scribendi vel imperitos vel incuriosos, his literis lusisse tantum, et speciem titulorum vasis suis dare voluisse Interdum videntur scripturi fuisse *ΚΑΛΟΣ ΗΟΠΑΙΣ*, sed inter scribendum temere in alia omnia abrepti esse.

[5]) N. 1610. cf. supra p. 57. n. 4.

ipse saepius in raptu Antiopeae Amazonis pingitur, in quo et a Pirithoo, Lapitharum rege, et a Phorbante adiuuatur[1]). Atque hunc ipsum Phorbantem mythographus Atticus Pherecydes narrat, aurigam fuisse Thesei eique in rapienda Amazone affuisse[2]). Vides igitur argumentum, quod Attica fama seruatum erat, et vix alibi notum fuisse videtur, figlino hoc adumbrari, eodem fere tempore, vt videtur, quo Pherecydes fabulam, Atticorum ore exceptam, literis consignauit[3]). Alio vase, cuius adhuc tituli tantum innotuere, Helena a Theseo rapta repraesentari videtur[4]); alio[5]), cuius accuratiorem descriptionem auidissime exspectamus, Minotaurus, qui *Ταῦρος* dicitur, ab eodem heroe Attico interficitur, adstante Ariadne, quae *Ἀριάνη* in hoc et in alio vase dicitur[6]). Hoc, quod inter Dorowiana est, ingeniose coniungit Theseum a Minerua non sine vi abductum et Ariadnen Liberi patris amplexibus exceptam.

His deducimur ad Bacchica argumenta, quae cum in vasculis Magnae Graeciae latissimum campum occupauerint, in his Volcientibus arctioribus multo finibus circumscribuntur. Ad nomina Satyrorum vel Bacchicorum daemonum, quae e vasculis didicimus, accedit ex his *ΒΡΙΑΧΟΣ*[7]) i. e. Briacchus[8]): quo ipso nomine Sophocles Baccham furentem dixerat[9]). Iam verisimile fit, Sophoclem id nomen ex populari dialecto traxisse, indidemque sumsisse, vnde sumsit etiam figlini pictor. Sed magis memorandum, in vase apud Candelorios etiam Atticum Jacchum occurrere, eleganter et saltatorie, vt videtur, se mouentem, fere ita vt Jacchus ab Aristophane in Ranis

---

[1]) N. 560. b. In vase n. 1614. Neptunus filium suum a persequentibus defendere videtur.

[2]) Scholia ad Pindari Nem. V, 89.

[3]) Antiquiore enim more vasculum hoc pictum est.

[4]) N. 1941.

[5]) N. 2305. coll. *Bulletin.* 1829. *p.* 178. In altero latere huius vasis dicitur Minos, nomine adscripto, sceptrum et coronam accipere a Demodice (Populi iure?).

[6]) Plures res a Theseo gestas Millingen. l. l. p. 413 memorat.

[7]) N. 1005. b. Ibidem Maenas picta est, cuius nomen *ΕΡΟΦΥΛΛΙΣ* supplendum esse videtur.

[8]) Cf. supra p. 58. n. 2., et quae de nomine *Καγχρυλίων* dicta sunt p. 61. n. 4.

[9]) v. Etymol. M. s. v.

describitur, sed a Baccho, qui in eadem pictura adest, discretum.[1]) Nomen aspiratione auctum est (Ἴακχος), quod ex Attico sermone fluxisse videtur[2]). Hic etiam Bacchicarum commissationum mentio iniicienda est; ex quibus vni[3]) nomina iuuenum, qui nudi et floribus redimiti decurrunt, adscripta sunt: *Κώμαρχος*, *Τέλης*, *Ἑλέδημος*, quae vix certorum hominum propria nomina haberi possunt, sed, quas quisque commissatorum in hoc thiaso partes expleat, significare videntur, ita vt *κώμαρχος*, simile Thaliarcho, magistrum conuiuii, *τέλης*, qui nouitios his sacris initiat, indicet, *Ἑλέδημος* autem nomen sit a potentia vini ad hominem translatum[4]).

Iam si omnia, quae hucusque ex literatura, dialecto, nominum forma et argumentis picturarum colligere nobis visi sumus, vna comprehendimus rationesque subducimus: vndique nos ad Athenas Atticas quasi compelli sentiemus. Nam Aeolenses omnes et Dorienses Graecos, quo Aeginetarum, Corinthiorum, Agrigentinorum officinae pertinent, dialectus, quae in his titulis conspicitur, excludit: atque, vt supra iam monuimus, soli Chalcidenses Graeci, inprimis qui ex Chalcidensibus et Aeolensibus mixti erant Cumaei in Oscorum terra, praeter Athenienses iure quodam vasa haec sibi poscere possunt. At quanquam certo nullo argumento horum postulationi obniti possumus: etiam ex contraria parte nihil, quod iis eximie faueat, afferri potest. Certe, si Cumana nostra vasa habes, singulare inter hos atque Athenienses linguae, morum

---

[1]) *Bulletino dell' Inst.* 1829. *p.* 76.

[2]) *ΙΙΙΑΧΟΣ*. Nisi forte *ΒΡΙΑΧΟΣ* legendum erit? — Vas, a. R. Rochette p. 10. memoratum cum satyrorum et maenadum nominibus: *ΚΙΣΟΣ* i. e. *Κίσσος*, *ΧΟΡΟΣ* etc., in Museo Etrusco Luciani Principis non describitur.

[3]) N. 1386. b.

[4]) Inscriptio, quae eidem picturae addita est: *ΗΟΣΟΥΔΕΠΟΤΕΕΥΦΡΟΝΙΟΝ* quam Panofka Bullet. 1829. N. X. p. 140. *ὅσον δήποτε εὔφρων*, *soyez heureux autant que possible*, et Gerhard. ib. p. 143. *ὃς οὐδέποτε εὔφρων*, *quello che non è mai prudente* (de comarcho) legere vult, quomodo intelligenda sit, mecum nondum constitui. Sed titulum n. 1004.: *ΗΟΔΕΠΟΤΕΝΤΙΚΙΝΟΙ*, musicis hominibus adscriptum, quem Gerhardus l. l. p. 144. *ὧδέ ποτ' ηὔλει μοι*, *così un giorno suonò a me dinanzi*, explicat, fortasse principium versus heroici habere licet: *ὧδέ ποτ' ἐν κλεινοῖς* [*ἕλετ' ἄφθιτον εὖχος ἀγῶσιν*].

et fabularum commercium fuisse statues, quale inter eos tum intercessisse, quanquam miror, non pernegauerim tamen [1]). Iis vero, qui in eadem, in qua effodiuntur, plaga haec vascula ficta et picta esse sibi persuasere, alterutrum, si quid video, sumendum erit: aut reuera coloniam Graecam, Attico sermone loquentem, has barbarorum oras insedisse, iisque cultum suum intulisse, aut permagnum inquilinorum vel, vt proprie loquar, metoecorum numerum in Etrusca vrbe domicilium fixisse, eosque peregrinum sermonem, morem, sacra et fabulas seruasse pura omnia et intemerata. Sed vt ad priorem coniecturam respondeam, Graecam ad mare inferum inter Etruscos fuisse coloniam, omnis antiquitas ignorat; nisi quis Pelasgos Tyrrhenos huc attulerit ab hac quaestione alienos: potius fatendum, Graecos et Etruscos florentibus vtriusque nationis temporibus in coloniis condendis se inuicem deuitasse eodem modo, quo Graecos et Phoenices in diuersa litora abire videmus, quamuis luxus et elegantiae studium frequentissima inter eos commercia iunxisse videatur. Denique ex inscriptionibus illis vere Etruscis, eodem loco repertis, de quibus supra monui, et ex nominibus, quae eae continent, plane a Graecorum more alienis, apertissimum fit, Etruscas familias hos agros obtinuisse, et in suis sepulcris Graeca haec vasa condidisse.

Hoc etiam Millingenio opposuerim [2]), qui populum Graecum, Atheniensibus vel Chalcidensibus cognatum [3]), qua in re mire consentimus, hic habitasse, vel certe, cum Umbri indigenae inferiorem plebem efficerent, nobiliores gentes constituisse putat, easque morum elegantiorum appetentes et tenaces; idemque potissimum viro docto, qui Millingenii commentationem ad eas, quae in Germania vigent, opiniones accommodauit (Klausenio) [4]), qui cum Niebuhrio populum Tyrrhenorum vsque ad tempora Porsenae, a Rasenis ex Italia superiore prorumpentibus disiunctum, terras intra Tiberim et Arminiam coluisse, eosque Tyrrhenos antiquae cum Graecis consanguinitatis memores diuturna commerciorum contagione sacra, fabulas,

---

[1]) Notum est ex Velleio, Chalcidensibus, qui Cumas condiderunt, duces tribui *Atticos*, Hippoclem et Megasthenem.

[2]) Cuius dissertationem de hac re p. 67. n. 1. adduxi. Eandem sententiam etiam significauit in Annal. Inst. Archaeol. 1830. p. 231.

[3]) p. 420.

[4]) v. ibidem p. 428.

artesque Graecorum adsciuisse cupideque semper expetiuisse sibi persuasit. A qua sententia, quamuis acute exposita, etiam ea de causa mihi descedendum est, quia omnino nihil Pelasgici siue Tyrrhenici siue quo alio nomine appellare mauis, in argumentis et specie harum picturarum obseruatur, sed nihil nisi pura puta Graecia. Atqui hanc, quam dixi, puram putamque Graeciam seculis post Romam conditam tertio et quarto in Etruria paucis ab Vrbe millium passibus floruisse, neque quenquam Graecorum et Romanorum scriptorem ea de re quidquam memoriae mandasse, inter incredibilia habendum est.

Sin vero ad illud confugeris, vt metoecos Volcientium haec figlina fecisse statuas: ingenti numero figlinarum officinarum hoc Etruscorum oppidum replebis: tot fictorum et pictorum nomina in vasculis iam repertis exstant; atque in his figlinis officinis artis spiritum et ingenium viguisse ponendum erit, qualem nusquam alias in Etruria deprehendimus; idque, quod maxime mirum, in ea Etruriae parte, quae neque artium cultu, neque iis mercaturae commerciis, quae tot metoecos allicere potuerint. unquam floruisse traditur.

Iam multo facilius, vt mihi quidem videtur, sumitur, naues mercatorias ad haec litora appulisse figlinis onustas. Cui sententiae mirum quantum fauet, quod, sicut Volci, ita omnia Etruriae loca, quibus vasa figlina Graecorum modo adornata et picta reperiuntur, litori vicina sunt. Sunt, quod adhuc compertum habemus, praeter Volcientium agros, inprimis Tarquiniensium et Caeritarum ager[1]), qui vasa picta tum antiquioris tum pulcrioris speciei obtulere; nonnulla etiam circa Viterbium oppidum, qui locus olim Volsiniensium fuisse videtur, et prope Polemartium (Bomarzo) ad Tiberis ripam inuenta sunt[2]). In qua vasorum frequentia agnosco commercia Agyllaeorum et Tarquiniensium cum Graecis populis. Multo rarius est hoc vasorum genus in sepulcris Clusinis, quae sua habent vasa, facta ex argilla nigrescente, rudi specie et informibus caelaturis; neque vsquam, quod sciam, haec figlina Perusiae, Arretii aliisue in vrbibus interioris Etruriae effossa

[1]) De Tarquiniis res notissima, de Caeretanis vasis v. Millingen. l. l. p. 414.

[2]) De vasis Polemartii v. Stephanum Camillum in: *Bullet. Inst.* 1830. *N. XII. p.* 233.

sunt. Contra ad alterum siue superum mare Adria, vrbs Etrusca, sed commerciis Graecorum florentissima, vasa Graecorum more picta titulisque Graecis inscripta, magno iam numero protulit et seruat[1]): quae si cum Volcientibus vno oculorum obtutu comparari possent, fortasse verum illico appareret.

At vero, iam ex altera parte mihi inclamabitur, quis vnquam crediderit, tantam fuisse in orbe antiquo vasorum figlinorum et pictorum mercaturam, qua effici potuerit, vt tot millia vasorum Atticae originis intra angustos fines sepulcrorum Volcientium reperirentur? Audio et lubens concedo, neminem crediturum fuisse, si haec vasa in aeternum sepulta iacuissent: nunc cum protracta sunt, credere cogimur. Neque videmus, quidni tot vasorum millia nauibus mercatoriis illata credamus illis temporibus, quibus post Phocaeensium ausus laetissima inter Graecos et Etruscos commercia effloruerant. Attica inprimis figlina inter opificia Athenarum primum locum tenuisse constat; ipsaque Minerua *κέραμον* siue figlinum vas, quem poëta quidam festiue terrae rotaeque et camini filium dixit, inuenisse ferebatur; et picturata amphora, limpidissimo oleo repleta, Panathenaeorum praemium exstabat[2]). Etiamnum ad muros antiquarum Athenarum acerui sunt ex fragmentis pictarum testarum omnis generis compositi, qui eodem loco officinam figlinorum fuisse demonstrare videntur[3]). Antiquis iam temporibus haec figlina in Peloponnesum exportabantur, cuius ex parte ante Persica bella ab Aeginetis et Argiuis, quippe Atticae inuidentibus suisque officinis fauentibus, excludebantur; etiam in Boeotiam mercando delata esse videntur[4]); denique Attica vasa, crateras Coliadis argilla confectos, vbique in Graecia videres[5]). Cum ineunte vere vinum e doliis

---

[1]) Ad ea, quae de Etruscis scribens T. I. p. 229. dixi, addantur, partim iam alibi monita, Lanzi in *Giornale della Lett. Ital. Padova* T. XX. p. 180. Welcker *Zeitschrift* I. p. 239. et quae Steinbuchelio auctore retulit R. Rochette, *Journal des Savans Mars* 1829. Cf. supra dicta, p. 62. n. 2.

[2]) V. de his rebus, quae in Annalibus Vindobonensibus T. XXXVII. p. 271. scripsi.

[3]) Gropius in *Bullet. Instit.* 1830. *IX. p.* 196.

[4]) Aristoph. Acharn. 902.

[5]) Matro apud Athen. IV. p. 136. f. Eratosthenes ap. Macrob. Sat. V, 21.

maioribus, in quibus per hiemale tempus efferbuerat in amphoras et alia vasa minora diffundebatur, quo tempore solennia *τῶν Χοῶν* siue *Ἀνθεστηρίων* abibant: simul Athenis mercatus amphorarum aliorumque figlinorum instituebatur, in quo etiam Phoenices vasa coëmebant, quibus Graeca vina ad Cernen vsque in Africa occidentali deuehebant[1]. Ea vero fictilia, etiamsi vilissimo cuique quotidianae vitae ministerio inseruiebant, dummodo ne igni exponenda essent, magnam certe partem pingendo ornata fuisse, multa me mouent vt credam. Graeci enim, mira quadam facilitate in artis operibus libero instinctu producendis gaudentes, cuius locum recentioribus Europae gentibus serua eiusdem protypi imitatio machinarum potius quam hominum opera perfecta tenet, arte sua, quippe vili inter homines tam ingeniosos, summa liberalitate et profusione quadam vtebantur. Crateres, quibus vinum in conuiuiis apponebatur, et similia vasa in ipsis vasorum picturis saepe picta exhibentur. Quid quod etiam vascula, quae flammis rogi iniiciebantur, vt liquorem quem continebant, velut vinum libaminis vel oleum aliquod aromate conditum, fracta diffunderent, — qui mos in sacris inferorum deorum obseruabatur[2] — picta fuisse monstrant fragmenta eorum in sepulcris inuenta: inueniuntur enim eiusdem vasis frusta pro diuersa ignis vi, prout pyra diutius breuiusue eo loco flagrauerat, magis minusue adusta et atrata, sed agnoscuntur etiam tum picturarum lineamenta et colores[3].

Posthaec iam nihil me retinet, quin persuasum mihi esse pronuntiem: vasa Volcientia pleraque omnia aut ab ipsis Athenis aut ex vrbe cum Athenis coniunctissima originem trahere, et monumenta iis inesse eius in arte facilitatis et praestantiae, quae Athenarum in vrbe Polygnoti et Phidiae temporibus etiam infimos opificum magis quam artificum gradus, quo ipsa antiquitas nullo fere honore habebat,

---

[1]) Scylax Per. p. 54. In ruderibus Carthaginis vas pictum inuentum esse dicitur cum titulo, Doriensi dialecto conscripto, *ΧΑΡΜΙΝΟΣ ΘΕΟΦΑΜΙΔΑ ΚΩΙΟΣ*. Neapol. Antiq. ed. Gerhard et Panofka p. 348. VII, 2, 2, 32.

[2]) Seruius ad. Virg. Aen. VI, 225. Cf. Schol. ad. Aeschyli Choeph. 95.

[3]) Addi potest, etiam crepitacula puerorum ludis destinata ex argilla ficta et picta fuisse (R. Rochette *Monum. Inéd. I. p.* 197).

peruassisse putanda est. Haec cum affirmo, simul intelligo, eam persuasionem iis tantum, quae hucusque libris innotuerunt, niti, et plenum de ea re intelligentium consensum postulari non posse, nisi vasa Volcientium eaque, quae in Attica ipsa inueniuntur, accurate comparata fuerint, et formae figlinique operis conditio, et picturarum colores, lineamentorumque χαρακτήρ. Multum autem abest, vt Graeciae terram ad hoc vsque temporis satis iam moliti et perscrutati sint indigenae peregriniue, quo, quid vasorum in sepulcris ipsius Graeciae exstet, vno quasi conspectu comprehendi possit. Sed imminet tempus, quo, sicut nunc Aeginae inter fundationem cuiusuis fere publici aedificii sepulcra vasis plena eruuntur, etiam Athenarum subterranea magnificentia lucem conspiciet et artis historiam multimodis illustrabit [1]). Vtinam saltem opus viri elegantissimi, Ottonis de Stackelberg, de sepulcris et vasis Atticae mox exspectantium in manus et oculos veniat [2]). Hoc interea iam innotuit, eadem omnia vasorum picturae genera, quae Magna Graecia cum Etruria obtulit, etiam specimina sua habere inter vasa Graeciae ipsius. At formas vasorum, obiicitur, non tam diuersi generis in Graeciae sepulcris exstare quam in Italia [3]). Sed hoc facile explicatu. Nam Athenienses, Aristophane teste scimus, sepulcris suorum peculiare vasorum genus, quod ληκύβους siue guttos dicunt, destinasse, quod ad hunc ipsum vsum pingebatur: eademque est species plurimorum vasculorum in ea regione repertorum, quae nunc balsamaria vocant. Italiotas autem et Etruscos, ex eorum sepulcris probabile fit, omne vasorum genus, quod a viuentibus adhibebatur, etiam mortuorum sepulcris consecrasse et studio quodam ad eorum ornatum composuisse [4]).

---

[1]) De vasis Atticae v. Aemilium Wolf in Bullet. 1829. p. 126.

[2]) Cf. de hoc opere Bullet. 1829. p. 117. 118.

[3]) v. Aemilium Wolf l. l. p. 128.

[4]) Neque hoc difficile explicatu, quod vasa albata multisque coloribus picta et inaurata, quae in Attica frequentia, in Etruria raro reperiuntur. V. Ed. Gerhard p. 128., qui ipse fatetur, deesse adhuc subsidia iudicii satis certi. De vase Volcienti inaurato v. *Bullet. dell' Inst.* 1829. *p.* 79. Simile multis Volcientibus picturae specie et titulo est vas Aeginae repertum et descriptum *Bullet. a.* 1830 *p.* 129., quod vel eo tempore, quo Aegina Atheniensium erat, vel insequente factum esse videtur.

Lineamentorum picturaeque in vasis Volcientibus χαρακτήρ in iis, quae figuras nigras habent, antiquam habet seueritatem et austeritatem, sed coniunctam eam saepe cum diligentissima singulorum vestimentorum armorumque, quae lineis intus sparsis adumbrantur, descriptione; in iis autem, quae figuras habent lucidiore colore exstantes, summa saepe est figurarum, quantum testes optimi affirmant, atque auctor huius commentationis ipse notauit, et sublimitas et venustas, veritati proxima grataque simplicitate commendata[1]). Sed agnoscitur simul diligentia maior, quam in vasorum picturis exspectari solebat, et accuratio quaedam in lineamentis subtiliter ductis, quae a prisca illa seueritate nonnihil retinuit, atque interdum etiam in anxiam quandam et minutam naturae imitationem abit, velut in celebri illa Patrocli et Achillis medici pictura[2]), longissime autem abest a leuicula illa et cito sibi satisfaciente negligentia, quae in Campaniae vasis vbiuis fere apparet. Itaque etiam in hac re vasa, de quibus diximus, notioni conuenirent, quam artis historia edocti de pictoribus, qui Cimonis et Periclis temporibus Athenis floruerunt, de Polygnoto, Micone ceterisque ante Zeuxin, nobis impresseramus: quam conuenientiam quo minus nunc singulis rebus demonstrare audemus: eo maiori spe erigimur, fore vt ex sepulcris Volcientium ad artis Graecae et Atticae potissimum historiam explendam et solidandam noua subsidia et augmenta nanciscamur, dumne omnia, quae hic disputauimus, tanquam vana et irrita improbentur.

Complementum.

1832.

Hanc commentationem, quae ante quindecim menses scripta et nunc, cum minime exspectabam, typis mandata

---

[1]) Inter haec sunt picturae Erichthonii a Pallade suscepti, de qua supra p. 58. n. 2., et Tilyi propter Latonam ab Apolline interfecti, iisdem Monum. tb. 23., haec magni laudibus elata a Millingenio, *Annali* 1830. *p*. 230 Propterea nescio an non recte dux Luynensis in Annal. Instit. 1830. p. 243.: *La plupart des vases de Vulcia et de l'Etrurie ont une physionomie de copie que l'on ne saurait se dissimuler.*

[2]) Supra p. 67. n. 3. cf. ducem Luynensem in Annalibus Instituti 1830. *p*. 238 sqq.

est, cum ad statum quaestionis, qui nunc obtinet, accommodare non potuerim: saltem notabo, quae potissimum a lectore meae opellae ad pleniorem rei notitiam parandam adhiberi velim. Nam quo tempore equidem e Museo Etrusco Principis Caninensis, quo solo fere vti tum licebat, quantum frugis possem percipere studebam: eodem Eduardus Gerhardus, vasorum eorum αὐτόπτης studiorumque archaeologicorum idem ἐπόπτης, post accuratam figlini operis, picturaeque generis et argumentorum titulorumque inuestigationem de vniuersa re ad commune archaeologorum retulit: quae relatio inscripta: *Rapporto intorno i vasi Volcenti*, Instituti Archaeologici Annalium a. 1831. priorem partem inde a pagina quinta ad ducentesimam decimam octauam implet. Magni huius et docti operis breuem notitiam cum nostratibus communicaui in Relat. Gotting. 1832. f. 102—104. Additae huic sunt duae Monumentorum tabulae, XXVI, XXVII, quibus vasculorum horum variae formae variumque pingendi artificium quodammodo adumbrantur; explicatque eas Ed. Gerhard. Annalium p. 221—270. Idem V. D. quid nuper in effodiendis sepulcris agri Volcientis effectum sit, enarrat: *Bulletino dell' Instituto* 1831. *N. V. VI. p.* 83. 86 sqq. Leguntur in iisdem plagulis menstruis Epistolae ad vasa Volcientia spectantes tres, prima Ed. Gerhardi ad Theodorum Panofka (*Bulletino* 1831. *N. XI. a. p.* 161.), qua scriptor sententiam suam de vasis illis breuiore sermone complectitur; altera V. D. Theodori Panofka ad Ed. Gerhardum (*Bulletino* 1832. *N. IV. p.* 65.), qua praecipue de Graecis nominibus, quibus vasorum genera appellanda sint, disseritur; tertia Ed. Gerhardi ad V. Cel. Car. Bunsen, cuius auctor sententiam a Boeckhio de vasis Panathenaicis propositam, quam postea indicabimus, measque opiniones, quae ipsi per Relat. Gotting. a. 1831. n. 133. 134. innotuerant, exponit easque cum suis comparat iudicioque subiicit.

Haec antequam inter Socios Instituti Archaeologici agerentur, Britannus nobilis, studio bonarum artium insignis, Dudley Stuart, literis ad virum illustrem Comitem Aberdeenensem datis, Catalogi Vasorum a Principe Caninensi editi magnam partem in sermonem Anglicum conuersam proposuerat, et, quod maioris aestumandum, titulorum imagines adiunxit aliquantum pleniores, et vt videtur, accuratius etiam ad archetypa expressas, quam quae Museo Etrusco

Princ. Canin. adiectae sunt. Lectae hae literae in consessu Archaeologicae Societatis a. 1830. Februario mense, editaeque in Vol. XXIII. Archaeologiae Britannicae, p. 130 sqq.: *Catalogue and Account of certain Vases and other Etruscan Antiquities discovered in* 1828 *and* 1829 *by the Prince of Canino, translated by L. Dudley Stuart.*

Et, ne nostratium obliuiscar, meritissimus Annalium Philologiae et Paedagogiae Editor, Io. Christ. Jahn, cum de Etruscis antiquitatibus tum de vasis Volcientibus opera et opuscula fere omnia superioribus annis edita recensuit et plura lectu vtilia inde excerpsit. V. Annales eos a. 1831. T. III. p. 353 sqq.

Nunc quae sententia ex omnibus his laboribus emicuit, et tum mihi ex tenuiore penu tum aliis ex lautioribus multo copiis prompta fuit, haec est: ad Atticam Atticaeue simillimam et proxime cognatam quandam stirpem digitum intendere horum vasorum et argumenta picta et titulorum linguam et literas. Nam de Graecitate, vt verbo vtar, horum vasorum Graece doctus iam nemo dubitat, atque priscae Italorum arti nescio cui haec opera vindicantium admiramur magis patriae amorem quam doctrinam et ingenium. Sed in eo adhuc discrepant et in diuersa abeunt sententiae, quibus locis Attica haec opificum, artificum secta finxerit pinxeritque. Nam cum Gerhardus et Millingenius aliique coloniam quandam siue Atheniensium siue Chalcidensium ad litora Etruriae deducant, cui has officinas tribuant: equidem cum V. Cel. Rodolpho Rochette etiamnunc, commerciis maritimis illata esse ea vasa, vt probabilius coniectum sequor. Quibus de causis etiam post argumenta, vt fateor, satis grauia, quae Gerhardus exposuit, vt Graecam coloniam, vel Graecos Etruscae vrbis municipes (hanc enim Graecorum fuisse cum Etruscis Volcientibus ἰσοπολιτείαν, Gerhardus in epistola ad Bunsenium statuit) hoc in litore artes eo feruore coluisse credam, a me impetrare non potuerim, in illa censura operis Gerhardiani partim indicaui. Restat tamen argumentum, cui auctor eius sententiae plurimum tribuere videtur, id quod a Tyrrhenica quadam fabrica, quae in formis multorum inter Volcientia vasorum conspiciatur, et pingendi peculiari genere, quod cum illa coniunctum sit, repetiit: hoc enim quanti sit ponderis, non ego sed qui tum ipsa vasa Volcientia tum eorum, quae ex Campania, Sicilia,

ipsa Graecia prouenere, plura millia collecta viderit, poterit iudicare. Et vidit quidem archaeologus ille, Germanus origine, diuturno vitae vsu Italus: sed vt integram nullaque exceptione circumscriptam fidem eius iudicio haberemus, opus esset vt vasa plurium, quam nunc sunt, locorum Magnae et propriae Graeciae seorsum diligenter examinata essent, vt, quod omnium maxime necessarium videtur, vasa Nolana, quae vrbis semigraecae et temporis iam fere recentioris sunt, a Cumanis, quae genuinum magis et priscum Graeciae colorem repraesentare coniectauerim, segregata, et horum ex sepulcris, vt dicunt, maximam partem adhuc intactis et illibatis maior numerus protractus et cum Volcientibus in comparationem commissus esset. Qui enim, antequam de his rebus certiores facti simus, satis cauebimus, ne Tyrrhenicam fabricam eam dicamus, quae Graecorum officinis patefactis fortasse nonnisi species quaedam Graecanici operis apparitura sit?

Verumtamen et ipse, quanquam incredulus, si Atticam hanc artis disciplinam in Etruria ipsa quaeris, non id posco, vt intra Atticae fines eam coerceas, sed magis nunc quam antea, vt dicam quod sentio, si cuius fortasse haec scire referat, in eam inclino sententiam, vt in vrbe Magnae Graeciae inter homines Chalcidenses et Atticis cognatos hanc artis Atticae officinam et emporium fuisse credam. Neque noui vrbem, quae de loco, quo ars ad hanc Atticam disciplinam factitata sit, coniectanti commodius se offerat, quam Cuma Campaniae, vrbs condita, vt notum est, duce Atheniensi viro et dea Cerere Eleusinia. Quod autem maxime suadet, vt vasa haec Volcientia nunc existimen non ex ipso patrio solo atque ex institutis et moribus priscae Graeciae repetenda esse, sed coloniae cuiusdam tribuenda esse ingenio, procliuiori iam illi ad imitationem patriorum institutorum et ad speciem quandam auiti moris captandam, magnus ille Panathenaicarum amphorarum numerus est, quem sepulcra Volcientia obtulerunt. Nam vt haec a victoribus Volcientibus ex ludis Athenarum reportarentur, fieri non potuisse, iam in confesso est; Athenis autem in mercatu fictilium decora haec victorum sacrorumque ludorum insignia venumdari vix potuisse, Boeckhio monenti refragari non potero. Boeckhius, qui de Panathenaicis his vasis in prooemio Indicis Lectionum Vniu. Berolin. auctumnalis a. 1831. eo quo assolet acumine dixit,

vascula haec ex imitatione Atticorum in Italia facta esse censet, idque tum aliis firmat argumentis, tum exemplo eius imitandi studii admodum accommodato. Est vas Nolanum, cuius pictura exhibet tripodem praemio ludorum datum, virumque vt videtur victorem, et Victoriam, quodque titulum habet duplicem, alterum et re et verbis et literis Atticum et priscum quidem: *ΑΚΑΜΑΝΤΙΣ ΕΝΙΚΑ ΦVLΕ*, alterum multo recentiore specie: *ΓΛΑΥΚΩΝ ΚΑΛΟΣ*, eumque haud dubie ad Nolanum quendam hominem spectantem. Ex quo duplici titulo liquido apparet, Atticum aliquod vasculum Nolani figlinorum pictoris in officina tanquam exemplar imitando expressum esse, et tempore quidem multum illo posteriore, ad quod titulus vna translatus spectaret. Quidni, quod hic semel factum esse luculento exemplo demonstratum est, iisdem in terris antiquiore iam tempore a secta quadam fictorum et pictorum sexcenties factum fuisse, atque inde maximam partem Volcientium vasorum profluxisse, statuamus? Caeterum de Panathenaicis amphoris praeter scriptores laudatos dixit etiam Eques Danus, Bröndsted, in opere Anglico: *Transactions of the Roy. Society of Literature Vol. II. P. I. IV.* At nostrum disputandi locum V. D. non attigit. V. Relat. Gotting. 1832. p. 1532 sqq.

Haec cum de vniuerso argumento addere opus fuerit: ad singulas commentationis partes pauca monebimus.

Ad locum de literis Graecis (p. 52.) non reticeo, Ionicarum literarum, praecipue longarum vocalium *Η* et *Ω*, plura postea exempla inuenta esse, quam tum mihi innotuerant. Vasculum e Volcientibus habet Nereidum nomina *Σπεω* et *Κυματοληγη*, vbi *Ω* et *Η* scriptum, etiam *Ψαμαθη*, vbi *Ψ* pro *φσ*. V. Gerhard. *Rapporto*, not. 301. In aliis duobus est *Ηως* et *Ηρη*, quanquam ex more caeterorum scribendum erat *ΗΕΟΣ*, *ΗΕΡΑ*. V. Gerhard *Rapp.* not. 230. 411. At possis tamen etiam sic ea vasa, si modo Attica sint, temporibus, quae Euclidem archontem, id est belli Peloponnesiaci exitum, praecesserunt, vindicare: quippe cum iam eo tempore, quo publice prisca literatura obtinebat, priuati multi Ionicis literis vterentur, velut Euripides, quem *ΘΗSΕVS* scripsisse scimus (Athenaeus X. p. 454.). Verumtamen equidem lubens concedo, vascula illa, quae dixi, vel posteriore tempore, vel iis locis, quibus Ionicae literae prius receptae essent, ficta esse videri. Sed videtur Gerhardus,

propter haec rara exempla, maioris longe horum vasorum supellectilis antiquitati nimium derogare, quam etiamnunc existimo inter tempora Pisistratidarum et Euclidem archontem fictam et pictam esse. Cf. dicta in Relat. Gotting 1832. p. 1027.

Ad p. 53. not. 5. Literae Vau exemplum habemus in nomine *CAPVFONES* pro *ΓΕΡΥΟΝΕΣ*, *Γηρυόνης*, quod quodammodo Siculorum Dorismum sonat. Notauit Gerhardus, *Rapp.* not. 368. in vase, quod amphoram Tyrrheno-Aegyptiacam dicit

Ad p. 54. l. 15. Tabulam, quam Societati proposueram, nunc omisi, cum ex tabula operi Gerhardiano adiecta literarum in his vasculis ductus accuratius cognosci possint quam meo studio fieri poterat.

Ad p. 54. not. 3. Hoc adspirationis signum, *F*, nuper apparuit in titulo Tralliano, ad asyli ius pertinente ab Artaxerxe Persarum rege Bacchico vrbis delubro concessum, sed semel tantum in nomine *Ἱδριέως* adhibitum. Edidit Raoul-Rochette, *Monumens inédits T. I. Orestéide* p. 190. At non tempero dubitationi de antiquitate eius tituli, quem tempore Imperatorum Romanorum factum esse vt autumem, plura sunt quae suadeant.

Ad locum de literis Etruscis p. 55. Titulorum Etruscorum cum argumentis pictis coniunctorum etiam Gerhardus *Rapp.* p. 73. et not. 677 sq. tria tantum se nosse confitetur exempla. De nominibus illis *Πελει*, *Αχιλει*, *Χιρον* eadem est eius sententia quae mea. Inter titulos Etruscos, qui in ansis vel basibus vasorum additi, vel vasis rudi opere factis inscripti sunt, maxime memorabilis ille est, qui facili opere legitur: *ΚΑΛΕ ΜVΚΑΘΕΣΑ*. Nam Mukathesa Etrusco sermone significat — id quidem certum habemus — vxorem viri Etrusci *Mukathe*. Huic igitur mulieri Etruscae Graeci moris additur appellatio *καλή*. Nonne barbarum Etruscorum populum Graeco cultu non medullitus institutum, sed quasi in superficie tinctum, tanquam oculis adspicere nobis videmur; et non sine rubore temporum reminiscimur, quibus eodem modo Gallicas delicias et nequitias affectabamus Germani, quo Graecanicas olim homines Etrusci?

At locum de siglis sub vasorum basibus, p. 56. Legimus, *Rapp.* not. 682., etiam pretium vasis, duarum drachmarum quatuor obolorum et semissis, inter has notas inuentum esse a. V. D. Ambrosch.

Ad locum de dialecto titulorum p. 57. Rara sunt vestigia eius dialecti, quae Jonibus propria erat. Semel occurrit *Ἥρη* (*Rapp.* not. 203.), saepe *Ἥρα*. Nomini *Ἵσχυλος* Attico more inspiratum esse, mecum statuit Vir. Cel. Fr. Creuzer in dissertatione nuper edita: *Ein Alt-Athenisches Gefäss mit Malerei und Inschrift.* 1832. *p.* 13. 53. Eodemque pertinet *Ἵαχος* pro *Ἴακχος* (Comm. p. 104. *Rapp.* not. 641.). Atticismum Gerhardus obseruauit etiam in crasibus *κἀμοί*, *χἄτερος* (not. 789.), et in eundem censum venit titulus iam celebratus, *Rapp.* not. 722.: *Εχσεκιας εγραφσε καποεσεμε*: id est *Ἐξεκίας* (an *Ἐξεχίας*) *ἔγραψε κἀπόησέ με.* Dorismum, in his titulis longe rariorem, notamus in nomine *Λάβοτος* (Mus. Etrusc. n. 1515.) pro *Λεώβοτος*; etiam geminatum illud *Σ* in *πίεσσθε* pro *πίεσθε* (Mus. Etr. 175. Archaeol. XXIII. p. 192. *ΗΑΔΕ ΗΟΓΘS ΓΙΕSSΘΕ*), comparato Corpore Inscr. Graec. n. 25. 42. 166. 296., *δωριάζειν* videtur.

Ad locum de artificum nominibus (p. 60 sqq.) praeter Gerhardi librum comparandus est catalogus fictorum et ceramographorum, qui inest Supplemento Catalogi Silligiani, quod doctissimis curis composuit Raoul-Rochette (*Lettre à Mr. Schorn sur quelques noms d'artistes etc. Bulletin universel des sciences. Cah. de juin, juillet, août et septembre* 1831. *sect. VIIe.* V. §. 1.). Hinc addatur velim nostro recensui fictor *Ἀρχεκλῆς* (in patera Volcienti in aedibus Durand., id nomen item est in patera apud ducem Blacas). Sosiam fictorem addere oblitus eram, quanquam paterae celeberrimae bene memor. v. Monum. Instit. tb. 24. Contra Hectoris pictoris certum documentum desidero. Quin Posidonis nomine (Mus. Etr. n. 1614.) hominem opificem dictum putem, religione impedior. Posidonius appellari poterat homo Graecus, Posidon non poterat. Philtias retinui, neque Phintias admitto prouocans ad imaginem tituli expressam Archaeol. XXIII. p. 230. *ΔΟΡΙΣ* etiamnunc Duris lego, quanquam R. Rochette *ΛΟΡΙΣ* legit (sed illud *Λ*, cuius inter crura punctum conspicitur, *Δ* significat) et *Ἔλωρις* explicat. Hic enim vir doctissimus Siciliam patriam plurimorum vasorum inter Volcientia habet. Euxitheum, non Zeuxitheum, nunc etiam R. Rochette recepit, ad archaeologum Romanum Amati id inuentum referens. Zeuxiadis nomen in ductibus incertis vasis Mus. Etr. n. 275., diligenter col-

lata imagine tituli Archaeol. XXIII. p. 146., agnoscere non potui.

Ad nomina τῶν καλῶν, p. 62 sqq. Profecto ad Atticismum horum nominum etiam hoc aduertit, quod, cum Leocrates vasis Candeloriani mihi iam antehac pulcher ille Stroebi filius visus esset, nunc etiam Stroebi nomen, ad eandem familiam pertinens, et alias rarissimum, in vasculo Volcienti comparuit (*Rapp.* not. 528.). Nomen Epidromi memoratum p. 63. not. 11. nunc video ex Archaeologia Britannica V. XXIII. p. 220. 224. in vtroque vasculo *ΕΠΙΔΡΟΜΑΣ* esse, quod tuebuntur comparata δρομὰς Φρύξ apud Euripidem et Ἑλλὰς ἀνὴρ et Ὀλυμπιάδες θεοί apud Sophoclem, et similia. An titulum Doricum esse censebimus? Equidem illud praefero.

Ad locum de argumentis fabulosis p. 67. Horum recensum diligentissime nunc egit Ed. Gerhard l. l. p. 34 sqq. et 133 sqq. Atque proponunt Monumenta Instituti Archaeologici, praeter picturas iam dictas, tab. XXXIV. vas Candelorianum, quod antiquo opere pictum Astyanactem a Pyrrho arae Thymbraei Apollinis, vt videtur, illisum et interfectum exhibet (explicant argumentum Vv. Dd. Guilelmus Schluttig, et maiore acumine Iul. Ambrosch, Annal. a. 1831. p. 361—380.); et tab. XXXV et XXXVI. amphoram Feolianam, egregio artificio picturatam, qua Hector et Achilles Priami et Phoenicis ex amplexu ad pugnam dimissi exhibentur (explicuit Ed. Gerhardus l. l. p. 380 sqq.). Etiam Fr. Inghirami opus, *Galeria Omerica*, commendatur vasculorum Volcientium nonnullorum imaginibus, velut tab. 238. 239. Ἕκτορος λύτροις egregie pictis (nomina adsunt *Αχιλευς*, *Πριαμος*, *Hερμες*, *Ερoδoρος* quod coniungendum cum *καλος;* aliter ac fecit doctus Italus); tab. 254. 255. 256. certamine de Patrocli cadauere et Achilles foedere cum Graecis instaurato (Mus. Etr. n. 1120. *Vases étrusques de Lucien Bonaparte* pl. 1.), denique tb. 259. 260. Graecorum et Troianorum pugna, et Baccho Tyrrhenos in delphines mutante, ab Execia illo (v. p. 61.) antiquo et mirabili artificio in patera depictis (Mus. Etr. n. 1900.). De patera Sosiae Patroclum saucium exhibente (v. supra p. 67.) dixit Welckerus in Ephemer. Scholasticis 1831. n. 116 et n. 119. et Annal. Inst. arch. p. 424.; quae autem ipse supra de exteriore eius paterae pictura dixi, accuratius exsequar alio eorundem Annalium loco.

Ad locum de vasis Adrianis p. 75. n. 1. Pulchriora nusquam reperiri vascula quam Adriae, eaque genuino Graecae artis colore imbuta, testes addas Dodwellum et quos alios adducit Gerhardus *Bulletin.* 1832. *N. IV. p.* 90. coll. R. Rochette *Lettre à Mr. Schorn* not. 3. iisque quae leguntur *Biblioteca Italiana* 1830. m. April. T. LVIII. p. 46.

Ueber die erhobenen Bildwerke in den Metopen und am Friese des Parthenons, besonders in Rücksicht auf ihre Composition.

(1831.)

Der Verfasser dieses Aufsatzes, welcher auf einer Reise nach England (im Sommer 1822) die Reste des Parthenons, welche dort aufbewahrt werden, zum Hauptgegenstand seiner Aufmerksamkeit gemacht und seit dieser Zeit auf verschiedenen Wegen versucht hat, tiefer in das Verständniss der merkwürdigen Bildwerke, welche dies Gebäude schmückten, einzudringen, benutzt gern diese Gelegenheit, welche ihm die neue Bearbeitung des Stuart'schen Werkes[1]) für Deutschland gewährt, um Einiges über die Gegenstände, so wie die künstlerische Anordnung, der Reliefs in den Metopen und an dem Friese des Parthenons mitzutheilen.

Um aber die Bildwerke des Parthenons, so viel jetzt noch möglich ist, im Zusammenhange als ein Ganzes auffassen und verstehen zu können, ist es zuvörderst nöthig, sich der vorhandenen in dem Masse zu versichern, dass deutlich wird, was unsere Zeit von jenen Bildwerken noch besitzt und wieviel davon verloren. Zu dem Besitze rechnen wir aber auch diejenigen Stücke und Theile, die, wenn auch an sich zer-

[1]) [James Stuart und Nicholas Revett, die Alterthümer von Athen beschrieben. Aus dem Englischen übersetzt nach der Londoner Ausgabe vom Jahre 1762 und 1787 und bereichert mit einigen eigenen und allen Zusätzen der neuen Ausgabe vom Jahre 1825. 3 Bde. Leipzig und Darmstadt 1829—1833.]

stört und verloren, doch in Abbildungen, welche wenigstens den Gegenstand erkennen lassen, noch vorhanden sind. Die Arbeit, dies zusammenzustellen und zu ordnen, ist ein nicht geringer und, wenn man es genau nimmt, der mühsamste Theil des gesammten Studiums dieser Bildwerke.[1])

I. Metopen.

Es unterliegt keinem Zweifel, dass eine jede der Metopen, welche mit Triglyphen zusammen den äussern Fries des Parthenons bildeten, mit einer Gruppe in Hautrelief geschmückt war, welche, wenn auch dem Gegenstande nach in Beziehung auf die Gruppen anderer Metopen stehend, doch zugleich, dem Gesetze dieser Bildnerei gemäss, ein geschlossenes Ganze darstellen musste. Der Parthenon hatte solcher Metopen (deren Zahl immer doppelt so gross ist als die der Intercolumnien) an jeder schmalen Seite (nach Ost und Westen) vierzehn, an jeder langen (nach Süd und Nord) zwei und dreissig, im Ganzen also zwei und neunzig. Von diesen kennen wir leider jetzt nur etwa sieben und vierzig etwas genauer, aus folgenden Quellen.

1. Die Hauptquelle sind die von dem Flamländer [eigentlich aus Troyes in Champagne gebürtigen] Jacques Carrey auf Befehl des Grafen Nointel vor den Unfällen, welche der Parthenon 1687 erlitt, [zwischen den Jahren 1674 und 1678] gemachten Zeichnungen, welche auf der Bibliothek des Königs zu Paris und in einer genauen Copie im Printroom des Britischen Museums aufbewahrt werden. Sie sind freilich nur in kleinem Massstabe (die Höhe der Metopen, gegen 4 Fuss, ist hier auf $4^1/_2$ Zoll reducirt) und sehr roh gemacht; besonders sind die Proportionen dadurch verrückt, dass der Zeichner, welchem kein Gerüst zu Gebote stand, den

---

[1]) Diese Abhandlung war viel eher geschrieben, ehe der Verfasser derselben den zweiten Band von Bröndsted's Voyages dans la Grèce in die Hände bekam, welcher sich mit den Giebelstatuen und Metopen-Reliefs des Parthenons beschäftigt. Der Verf. hat es nach aufmerksamer Lesung dieser Arbeit für das Beste gehalten, die seinige unverändert stehen zu lassen und nur einige Ergänzuugen und Bemerkungen in Bezug auf Bröndsted's Werk mit dem Zeichen [ ] hinzuzufügen.

Standpunkt von unten und doch sehr nahe nahm. Indess verdienten sie doch sehr die Bekanntmachung. Carrey hat alle zwei und dreissig Metopen der Südseite des Tempels gezeichnet. Indem wir diese von Westen nach Osten zählen, bemerken wir hier vorläufig, dass Nr. 1 bis 12 und 22 bis 32 Lapithen- und Kentauren-Kämpfe, 13 bis 21 aber andere Scenen, wahrscheinlich aus der Attischen Mythologie, darstellen.

2. Die Zeichnung, welche einer der von Lord Elgin angestellten Künstler, wahrscheinlich Feodor, von dem zur Abnahme der Statuen des östlichen Giebels errichteten Gerüste von den Metopen dieser Seite entworfen hat. Wo diese Zeichnung sich jetzt befindet, ist unbekannt; indessen gibt die neue Ausgabe von Stuart's Werke darnach die Gegenstände der vierzehn Metopen der Ostfronte an. S. die deutsche Bearbeitung der „Elginischen Marmorbilder" S. 85. 86. Damit stimmt Leake in der Topographie Athens überein, welcher ebenfalls die Zeichnungen der von Lord Elgin gebrauchten Künstler, so wie Cockerells, von den Metopen benutzt. Wir werden diese Metopen von der Südecke nach der Nordecke fortschreitend zählen.

3. Die von Stuart verfertigten Zeichnungen geben nur sechs Tafeln der Südseite, die man nach den Carrey'schen Skizzen als Nr. 1. 27. 3. 4. 26. 2. erkennt.

4. Eine Zeichnung einer Metope, welche sich unter den von Lusieri für Lord Elgin gemachten, im Print-room des Britischen Museums, befindet. Sie wird als an eine Ecke gränzend bezeichnet; aus den unter Nr. 7 zu erwähnenden Notizen erhellt, dass sie sich an der Westecke der Nordseite befand. Von zwei weiblichen Figuren, welche auf ihr dargestellt werden, sitzt die eine auf einem Felsen und stützt den rechten Ellenbogen auf das höher gesetzte rechte Knie, den linken Arm hebt sie, wie man an der Richtung des erhaltenen Stücks sieht, stark empor. Sie ist mit einem weiten (Jonischen) Chiton aus feinem Zeuge bekleidet, über die Beine und die linke Schulter liegt ein Himation aus stärkerem. Die andere Figur, zur Linken, steht vor der zuerst beschriebenen, sie trägt einen dorischen Chiton aus starkem Zeuge, welcher den rechten Arm ganz und den untern Theil des Beins unbedeckt lässt, darüber fällt der den Chiton zum Diploidion machende Ueberschlag; mit dem linken Arm hebt sie ein

über denselben weit herabfallendes Gewand empor. Die Köpfe beider Figuren sind abgebrochen.

5. Die funfzehn Metopen, welche das Britische Museum aus der Elgin'schen Sammlung überkommen (S. die Synopsis of the Contents of the Br. Mus. R. XV. n. 1—15). Sie gehören alle der Südseite an und werden mit Leichtigkeit in den Carrey'schen Zeichnungen wieder erkannt. Folgende Ziffern, von denen die Arabischen die Reihenfolge bei Carrey und am Tempel selbst, die untergestellten Römischen die Folge im Britischen Museum bezeichnen, machen das Entsprechen deutlich.

2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	—
XI	II	VIII.	XII.	XV.	VI.	IV.	V	

26.	27.	28	29.	30.	31.	32.
XIII.	VII.	I.	III.	IX.	XIV.	X.

Alle diese finden sich, wenn sie nicht schon unter den von Stuart selbst gezeichneten waren (wie VII. II. VIII. XIII. XI.), im vierten Bande der Antiquities of Athens und in den Elgin Marbles abgebildet, und zwar in der Folge: XV (6). I (28). X (32). V (9). IV (8). XII (5). III (29). XIV (31). IX (30). VI (7). Die Carrey'schen Zeichnungen sind aber in vielen Stücken noch bedeutend vollständiger und haben manchen Kopf und Arm mehr, als die Originale in ihrem jetzigen Zustande; ja bei Nr. 5, im Brit. Mus. XII, fehlt jetzt die ganze kräftige Lapithenfigur, welche mit dem Kentauren ringt und sich ihm zu entringen sucht, welche bei Carrey noch ziemlich vollständig zu sehen ist. Aus den Bruchstücken von Metopen, die im Britischen Museum, Nr. 134—147, unter andern Fragmenten verzeichnet sind, lässt sich nicht viel erkennen; schätzbarer ist der Nr. 294 angegebene Torso eines Lapithen von einer der Metopen der Südseite. — Ein Fragment in Cambridge, im Vestibule der Universitätsbibliothek, auf dem man die Brust einer männlichen Figur wahrnimmt (Clarke Greek Marbles Nr. 22), ist zu unbedeutend, um besonders aufgezählt zu werden.

6. Im Besitze des Königlichen Museums zu Paris ist erstens eine Metope der Südseite, Nr. 10 bei Carrey, welche aus der Choiseul'schen Sammlung in das Louvre übergegangen und in der Description des Ant. Musée Royal von 1820 unter Nr. 128 verzeichnet ist. Auch ist sie im Stuart'schen Werke Bd. IV. unter den Metopen zuletzt, nur mit Verwechselung

der rechten und linken Seite, abgebildet. Dann befindet sich in derselben Sammlung ein Gypsabguss der Metope, welche bei Carrey und in den Stuart'schen Tafeln die erste ist und wohl jetzt noch an der Westecke der Südseite vorhanden ist. Forbin (Voyage p. 31.) erwähnt diese Metope als die einzige wohlerhaltene der am Gebäude noch befindlichen. Diese Eckplatte ausgenommen existiren in England und Frankreich alle Stücke der Südseite gegen die Ecken hin von 1—10, und von 26—32.

7. Die in der neuen Ausgabe von Stuart und daraus in der deutschen Ausgabe der Elgin'schen Marmorbilder S. 85, so wie von Leake in der Topographie Athens, gegebenen Nachrichten über die Metopen der West- und Nordseite, von denen freilich wenig mehr zu sehen ist. Am Meisten erkennt man noch an der Nordwest-Ecke, wo auch jene von Lusieri gezeichnete und unter Nr. 4 angeführte Gruppe erwähnt wird. Nachrichten über die dem Vernehmen nach neuerlich an der Nordseite ausgegrabenen Metopen sind mit Begierde zu erwarten.

8. Die von Paris im Jahre 1785 gemachten und im zweiten Bande des Museum Worsleyanum mitgetheilten Zeichnungen von sieben Metopen, welche nach Vergleichung der Carrey'schen Zeichnungen Nr. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. der Südseite sind, die sich alle auch im Britischen Museum befinden. Nr. 29. weicht freilich auf eine sehr auffallende Weise von der Carrey'schen Zeichnung und der im Britischen Museum vorhandenen Tafel ab, indem, wo hier eine Frau von vorn, dort ein ganz sonderbar bekleideter Mann von hinten gesehen wird; indess erlaubt die Reihenfolge an der Identität kaum zu zweifeln. Dieselbe sehr verfehlte Zeichnung dieser Tafel findet sich auch in dem vierten Bande des Stuart'schen Werkes, vor den aus der Elgin'schen Sammlung mitgetheilten Metopen pl. 29, 1; die Quelle derselben wird p. 25 nicht angegeben; sicher ist es dieselbe, die im Museum Worsleyanum zum Grunde liegt. [Jetzt erfährt man durch Bröndsted a. O. p. 278, dass im Cabinet des estampes zu Paris unter einigen andern Zeichnungen von Metopen auch dieselbe Tafel, wie im Stuart'schen Werke pl. 29, 1, vorkommt; nur ist es hier eine Frau und kein Mann, welche von einem Kentauren fortgetragen wird. Wenn dem aber so ist: so muss man auch deutlich darin Nr. 29 bei Carrey, oder Tafel III. unter den

Elgin'schen erkennen, worauf die Reihenfolge der Blätter im Museum Worsleyanum so deutlich führt; und ich sehe nicht, warum Bröndsted, statt die Tafel unter denen der Südseite wiederzuerkennen, sie nach der Nordseite verlegen zu müssen glaubt].

9. Noch bemerken wir, dass auch zu Kopenhagen, im Königlichen Museum, ein Stück von einer Metope des Parthenons sich vorfindet, S. v. Rumohr in Schorns Kunstblatt 1825 S. 349. [Jetzt zeigt Bröndsted, dass dies im Jahre 1688 von Athen gesandte Bruchstück, auf welchem der Obertheil eines den Arm zum Wurf erhebenden Kentauren und der Kopf eines unterliegenden Griechen sichtbar ist, zu der Metope 8 bei Carrey, IV unter den Elgin'schen, von der Südseite des Parthenons, gehört; es ist in dem Bröndsted'schen Werke pl. XLIII abgebildet. — Bröndsted verheisst, später Facsimile's der Cockerell'schen Zeichnungen von den noch am Parthenon befindlichen Metopen herauszugeben.]

Dies sind die Hilfsmittel, aus denen wir nunmehr folgende, freilich sehr lückenvolle, Vorstellung des Ganzen der Metopenbildwerke entwerfen mögen.

Wer dem Heiligthum der Jungfrau auf gebührende Weise von der vordern, das heisst von der östlichen Seite, nahte, erblickte unter der Statuengruppe des Giebels, welche die aus Zeus Haupte hervorgegangene Pallas im Kreise der staunenden Götter vorstellte, in den Metopen Kämpfe dargestellt, in denen sich die göttliche Macht der Pallas am Unmittelbarsten manifestirte, indem sie selbst, wie aus den Andeutungen über Feodors Zeichnungen hervorgeht, als Gigantenüberwinderin und unter Anderm auch auf dem Streitwagen vorgestellt war, der auch von den Tragikern bei der Phlegräischen Schlacht der Götter mit den Giganten öfter erwähnt wird. Andere Gotteskämpfe, wie unter andern der des Apollon und Herakles um den Dreifuss, schlossen sich daran an.

e duplici muro compositum, ita ut praeter eam arcis partem, quae maxime declivis erat, loca in plano proxime subiecta comprehenderet. Quo factum, ut idem Pelasgicum modo murus circa Acropolin ductus, modo Acropoleos pars, modo locus ab Acropoli disiunctus et Acropoli subiectus fuisse diceretur [1]).

Pausanias I, 28, 3. in mentionem Pelasgici incidit, cum ab arce per Propylaea ad Panis antrum et Areopagum descendit.

[1]) Murus circum arcem structus dicitur ab Herodoto VI, 137. et Myrsilo, quem laudat Dionys. Hal. I, 28, et Pausanias I, 28, 3, et similiter a Photio Lex. p. 407, 10. *Πελαργικόν: τὸ ὑπὸ τῶν Τυῤῥηνῶν κατασκευασθὲν τῆς ἀκροπόλεως τεῖχος*, et aliis grammaticis. Clidemus narraverat, Pelasgos arcis solum aequasse et enneapylum Pelasgicum ei circumdedisse. Suidas v. *ἄπεδα* et *ἠπέδιζον*. Phanodemi etcc. fragm. ed. Siebelis p. 44. Acropoleos partem fuisse tradit Ephorus apud Strabonem IX. p. 401., si verba *μέρος τῆς πόλεως* strictiore significatu intelliguntur. Apertius Aristophanes Lysistr. v. 832 sqq. *τῆς πόλεως*, i. e. *ἀκροπόλεως*, *τὸ Πελαργικὸν* dicit fuisse in rupibus, *ἐπὶ πετρῶν*. Cf. Didymus in Schol. *Τὸ Πελασγικὸν καλούμενον τὸ ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν* tanquam ab arce diversum memorat Thucyd. II, 17. Id ne coleretur quanquam vetusta lege, etiam mulcta adiecta (Pollux VIII, 104.), interdictum erat, colebatur tamen primis belli Peloponnesiaci temporibus, cum arx ipsa inhabitata relinqueretur. Thucyd. II, 17. Haec enim per Propylaea sola adiri poterat, quae diligenter claudebantur (quo spectant Thucydidis verba *βεβαίως κληστόν*): ad Pelasgicum per alias portas accedebatur. Sic intelligitur, qui fieri potuerit, ut Pisistratidae intra Pelasgicum obsidionem Spartanorum tolerarent (Herodot. V, 64. Marm. Parium l. 60.), et arx tamen tempore belli Persici nullo alio munimento firmata esset, nisi antiquo et tum propter necessitatem urguentem refecto vallo ligneo. V. Herodot. VII, 142. VIII, 51. 52. Nimirum illud Pelasgicum munimentum delubra arcis, in quibus senes illi et invalidi homines magnam fiduciam, collocabant, non defendebat. Sed aliter eam quaestionem solvit vir egregius Leakius Topogr. Athen. p. 314., qui statuit, munimentum illud Pelasgicum olim totam arcem circumdedisse, sed iam ante bella Persica paene dirutum fuisse, ita ut arx muris careret, eam autem partem, quae restabat, versus aquilonem postea cum muris, qui post bellum Persicum extructi sunt, connexam esse. Cui sententiae quominus subscribam, retinet me id, quod non intelligo, qua re viginti illis annis inter Pisistratidas eiectos et Salaminiam pugnam munimentum vetusto opere structum tantam ruinam subire potuerit, nisi forte Spartanos consulto arcem Athenarum munimentis exuisse statuamus.

A novem portis, quibus utrinque pervium erat, Enneapylum appellatum est. Huius antiquissimi Athenarum munimenti certas reliquias nescio an nullus adhuc eorum, qui Athenas viserunt, demonstraverit[1]). Persuasum tamen habeo, si ea Athenarum regio rudere tot aedificiorum ruina aggesto purgaretur, fundamenta certe Pelasgicorum murorum repertum iri, opere illo incerto quod Cyclopeum dicunt similive structurae genere noscenda.

3. Quo tempore Urbs Athenarum primum muris cincta sit, non traditur, nisi quod, cum Athenae a Persis incensae essent, exiguam partem murorum superfuisse, eumque murum, qui Themistoclis consiliis post Plataeensem pugnam exstructus est, ubique ultra antiquiora munimenta promotum et extensum esse, Thucydides memorat[2]). Itaque habuerant Athenae iam ante bellum Persicum urbem murorum corona circumdatam, sed arctius circumscriptam quam post bellum Persicum. Pisistratusne, cum urbem conducticiis copiis in ditionem suam redegisset, an Clisthenes, cum post liberatas Athenas patriam ab Lacedaemoniorum incursionibus tutiorem esse vellet, urbem primus muniverit, non definio. Ceterum constat, urbem antiquioribus temporibus praeter arcem nonnisi loca meridiem versus subiecta obtinuisse, ea autem quae versus boream sita sunt posterius occupasse[3]). Quocirca hac maxime parte muros antiquos contractiores fuisse, altera ad Ilissum latius patuisse consentaneum est. Verum etiam ea regione, qua Athenae meridiem spectant, Olympii Iovis templum olim extra muros fuisse, inde colligitur, quod ante id delubrum versus arcem vestigia muri vetusti etiam multis post saeculis supererant. Hisque Hadrianus imperator usus esse videtur,

---

[1]) Stuart. Antiqq. Athen. V. II. Procem. p. VII. (T. I. p. 242 ed. Germ) muros vetustos saxo structos, quorum fundamenta versus occidentem arcem circumeunt, et aream quandam, vivo saxo excisam, cui murus impositus fuisse videtur, septentrionem versus, Pelasgici fuisse partes coniicit, sed illorum fundamentorum desideramus diligentem descriptionem, et area illa longius a loco Pelasgici abesse videtur.

[2]) Thucyd. I, 88. 93. Moenia maiora Athenienses tum complexos esse, etiam Iustin. II. 15. scribit. De eadem re Aristides Panathen. p. 258 c. *ἡ πόλις τὴν τοῦ κύκλου προςθήκην ποιουμένη.*

[3]) Thucyd. II, 15.

ut novas Athenas, quas magnificis delubris et porticibus exornaverat, tanquam Hadriani urbem distingueret a vetere Thesei urbe. Cuius rei documentum etiamnunc arcus, qui pro porta illius muri fuit, superest, inscriptus ab altera parte: *ΑΙΔ ΕΙΣ ΑΘΗΝΑΙ ΘΗΣΕΩΣ Η ΠΡΙΝ ΠΟΛΙΣ*, ab altera: *ΑΙΔ ΕΙΣ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΚΟΥΧΙ ΘΗΣΕΩΣ ΠΟΛΙΣ*[1]).

4. Perventum est ad ea tempora, quibus Athenae maiore quodam animi impetu instinctae sese ultra modum reliquarum Graeciae urbium extulerunt et celeri cursu ad dominationem litorum et insnlarum maris Aegaei tetenderunt. Hanc dominationem solis maritimis copiis fundandam esse, cum Themistocles iam egregie intellexisset, is non ad urbem firmius emuniendam, sed ad portum et navalia opes et animos civium convertit. Themistocles enim, sicut omnes eius sectatores in publicis Athenarum rebus gubernandis, nihil magis dolebat, quam quod neque Attica terra natura insula esset, neque urbs Athenarum ad ipsum maris litus condita, sed quadraginta inde stadiis remota: qui quidem situs Athenis communis erat cum omnibus urbibus antiquioris Graeciae, conditis illis antequam mare pacatum et litora a praedonum incursionibus tuta essent[2]). Utrique incommodo ita mederi statuit Themistocles, ut portum quam posset firmissimis munimentis,

[1]) Haec effeci partim ex probabilitate, partim ex diserto testimonio Scholiorum ad Aristidis Panathen. p. 258. c., p. 69 ed. Frommel: *ὁ Ἀδριανὸς — ἔνθα μὲν ἦν πρὸ τοῦ τείχους* (scr. *τεῖχος*) *τὸ παλαιὸν ἔγραψε: Τοῦτο ὁ Θησεὺς ἔκτισε καὶ οὐκ Ἀδριανός κ. τ. λ.* cf. Additam. ad Leakii Topogr. p. 459. Locum Phlegontis de Olympieo novarum Athenarum ad Athenas Atticas pertinere, consensu suo comprobarunt Dorville Misc. Observv. T. VII. p. 74 sq. Boeckh Corp. Inscr. Graec. n. 2309. T. II. p. 276.

[2]) Haec verissima Thucydidis observatio, I. 7., si recte adhibetur, multum facere potest ad origines Graecarum urbium stabiliendas. Quod enim scribit *ὁ συγγραφεύς*, antiquas urbes aliquanto spatio a mari remotas esse, id ita verum est, ut antiquae Graeciae nulla urbs illustrior, una fortasse Helice excepta, in ipsis litoribus sita fuerit. Quae autem oppida Thucydides dicit *νεώτατα καὶ ἤδη πλοϊμωτέρων ὄντων* condita et hacpropter in ipsis litoribus extructa esse, eorum numero colonias ab Ionibus, Aeolensibus, Doriensibus in Asiam minorem et Italiam deductas complexus esse videtur, quarum situs maritimus e ruderibus plerumque etiamnunc cognoscitur.

quibus certe illorum temporum poliorceticas artes plane eluderet, a continenti terra insulae instar secerneret, ita ut Athenienses, etiamsi terra per maiores hostium copias agris suis excluderentur, cum navalibus tamen et classibus suis maris imperium retinerent, prae quo urbis possessionem Themistocles vilipendebat. Nondum enim huius viri animus, quanquam maximarum rerum capax, consilia suo eo extenderat, ut urbem cum portu continuis munimentis iungi posse in animum induceret, sed saepe ille suadebat Atheniensibus, si gravius a continenti terra bellum impenderet, ut urbe relicta in Piraeeum migrarent et inde classibus expeditis, altissimis ipsi muris defensi, etiam maximis hostium copiis resisterent [1]). Hacpropter ambitum emporii, quod Piraeensem pagum cum Munychia peninsula complectebatur [2]), sexaginta stadiorum constituerat,

---

[1]) Haec consilia clarissime indicat Thucydides I, 93. *Πολλάκις τοῖς Ἀθηναίοις παρῄνει (ὁ Θεμιστοκλῆς), ἢν ἄρα ποτὲ κατὰ γῆν βιασθῶσι, καταβάντας ἐς αὐτὸν ταῖς ναυσὶ πρὸς ἅπαντας ἀνθίστασθαι.*

[2]) *Τοῦ Πειραιῶς ξὺν Μουνυχίᾳ,* Thucyd. II, 13. *Τὸ παλαιὸν ἐτετείχιστο καὶ συνῴκιστο ἡ Μουνυχία παραπλησίως ὥςπερ ἡ τῶν Ῥοδίων πόλις προςειληφυῖα τῷ περιβόλῳ τὸν Πεοαιᾶ,* Strabo IX. p. 395. Quod attinet ad significatum horum nominum, sic statuas velim: Munychiam fuisse peninsulam cum colle et portu versus orientem subiecto, sed pagi s. demi ius non obtinuisse (idem affirmat Corsinius F. A. I. p. 251.), quanquam a Minyarum colonia, quod narratur, antiquitus habitatam. Sed Piraeensium pagus etiam hanc peninsulam territorii partem habebat, et cum Munychia continentibus aedificiis iunctus fuisse videtur. Certe a foro Hippodame, quod medio Piraei loco fuisse videtur, lata quaedam via s. platea, qua centeni ferme milites incedere poterant, ad aedem Munychiae Dianae et Bendideum ducebat. Quod intelligitur lecto Xenophonte, Hist. Graec. II, 4, 11. Ac Strabo l. l. totum Athenarum emporium nomine Munychiae appellat. Quocirca etiam theatrum, quod Munychiae erat, et Piraeensium idem fuisse aedificium olim statueram (in Encyclop. Halensi s. v. Attica p. 222.). Leakius contra, Topogr. Athen. p. 346. 348. 349. 351., duo distinguit theatra, et Piraeensis theatri reliquias prope collem, qui ab Aphrodisio portu versus vulturnum (NO.) attollitur, Munychiensis autem in peninsula non longe ab aede Dianae, etiamnunc extare testatur. At cum hoc theatrum exiguum fuisse significet, vix crediderim, id esse illud *Μουνυχίασι θέατρον,* in quo interdum populi comitia habita sunt (Lysias in Agorat. § 32. p. 464. R. § 55. p. 479 R.).

quorum minorem partem ea murorum pars, quae maris litori insistebat, maiorem ea, quae continentem spectabat, comprehendebat. Nam bello Peloponnesiaco, cum per omnia Athenarum munimenta milites disponerentur, ut ea ab impetu Peloponnesiorum exercitus defenderent, triginta stadiorum ambitus praesidium requirebat; reliqua triginta stadia indefensa relinqui poterant, cum vel mari tuta, vel intra longos muros essent, quibus urbs cum emperio iungebatur [1]). Phalerensem portum extra munimenta Themistoclis fuisse, Thucydidis verba aperte significant. Hoc immensum opus Athenienses Themistocle suadente iam ante, quam Xerxes Graeciam invaderet, aggressi erant, quo anno, Philochoro teste, Cebris archon eponymus, et, Thucydide auctore, Themistocles ipse inter novem erat archontas [2]). Quem annum accurate definire nunc non licet, videtur tamen unus ex annis, qui inter Marathonium et Salaminium proelium intercedunt neque archontum nominibus nobis innotuerunt, Olymp. LXIII. a. 2. vel 3., vel LXIV. 3. vel 4. fuisse [3]). Atque eodem quidem tempore,

---

Sed convenit huic et situs et magnitudo illorum ruderum, quae cum inter Piraeensem portum et Munychiam sita esse videantur (v. tabulam operi Leakiano adiectam I.), satis in ea quadrant Thucydidis verba: *τὸ πρὸς τῇ Μουνυχίᾳ Διονυσιακὸν θέατρον*, VIII, 93. Itaque videndum, ne parvum illud theatrum aliud aedificii genus fuerit. Ceterum Piraeensium theatrum in territorio et potestate huius pagi fuisse et a populi theatro, quod *ἐν Διονύσου* sub arce erat, diversissimum, nemo facile negaverit nisi harum rerum imperitissimus.

[1]) Dio Chrysostomus, cum dicit Themistoclem Atheniensibus suasisse *τὸν Πειραιᾶ τειχίσαι πλειόνων ἢ ἐνενήκοντα σταδίων* (Or. XXV. p. 521. R.), ambitum nimis amplificat. Cf. idem Or. VI. p. 199.

[2]) Thucydid. I, 93. Philochori fragm. coll. Siebelis p. 48. 49. Cf. Pausan. I, 1, 2.

[3]) Hic locus chronologiae Atticae est e difficillimis. Tractaverunt eum Boeckhius de Archontt. Att. eponymis p. 3. et Clinto Fast. Hellen. T. I. p. XV. ed. Lat., et tetigi eundem in Addit. ad Leakii Topogr. p. 452 sq. Mihi etiamnunc Themistocles ille, qui Dionysio teste Olymp. LXXI, 4., id est quatuordecim annis ante Salaminium proelium, archon eponymus fuerat, alienus ab hac quaestione videtur, quod Themistocles, dico hunc Salaminium, anno Ol. LXXIV, 4. *ἐς πρώτους νεωστὶ παριών* ab Herodoto VII, 143. dicitur, et a Plutarcho Themistocl. 3. et alibi (v. Car. Sintenis in annot. illius l.) alliisque scripto-

cum Athenienses iam in expectatione essent magnae cuiusdam Persarum expeditionis, Themistocles civibus suis persuasit, ut triremes illas extruerent, quibus posthaec Salamine vicerunt[1]). Quod non posterius factum esse consentaneum est, quam portum munire coeperunt. Certius edocti sumus, quo tempore Athenienses inceptum opus continuaverint et perfecerint, proximis nempe post Persicum bellum annis[2]), cum patria recepta urbem primum muris instauratis circumdedissent, Olympiadis LXV. ab anno inde tertio vel quarto.

5. Quale autem et quantum illud opus fuerit, quod Athenienses Persarum praeda iam ditati non sine maximo sumptu extruxerunt, Thucydides satis claris verbis docuit, quanquam cum scribebat, post finem Peloponnesiaci belli, muris Lacedaemoniorum iussu dirutis, rudera sola extabant[3]). Murorum Piraeei, tradit, eam fuisse latitudinem, ut cum extruerentur, duo plaustra magna saxa a diversis partibus advehere, et non interrupto cursu praetervehi et descendere possent: quibus verbis puto XVI ferme pedum latitudinem significari[4]). Ex his saxis, significat, murum totum extructum esse, non ut alias fieri solebat, ut frontes e lapide duro structae et per

---

ribus, adolescens vel iuvenis cum esset, a Marathoniis tropaeis ad magnas res audendas excitatus esse fertur, et quod omnia eius maritima consilia, classis struendae marisque obtinendi, quibuscum Piraeei munitio coniunctissima erat, ad tempora inter Marathonium et Salaminium bellum intercedentia referuntur. V. ann. 16. Denique arbitror, quae traduntur a Plutarcho Themist. 31., Themistoclem diem obiisse post Cypriam Cimonis expeditionem (Ol. LXXXII, 3.) ac transegisse LXV. aetatis annos, multum praestare iis narratiunculis, quas quidam Vv. Dd. illis opposuere. Ac si vera sunt, quae Plutarchus retulit: Themistocles anno LXXI, 4., quo duo et viginti annos natus erat, nondum poterat ad eam dignitatem provectus esse, ut, non sorte sed suffragiis, archontis honores consequeretur.

[1]) Thucyd. I, 14. *τοῦ βαρβάρου προςδοκίμου ὄντος.* Id ad Datin et Artaphernem spectare vix crediderim.

[2]) *εὐθὺς μετὰ τὴν Μήδων ἀναχώρησιν*, Thucyd. I, 93,

[3]) Hacpropter *νῦν ἔτι δῆλον εἶναι* scribit *τὸ πάχος τοῦ τείχους*, I, 93.

[4]) Auget eam latitudinis definitionem Aristoph. Av. v. 1126. in describendis muris Nephelococcygiae, quibus duo *ἅρματα*, i. e. quadrigas, equis iuncta Durium magnitudine aequantibus, adversa praetervehi posse fingit.

diatonos colligatae rudi opere farcirentur, quod emplecton dicitur [1]). Singula autem saxa magnae molis fuisse et ita formata, ut anguli in iunctura sibi invicem responderent [2]): ex quo coniecerim, isodomum quidem fuisse genus structurae, in quo omnia coria pari crassitudine struuntur, attamen saxa non omnia fuisse quadrata, sed angulis vel prominentibus vel recedentibus inter se nexa [3]). Ad colliganda autem inter se saxa solas subscudes ferreas fronti lapidum esse immissas et plumbo vinctas [4]): quo genere iuncturae etiam Hecatompedi quadrata saxa inter se commissa sunt. Altitudinem murorum Thucydides non indicat, nisi quod duplicem efficere voluisse Themistoclem, addit, quam quae ab Atheniensibus perfecta sit: sed Appianus testis est, ad XL cubitorum, i. e. LX pedum, altitudinem, eos tum perductos esse [5]). Tantum opus molientibus hoc commode subvenit, quod saxa non e longinquo petenda erant, cum Athenienses lapicidinas haberent prope ad Piraeeum atque ad viam, qua ex portu in urbem ibant [6]). Iam quod ad designationem murorum pertinet, quibus locis ii tum in continentem versus, tum ad mare deducti sint, de ea re cum ex ruderibus quae supersunt iudicandum sit, mihi quidem Leakii curis nihil nunc addere licet [7]). Quanquam,

[1]) Huc pertinere verba: *ἐντὸς δὲ οὔτε χάλιξ οὔτε πηλὸς ἦν*, cum ipsa, tum quae iis opponuntur demonstrant. *Χάλιξ* significat lapides duros, ita adhibitos, ut sunt nati.

[2]) *ἐν τομῇ ἐγγώνιοι.*

[3]) Appianus tamen verbis, de bello Mithrid. c. 30: *εἴργαστο ἐκ λίθου μεγάλου τε καὶ τετραγώνου*, pleraque saltem saxa quadrata fuisse significat. Thucydidem exscribit Procopius Panegyr. p. 510.

[4]) *σιδήρῳ πρὸς ἀλλήλους τὰ ἔξωθεν* (in exteriore facie) *καὶ μολύβδῳ δεδεμένοι.* Itaque in muris Piraeensibus ferreae illae subscudes fronti saxorum inhaerebant. Contraria ratione in Parthenonis muris saxis quadratis ita immissae sunt ut in exteriore facie non appareant.

[5]) Sic Appianus de bello Mithridatico c. 30., qui quod ea moenia Periclem ante bellum Peloponnesiacum etiam magis firmasse (*μᾶλλον κρατύνασθαι*) scribit, id nullo alio teste comprobatur.

[6]) De *λιθοτομίαις Πειραιῶς* Xenophon Hist. Hell. I, 2, 14. *Λιθοτομίας* inter Piraeeum et urbem sitas memorat Demosth. in Nicostr. p. 1252.

[7]) V. Leakios l. l. p. 354 sq.

ut ex lineis, quibus in tabula ab eo delineata circuitus murorum significatur, imaginem operis Themistoclei expedias, necesse est, ut longos muros, qui postea additi sunt, et Phalerensem portum segreges, quem Themistoclem suis munimentis non cohibuisse certum est. Itaque muri sine dubio tum Munychiae peninsulae litoribus, quae meridiem et orientem spectant, insistebant, tum ab ostio Piraeensis portus circa totum sinum ab occidente et septentrione circumducti erant, ita ut orientem versus inter Munychiensem et Phalerensem portum ad litus pertingerent. Sic et ipse portus intra muros comprehendebatur, qui antiquorum mos erat portuum muniendorum, ut muri in molibus continuarentur, et turribus castellisve clauderentur, intra quae non magno spatio relicto introitus in portum pateret[1]). Id ostium facili opere catenis aliisve machinis claudi poterat, qui dicitur *λιμὴν κλειστός*, neque primus tantum portus qui intrantibus obvius erat, sed etiam reliqui duo, quos sinus Piraeensis complectitur, interiores[2]). Hi autem interiores portus claudi non poterant, nisi si etiam his locis moles munitae cum muris in continentem

[1]) Harum molium, quae *χηλαί* dicuntur, altera erat Eetionea, n qua CCCC viri castellum struebant, ut inde in introitum p rtus dominarentur. V. Thucyd. VIII, 90 sqq., cuius verba haec sunt: *Ἐτειχίζετο οὖν οὕτω ξὺν τῷ πρότερον πρὸς ἤπειρον ὑπάρχοντι τείχει, ὥστε καθεζομένων ἐς αὐτὸ ἀνθρώπων ὀλίγων ἄρχειν τοῦ γε ἔσπλου. Ἐπ' αὐτὸν γὰρ τὸν ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ λιμένος, στενοῦ ὄντος, τὸν ἕτερον πύργον ἐτελεύτα τό τε παλαιὸν τὸ πρὸς ἤπειρον καὶ τὸ ἐντὸς τὸ καινὸν τεῖχος* (ita Poppo e cod. Vat., recte puto) *τειχιζόμενον πρὸς θάλασσαν.* I. e. Quadringenti viri cum eo muro, qui portum ambiebat et turri terminabatur, quae in mole procurrenti structa cum altera opposita turri ostium portus claudebat, coniungebant novum quendam murum, qui ab eadem turri incipiens sed intra portum maris litori insistens introitum portus custodiebat. *Ἐπὶ τῷ χώματι ἔρυμα* appellat id Xenoph. Hell. II, 3, 46., *ἐπιτείχισμα* Demosth. adv. Theocr. p. 1343.

[2]) *Ὁ Πειραιεὺς λιμένας ἔχει τρεῖς πάντας κλειστούς* Schol. Aristoph. Pac. v. 144. Sed Canthari, Aphrodisii, Zeae situm accuratius indicare hic supersedere possumus, cum ea quaestio ad Piraeei accuratiorem descriptionem pertineat. Ceterum Piraeensem portum non semper *κλειστὸν* fuisse, intelligitur ex Xen. Hell. V, 1, 19. Cf. quae de Chiorum portu narrat Aeneas Poliorcet. c. 10.

terram perductis connexae erant, quibus emporium Piraeense in plures partes divisum fuisse apparet. Ac si his addideris Phalerensis portus munimenta, quae simul cum longis muris structa esse arbitror, et ipsos longos muros, quibus aditus ad emporium a continenti inde ex parte praestruebatur, coniicere licet, quid fabulae illi veri insit, traditae, ut videtur, a recentioribus *θαυμάτων* enarratoribus, qui omnia in immensum amplificant, Piraeum septemplici muro circumdatum fuisse[1]). Tot enim fortasse muri superandi erant, si quis Munychiae intimam et munitissimam partem a continenti inde terra invadebat[2]).

6. Nunc cum de munimentis tantum, non de oppido Piraeensi, quod non ante Periclis tempora Hippodamo architecto inspectante exaedificatum esse persuasum habeo[3]), hoc loco mihi dicendum sit, sermonem transfero ad Urbis moenia post Persarum excessum instaurata. Hos muros constat statim post reditum Atheniensium in patriam a Persis devastatam, Themistocle Spartae omnes machinas movente, ne Lacedaemoniorum interventus opus inceptum turbaret[4]), ab universo populo, etiam mulieribus et liberis assumptis, tanto studio extructos esse, ut nulli publico privatove aedificio par-

---

[1]) Iam Velleius II, 23. circa multiplices Piraei portus munitiones laborasse Sullam narrat. Sex et amplius muros subruisse imperatorem Romanum tradit Florus III, 5, 10. Septemplicem fuisse murum legitur apud Orosium VI, 2. et alios infimae aetatis scriptores, quos memorat Meursius Piraeeo 2.

[2]) *τὸ τοῦ Πειραιῶς ὀχυρώτατον καὶ θαλάσσῃ περίκλυστον*, Appian. Mithrid. 40. Haec Munychiae arx, cum Cassandri praesidio teneretur, etiam post Piraeeum a Demetrio captum muris suis defendebatur, quos Poliorceta victor destruxisse dicitur a Philochoro p. 79. Siebel. et Diodoro XX, 46.

[3]) V. Archaeol. Comp. § 111. Krügerus ad Dionys. historiogr. p. 336. et alii viri docti, qui Strabonem erroris arguunt, quod eundem architectum Piraeum et Rhodum urbem designasse scripsit, metuo ne temere de Strabonis doctrina iudicaverint.

[4]) Thucydides I, 90—92. Thucydidem sequitur, ne plures memorem, Demosthenes contra Lept. p. 478. 479. Sed Ephoros Spartanos a Themistocle corruptos esse, addiderunt posteriore tempore Andocides ille de pace § 37 sq. Theopompus ap. Plutarch. Themist. 19. Cf. Diodor. XI, 39. Polyaen. I, 30, 4. Nepos Them. 7. Iustin. II, 15. Frontin. Strat. I, 1, 10. Schol. Aristoph. Eqq. 824.

ceretur, cuius rudera aedificantibus usui esse possent. Neque murorum facies postea eam structurae festinationem dissimulabat, quorum crepidinis saxa (*θεμέλιοι λίθοι*) non quadrata vel ad normam caesa (*οὐ ξυνειργασμένοι*), sed caementorum modo, ut quisque ea advexerat, congesta essent, ita ut etiam sepulcrorum cippos et sculptos lapides (*λίθοι εἰργασμένοι*) in muros inclusos conspicere liceret[1]). Haec ubi Thucydides prodit, idem simul indicare videtur, superiores murorum partes alio structurae genere fuisse erectas. Ac vero quadrata saxa quominus exciderent, temporis angustiae et urguens necessitas prohibebant. Itaque credibile est, eas murorum partes fuisse lateritias, certe iis locis, quibus non ex antiquioribus moenibus copia caementorum, ex quibus illa extructa fuisse crediderim, supererat. Eam sententiam comprobat Vitruvius[2]), qui e latere structum esse scribit Athenis murum, spectantem ad Hymettum montem et Pentelensem (nam de quo muro aptius haec dicta putes, quam de ipsius urbis moenium australi et orientali parte[3]), nec non Aristophanes, cuius in Nephelococcygia, ventoso illo Athenarum urbis spectro, murus in fundamento lapideo ex lateribus luto commissis extruitur[4]),

---

[1]) Thucydides I, 93., qui *εἰργασμένοι* non potest de saxis caesis, sed proprio quodam sensu de sculptis vel affabrefactis intelligere. Non improbabiliter tamen Boettigerus in Archaeol. Picturae p. 121. *ἐπειργασμένοι* scribendum esse coniecerat.

[2]) de architectura II, 8.

[3]) Non diffiteor tamen, haec Vitruvii verba a me olim (in censura Niebuhriani operis, Ephem. liter. Halens. a. 1829 n. 126. p. 362.) aliter esse explicata, ita ut ad Hyperbii et Euryali s. Agrolae antiqua opera spectare viderentur, qui primi laterarias ac domos Athenis constituisse dicuntur (Plin. VII, 57). Discessi autem ab hac sententia, maxime quod lateritium murum Themistocle antiquiorem Vitruvii tempore superfuisse minus credibile est.

[4]) Aristophanis verba, Av. v. 1136 sqq. haec sunt:

Ὄρνιθες, οὐδεὶς ἄλλος, οὐκ Αἰγύπτιος
πλινθοφόρος, οὐ λιθουργὸς, οὐ τέκτων παρῆν,
ἀλλ' αὐτόχειρες, ὥστε θαυμάζειν ἐμέ.
ἐκ μέν γε Λιβύης ἧκον ὡς τρισμύριαι
γέρανοι, θεμελίους καταπεπωκυῖαι λίθους.
τούτους δ' ἐτύκιζον αἱ κρέκες τοῖς ῥύγχεσιν.
ἕτεροι δ' ἐπλινθοποίουν πελαργοὶ μύριοι.
ὕδωρ δ' ἐφόρουν etc.

etiam Demosthenes, qui non lapidibus neque lateribus urbem se communivisse, sed omni genere subsidiorum et bellicarum virium eam se firmasse profitetur[1]). Id vero murorum genus illis temporibus in Graecia pervulgatum erat. Velut Mantineae, quod fundamenta tantum murorum ex lapide structa, et structura laterum non coctorum superposita erat, civibus ab Agesipolide obsessis magnopere nocuit. Hic enim fluvium, oppidum perfluentem, aggere opposito exundare coegit, ita ut is supra crepidinem ad lateritiam usque structuram escendens omnem murorum compagem solveret[2]). Ubi vero ab aqua nihil metuendum erat, murorum architecti id genus structurae non improbabant, propterea quod lateres non cocti maiori tenacitate poliorceticis machinis resisterent quam la-

---

Aegyptios, moneo, significari non solum *πλινθοφόρους* sed etiam *λιθουργοὺς* et *τέκτονας*. Ceterum in Aegypto lateritias etiam fuisse pyramides, cryptoporticus Mausoleorum, privata multa aedificia, constat. Quae autem Aegyptiorum non tantum in lateribus faciendis sed etiam in portandis ars fuerit, nunc liquido perspicitur ex picturis Aegyptiis a Rosellinio in publicum editis. Posthaec *ἐπλινθοποίουν* G. Dindorfius scripsit ex coni. pro codd. lectione *ἐπλινθοφόρουν*, quae ferri nequit propter v. 1152.; ac certe *ἐλιθοφόρουν* incommodum esset, nam de saxis crepidinis iam dictum est, superior autem murus lateritius est. Ad lateres autem ducendos ciconiae propter rostrorum formam aptissimae esse videbantur Aristophani.

[1]) De corona p. 325.

[2]) V. Xenophon Hell. V, 2, 4. et Pausan VIII, 8, 5. Cf. Leakius in Descr. Moreae T. I. p. 103. Lateres coctos non fuisse, sed aëre et sole siccatos (*ὠμὴν πλίνθον, lufttrockne Lehmsteine*) docet Pausanias. Hos Xenophon dicit *πλίνθους γηΐνους*, Anab. VII, 8, 14., illos *πλίνθους κεραμίας*, Anab. III, 4, 7., vel *ὀπτάς* II, 4, 12. Sed plerumque *πλίνθοι* habendae sunt pro lateribus non coctis, ut Memor. Socr. III, 1, 7.: *ἐπειδὰν ταχθῇ κάτω μὲν καὶ ἐπιπολῆς τὰ μήτε σηπόμενα μήτε τηκόμενα, οἵ τε λίθοι καὶ ὁ κέραμος, ἐν μέσῳ δὲ αἵ τε πλίνθοι καὶ τὰ ξύλα, ὥςπερ ἐν οἰκοδομίᾳ ξυντίθενται κ. τ. ἕ.* Lateritii erant etiam muri, quibus Peloponnesii Plataeas circumduxerunt. Horum altitudo, Thucydide teste III, 20, e numero ordinum s. coriorum (*ἐπιβολῶν*), ubi nullo tectorio inducti erant, computari poterat; unde probabiliter colligi puto a Bloomfieldio, certum laterum apud Graecos tum fuisse modulum.

pides[1]). Ceterum hos muros etiam fossa circumductos fuisse, sicut antiquorum mos erat, nullus dubito[2]).

7. Quod ad situm et designationem eorum murorum attinet, de ea re cum ex antiquorum scriptorum fide perpauca constent, soli locorum *αὐτόπται* integram et plenam eius notitiam praestare poterunt. Ex his Leakius V. Cl. ad nostrum usque tempus eam quaestionem diligentissime tractavit. Quanquam eam nondum ita absolvit, ut ex murorum vestigiis, quae notata sunt, munientium consilium et in hostibus arcendis providentia appareret. Sane versus austrum, praeter Ilissi ripam, facile intelligas, murorum designationem sequi eam lineam, quam ipsa natura videri possit collium et editorum locorum declivitate munimentis Athenarum praescripsisse; neque, si testimonia veterum scriptorum sequimur, muri hac parte a terminis ichnographiae Leakianae multum dimoveri poterunt[3]). Sed occidentem versus, qua muri non minus ex vestigiis locorum adumbrari posse dicuntur, illorum designatio ab eorum collium, in quibus Pnyx et Museum sita erant, devexis et praeruptis lateribus ita recedit, ut summa collium,

---

[1]) Paus. VIII, 8, 5.

[2]) V. Aeschines in Ctesiph. § 236. (ex quo intelligitur, etiam vallum (*χαράκωμα*) cum fossis fuisse coniunctum) et Demosth. de corona p. 325. De Plataearum obsidione Thucyd. II, 78. *τάφρος δὲ ἐντὸς ἦν καὶ ἔξωθεν, ἐξ ἧς ἐπλινθεύσαντο.*

[3]) Inter australem Athenarum murum et Ilissum *περίπατος* erat, descriptus a Platone Phaedr. p. 227. et in Axiocho dialogo. Huius sub initium, p. 364., Socrates narratur in *περιπάτῳ* fuisse Cynosargen versus (p. 372.) ad Ilissum. Hic Axiochus eum conspicatus ex urbe ad Callirrhoen fontem procurrit, ut eum voce assequi possit. Socrates iam ambulatione illa relicta transverso tramite Axiocho obviam it, ab eoque ad patris aedes perducitur, quo, postquam praeter murum ad Itoniam usque portam tetenderant, eaque porta in urbem introierant, prope ad Amazonis cippum (i. e. prope templum Olympium, v. Plut. Thes. 27.) deveniunt. Intelligitur, Cynosargen ab Ilisso versus boream neque a muro longe dissitum fuisse, Callirrhoen autem non magno spatio versus austrum a muro seiunctam. Etiam Phaedrum Platonicum, probabile est, eadem Itonia porta eundem fere *περίπατον* adire, siquidem antea in Morychia domo, prope ad Olympium, substiterat, ac Socrati, qui nonnisi invitatus urbe exire solebat (p. 230.), antequam portam attingeret, obviam fieri eumque ad *περίπατον* illum secum deducere.

quae muris comprehendi consentaneum ac necessarium fere videretur, partim intra partim extra essent. Idque eo magis mirari licet, quod Pausanias[1]) Musei collem intra muros fuisse testatur. Ac constat, eodem Pausania aliisque auctoribus, in hoc ipso colle Macedones, Demetrio Poliorceta imperante, munimentum condidisse, quod quas molestias Atheniensibus exhibuerit, satis notum est. Neque tamen dimidia eius collis superficies, quae, si Leakium sequimur, sola intra urbem relinquitur, castello illi, quod valido praesidio tenebatur, aream satis amplam praestare poterat; certe consultius erat, castelli muros ita deducere, ut extremis et praeruptis collis marginibus insisterent. Itaque haec repetitae et accuratiori, si fieri potest, locorum pervestigationi relinquimus. In altero colle, in quo Pnyx constituta erat, novimus partem muri, quae media erat inter Piraicam et Sacram portam et Heptachalcum appellabatur, incursioni hostium maxime fuisse obnoxiam[2]); idque quam habuerit causam, facile intelligimus, si forte ea collis pars, quae extra muros relinquebatur, altior erat interiore; ab hac parte Sullam constat Athenas expugnasse. Sed magis offendit, quod Athenarum muri versus orientem radices eius collis, quem vulgo nunc minorem Anchesmum appellant, si ichnographiae quam dixi fides est, ita stringebant, ut, si qui hostes eum collem occupavissent, ii non balistis tantum et catapultis, sed etiam sagittis et fundis oppidanos de muro deturbare potuisse viderentur: nisi forte peculiare aliquod castellum, in vicino et altiore colle, quem vulgo maiorem Anchesmum dicunt[3]), extructum hostes ab occupandis his locis arcebat. At huius tamen castelli neque vestigium indicatur, neque eius munitionis mentionem iniiciunt antiqui scriptores, nisi eo revocaveris Siceliam, locum editum prope urbem, quem ut munirent, ne urbs ipsorum ab ea parte expugnaretur, oraculum Dodonaeum Athenienses monuisse narratur, sed frustra[4]).

---

[1]) Pausan. I, 25, 6.

[2]) Plutarch Sulla 14.

[3]) Hic est, quem P. G. Forchhammerus argumentis idoneis Lycabettum esse evicit.

[4]) Pausan. VIII, 11, 6. Hac in re maxime quaerendum, in quem collem maxime quadret nomen *τοῦ τρισκελοῦς λόφου*, quod Suidas s. v. *σικελίζειν* eidem tribuit.

8. Portarum designatio, si ex vestigiis Acharnicarum pylarum coniecturam capimus, ad eam normam facta esse videtur, quam antiquitas Graeca ubique observabat, et cuius manifestissimum documentum etiamnunc in ruderibus murorum Mantinensium habetur. Nam antiquorum tacticae et poliorceticae artes cum praecipue in discrimine dextri et sinistri lateris et singulorum militum et universi exercitus tanquam in cardine verterentur, quorum illud, *τὸ παρὰ δόρυ*, ad aggrediendum validum sed ad defendendum maxime contra tela eminus missa infirmum erat, hoc autem, *τὸ κατ' ἀσπίδα*, inhabile ad impetum, sed mobili quodam muro satis munitum erat: etiam in muniendis oppidis aditus murorum ita instituebantur, ut accedentium dextro lateri turres vel prosilientes murorum anguli imminerent, qui accessum ad portam infestum et periculosum reddere possent[1]). Quam rationem etiam ita invertere licebit, ut ubi anguli procurrentes, quales significavi[2]), in vestigiis murorum reperiuntur, laeva parte (id est, laeva eorum, qui extrinsecus accedunt) portam fuisse coniiciatur: quod si sequimur, portam funerum (*τὰς ἠρίας πύλας*), si ea dextra parte Acharnicas excepit, certo loco constituere poterimus. Neque tamen celaverim, portam, quam Leakius Africum versus indicat[3]), ad illud praeceptum parum respondere.

Qui horum murorum ambitus fuerit, de ea re unum tantum directum et exactum testimonium, sed, quod dolendum, non ad universam quaestionem solvendam idoneum exstat. Thucydides enim refert, murum Athenarum urbis, qua tenus in Peloponnesiaco bello praesidio egeret neque longorum murorum brachiis inclusum et satis defensum esset, tria et

---

[1]) V. Vitruvius I, 5.: Excogitandum, uti portarum itinera non sint directa sed *σκαιά*, et quae seq. Ex recentioribus scriptoribus de hoc poliorceticae antiquae praecepto diligentissime dixit Leakius in Topogr. Athen. p. 242. ed. Germ. et in Descr. Moreae T. I. p. 104.

[2]) Huiusmodi angulos *γωνιασμοὺς* dictos esse puto. V. Lysias in Lysitheum ap. Harpocr. s. v. *γωνιασμοί*, quo loco significari videtur, aliquem, qui intra urbem praeter murum iret, post versuram quandam *γωνιασμὸν* et *εὐρυχωρίαν*, i. e. angulum procurrentem et liberam in eo aream, ad laevam habuisse.

[3]) Krusius, Hellad. II, I. p. 163., hanc *ἠρίας πύλας* esse putat: sed a quaestione de portarum nominibus nunc abstineo.

quadraginta stadiorum mensuram implevisse. Quominus autem inde universum urbis ambitum colligamus, prohibemur defectu notitiae de spatio, quod inter illa longorum murorum brachia intercedebat; qua potiri eo difficilius est, quo plura etiam in longorum murorum cognitione manca et obscura restant[1]).

9. Longos hos muros Athenienses non ante extruere coeperunt, quam cum ea consiliorum ratione, quam Themistocles proposuerat, mutata id sibi in animum induxissent, posse etiam salva urbe emporium et mare in ditione retineri, modo adversarii, quibuscum bellandum esset, navalibus copiis ne superiores fierent. Hoc enim ei munitionum generi propositum erat, ut etiam ea oppida, quae ex prisco Graecorum more condita non ipsis litoribus insistebant, sed quodam spatio inde disiuncta erant, insularum instar a terra continenti segregarentur, qua re a molesta Spartanorum tutela liberarentur, quorum non eadem erat in oppugnandis munimentis peritia atque in pugna apertis locis conserenda. Quo factum est, ut *τὰ μακρὰ τείχη* velut tessera quaedam, quae per exercitum diditur, per omnem Graeciam *ἀττικίζουσαν* et *δημίζουσαν* celebrarentur, et postquam Athenae primum et clarissimum eius rei exemplum prodiderant, in simili causa etiam Megaris, Argis, Patris, Corinthi, etiam Sicyoni longi muri struerentur[2]).

Atheniensium consilio exsequendo duos muros sufficere posuisse apertum, qui ab urbis moenibus usque ad munimenta Piraeei pertingerent, quibus cum tribus portibus Piraeensis sinus et Munychiensi etiam navalia et navium armamentarium (*νεώςοικοι* et *νεώρια*) comprehendebantur, et primaria dominationis subsidia ab hostium incursu defendebantur. Nihilominus Atheniensibus etiam Phalerensis portus, qui extra

[1]) Scholia Thucydidis quod docent, XVII stadiorum hanc murorum partem fuisse, scilicet ut omnis ambitus LX stadiorum esset, id plane incredibile; et quae sit erroris causa et origo, iam Henr. Stephanus viderat. V. Popponis Thucyd. P. III. V. II. p. 66.

[2]) Aristophanis verba, Eqq. 812. *τὸν Πειραιᾶ προςέμαξεν*, de Themistocle dicta non ad longos muros, quos Schol. imperite affert, sed ad munitionem tantum emporii referenda esse apertum est. Cf. v. 885.

Piraeei munimenta relictus erat, curae esse debebat, ne forte hostis maritimis copiis non invalidus, his navalibus, quae omnium urbi proxima et iam antiquitus ad classem apparandam instructa erant, potiretur. Hacpropter praeter duos illos muros, qui per XL stadiorum spatium ad Piraeense oppidum extendebantur[1]) et peculiari nomine *τὰ σκέλη* appellantur; tertius murus longus, sed illis paulo minor, per XXXV stadia, ad Phalerum deductus est, quem portum iisdem temporibus munimentis circumdatum esse probabile fit. Qua re Athenienses fortasse etiam hoc spectabant, ut si forte hostes alterutrum exteriorum murorum expugnassent, si modo reliqui duo muri defendi possent, iter ad mare Atheniensibus nondum interclusnm esset[2]). Ac poterant etiam eo moveri, quod arctum spatium inter duos muros Piraicos facilius defendi posset, quam latius inter Phalericum et Piraicum. Quidqnid autem consilii in ea re fuisse suspicemur: pro certo habendum est, triplici muro sub initium belli Peloponnesiaci Athenas cum portibus coniunctas fuisse. Hoc enim fateri cogit locus primarius Thucydidis, ubi Pericles Athenienses, quo apparatu ad defendendam urbem instructi sint, edocet. Sedecim milia civium et inquilinorum pone murorum pinnas disposita esse. Ex iis muris, Phalericum XXXV stadiis extendi usque ad ipsam urbem; huius moenium orbem eo usque, ubi longi muri ei adiuncti essent, XLIII stadiorum esse; longos muros ad Piraeeum usque XL stadiorum, quorum exteriorem custodiendum esse; muros autem Piraeei et Munychiae LX stadia amplecti, quorum dimidiam partem propugnatoribus opus habere (quod altera dimidia pars, puta, vel mari vel longis muris satis defenderetur). Manifestum est, Thucydidem in hoc recensu ab australi regione ad orientalem et septentrionalem progredi et universas Athenas quodammodo circuire, ut menti lectorum plena locorum, quae tum custodienda fuissent, imago proponeretur. Facile est

---

[1]) Schol. Aristoph. Equ. 825. (812.) numerum XXXV stadiorum in Piraicum murum a Phalerico transtulisse videtur. Rectius Strabo IX. p. 395. Diogen. Laert. Antisth. VI, 1, 2. aliique.

[2]) Haec innuit Schol. in Platon. Gorg. p. 22, 7. ed. Bekker.: *ἵν' εἰ τὸ ἓν καταβληθῇ, τὸ ἄλλο ὑπηρετοίη ἄχρι πολλοῦ.* Cf. p. 108 annot. 4.

enim, numeros indicatos (XXXV et XLIII et XL et XXX) computare et inde summam colligere CXLVIII stadiorum, eamque dividere in multitudinem propugnatorum, ex qua computatione efficitur unicuique militi quinque pedum et semissis spatium defendendum obvenisse, puto quod pinnarum intervalla hanc fere mensuram habebant[1]). Ubi autem Thucydides ab ambitu urbis ad longos muros pervenit, ut boreale munimentorum latus designet, aperte exteriorem murum, qui custodiendus esset, distinguit ab interiore muro itidem ad Piraeeum deducto, qui nullis tum propugnatoribus egebat. Qui non intelligo ubi terrarum quaeri possit, nisi ab illo boreali muro austrum versus, inter borealem et Phalericum murum.

10. Qua in persuasione confirmamur iis, quae antiqui scriptores de temporibus, quibus longi muri structi sint, tradiderunt. Athenienses, Thucydide auctore, longos muros, et Piraicum et Phalericum[2]), ad mare deducere coeperunt eodem tempore, quo bellum cum maritimis Peloponnesi civitatibus geri coeptum est, circa Olymp. LXXX. a. 3. Ac Cimoni quidem, qui hoc ipso anno vel fortasse proximo sequenti ostracismo pulsus Athenis secessit, fundamentorum iaciendorum consilium tribuitur, opus magnum et difficile, siquidem, Plutarcho teste, loca paludosa, per quae muri illi deducendi erant, ingentibus saxis et multo silice solidanda erant[3]). Quanquam propter ea, quae Thucydides tradit partium tum Athenis studia fuisse, ipsum Cimonem huic operi, invidioso illi apud optimatem factionem, non magnopere favisse crediderim. Absolutum autem est horum murorum opus medio

---

[1]) Colligemus quidem infra (comm. II.) ex titulo, quem dixi, pinnas in moenibus urbis cum muris interiectis quaternorum fuisse pedum: sed poterant muri longi et Piraeenses pinnas habere senorum pedum vel etiam paulo maiores, ut numerus sedecim milium hac ratione dispositus sufficeret.

[2]) *τὰ μακρὰ τείχη . . . τό τε Φαληρόνδε καὶ τὸ ἐς Πειραιᾶ*, Thucyd. I, 107.

[3]) *χάλικι πολλῇ καὶ λίθοις βαρέσι τῶν ἑλῶν πιεσθέντων*, Plut. Cim. 13. Hac quidem in vita Plutarchus eam rem ante Olymp. LXXVIII. a. 4. reponere videtur. Sed universa temporum descriptio in Plutarcho saepe tam indiligenter facta est, ut singula tantum excerpere et in iustum ordinem, cuius notitiam Thucydidi fere soli debemus, referre liceat.

tempore inter Oenophytensem pugnam atque Aeginae expugnationem, id est Olympiadis LXXX anni 4. auctumno. Hoc tamen anno nonnisi borealem sive exteriorem murum Piraicum extructum esse, Athenienses etiam Andocidis tempore reminiscebantur. Qui quidem orator in oratione de pace neutiquam eam fidem praestat, quam ab historico expectaveris, sed in hac re mentiri non poterat, cum seniores eius auditores eum facile mendacii coarguissent. Dico praecipue de ea re, quod borealem murum prius extructum dicit quam australem[1]). Australem autem murum non prius extructum esse dicit, quam post foedus tricennale, quod Olymp. LXXXIII. a. 3. ab Atheniensibus et Peloponnesiis ictum est[2]), ante Peloponnesiaci belli initium, Olymp. LXXXVII, 1. Cui sententiae magnum, ut mihi quidem videtur, inde accedit subsidium, quod Socrates Platonicus dicit[3]), se Periclem ipsum audivisse, cum in comitiis populo, ut medius murus, *τὸ διὰ μέσου τεῖχος*, extrueretur, persuaderet. Atqui Socratem constat Olymp. LXVII. a. 3. natum non ante Olymp. LXXXII. a. 3. comitiis civium interfuisse; itaque cogimur, si Platoni fidem non denegamus, ut post muros Olympiade octogesima inchoatos et absolutos aliud opus ad muros longos pertinens Pericle auctore susceptum esse statuamus. Idque opus fuisse murum Piraicum interiorem, qui, si de altero Piraico cogites, australis, si ad Phalericum simul respexeris, medius dici potest, iam antiqui grammatici intellexerunt[4]). Postremo, ut

---

[1]) V. Andocides de pace p. 91. R. §. 5. coll. Aeschine de falsa leg. §. 173. Video quidem Krügerum in commentat. edita ab A. G. Bekkero (*Andokides übersetzt und erläutert von A. G. B. S.* 258.) huic narrationi fidem denegare, ut per se improbabili et Thucydidis diserto testimonio refutatae. Sed utrumque cur a V. D. minus recte dici putem, apparet ex iis, quae superiore loco scripsi. Idem tamen ea, quae de illa pace Andocides narrat, tanquam tricennali foedere antiquiori et per XIII. annos observata, ex confusis notionibus orta esse, minime infitior.

[2]) Andoc. p. 93. R. §. 7.

[3]) Plato Gorgia p. 455. e. *Τὸ διὰ μέσου τεῖχος* nihil esse nisi synonymum *τῶν μακρῶν τειχῶν*, aegre crediderim, quanquam silentio premendum non est, scriptorem posteriorum temporum, Dionem Chrysost. Or. 6. p. 199. R., longos muros *τὰ διὰ μέσου τείχη* appellare.

[4]) Harpocratio s. v. *διὰ μέσου τεῖχος* (p. 57, 23. ed Bekker.): *Ἀντιφῶν πρὸς Νικοκλέα. τριῶν ὄντων τειχῶν ἐν τῇ Ἀττικῇ,*

cumulum snperaddamus huic ratiocinationi, Cratinus, comicus poeta, quod queritur, Periclem iam dudum multa verba facere de longis muris, opus autem non moliri[1]), propter duas causas non ad alium longum murum, quam ad australem Piraicum spectare potest, primo quod septentrionalem murum, cum Phalerico, mirifica cum velocitate perfectum esse, Thucydide teste cognovimus, secundo quod hi muri ante extructi sunt, quam Cratinus ad commissiones scenicas accederet (quod Olymp. LXXXI. a. 3. factum esse, Eusebius chronographus testatur)[2]). Huius *διὰ μέσου τείχους* opus faciendum conduxit architectus Callicrates, nam de hoc muro, non de boreali accipienda esse Plutarchi verba[3]), praeter alias causas apertas inde probabiliter colligitur, quod idem Callicrates Parthenonis architectus fuisse traditur, quae aedes Olymp. LXXXIV et LXXXV struebatur[4]).

ὡς καὶ Ἀριστοφάνης φησὶν ἐν Τριφάλητι (fragm. 469. Dind.), *τοῦ τε βορείου καὶ τοῦ νοτίου καὶ τοῦ Φαληρικοῦ, διὰ μέσου τούτων ἐλέγετο τὸ νότιον, οὗ καὶ μνημονεύει καὶ Πλάτων ἐν Γοργίᾳ.* Similis videtur fuisse notitia excerpta et ita corrupta, ut nunc ne intelligi quidem possit, in Schol. in Plat. Gorg. p. 22, 7. ed. Bekker. Memorabile tamen, quod hoc scholion affirmat, *ἄχρι νῦν εἶναι ἐν Ἑλλάδι τὸ διὰ μέσου τεῖχος.*

[1]) apud Plutarchum Pericl. 13. et de gloria Atheniens. c. 8. (p. 351. a. Steph.). Illo loco Plutarchus *τὸ μακρὸν τεῖχος* idem esse, de quo Socrates dixerit, significat; hoc l. nomine *τοῦ διὰ μέσου τείχους* utitur.

[2]) Cf. Meinekius Quaest. scenic. Spec. 1. p. 16., qui et ipse ab ea sententia stat, certe non ante annum indicatum Cratinum in scena floruisse.

[3]) *Τὸ δὲ μακρὸν τεῖχος, περὶ οὗ Σωκράτης ἀκοῦσαί φησιν αὐτὸς εἰςηγουμένου γνώμην Περικλέους, ἠργολάβησε Καλλικράτης.* Plut. Pericle 13.

[4]) Huius, quam hic proposui, problematis multum agitati solutionis primas lineas iam descripsi ante hos XV annos in brevi Athenarum topographia, inserta encyclopaediae Halensi T. VI. p. 223. disputans ibi contra Hawkinsium maxime, qui de longis muris Athenarum scripsit in Walpolii collectione: *Memoirs p.* 522. Postea Krügerus contra Leakium, in libro de topogr. Athenarum p. 364 sqq. duos solos fuisse muros contendentem, ex Thucydidis maxime verbis argumenta repetiit: qui quae in Ephemer. Halensibus a. 1827. p. 141 sq. scripsit, in sermonem Latinum conversa dedit Poppo Thucyd. III, II. p. 62.

11. Quod magni huius operis tam tenuis et obscura memoria superest, in causa fuit potissimum magna mutatio, quam Athenarum munimenta subire cogebantur, cum Spartani Atheniensibus devictis bello Peloponnesiaco finem imposuissent. Nam durante hoc bello Athenienses muros, ubi forte laborabant, diligenter refecisse videntur[1]). At vero cum Spartani Lysandro duce Athenis imminerent, illi primum inter paces leges postulaverant, ut dena stadia de utroque longo muro (id est de Piraico, qui borealem et australem complectitur, et de Phalerico[2]) diruerentur. Mox cum Theramenis malis artibus effectum esset, ut Athenienses fame et inopia omnium rerum pressi ne durissimas quidem pacis leges aspernari possent, concessum est, ut omnes longi muri, et praeter eos etiam munimenta Piraeei diruerentur[3]).

Cf. quae dixi in additamentis ad Leakii topogr. in Germania editam p. 467 sq. (ubi v. penultimo typothetae error ne quosdam lectores fefellerit, vereor). Ceterum *τὰ σκέλη* proprie muros ad Piraeeum deductos audivisse, quod Strabo IX. p. 395. refert, credibile, cum ii eadem essent longitudine et eandem lineam sequerentur. *Τοὺς Ἀθηναίους τοὺς ἐν μακρῷ τείχει* apud Andoc. de myster. §. 45. existimo omnes esse, qui intra muros longos, Piraicos et Phalericum, habitarent.

[1]) In titulo circa Olymp. XC. scripto apud Boeckhium Oecon. Ath. publ. T. II. p. 198. Corp. Inscr. Graec. n. 76. populus iubet (§ 9.): *Ἐπειδὰν δὲ ἀποδεδομένα ᾖ τοῖς θεοῖς τὰ χρήματα, ἐς τὸ νεώριον καὶ τὰ τείχη τοῖς περιοῦσι χρῆσθαι χρήμασιν.* — Obscuram quandam alius operis ad longos muros pertinentis mentionem reperio in Aristoph. Eqq. 817. sq. *σὺ δ' Ἀθηναίους ἐζήτησας μικροπολίτας ἀποφῆναι διατειχίζων καὶ χρησμῳδῶν, ὁ Θεμιστοκλεῖ ἀντιφερίζων*, quibus verbis significari puto Cleonis aliquod munimentum, quo urbem, ut etiam capto Piraeeo defendi posset, a longis muris segregaverit. Cf. Schol.

[2]) *Προυκαλοῦντο (οἱ Λακεδαιμόνιοι) τῶν μακρῶν τειχῶν ἐπὶ δέκα σταδίους καθελεῖν ἑκατέρου.* Xenoph. Hell. II, 2, 15. Iisdem paene verbis Lysias in Agorat. §. 8. utitur: *τῶν τειχῶν τῶν μακρῶν ἐπὶ δέκα στάδια ἑκατέρου.* Quae, puto, non tam offendent, si *τὰ σκέλη* pro uno *τείχει* haberi potuisse reputaveris.

[3]) V. Xenoph. Hell. II, 2, 20. *τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραῖα καθελεῖν*, cf. Lys. in Agorat. §. 14. Consilia XXX virorum Piraeeum muris nudasse contendit Lys. in Eratosth. §. 40. (quo loco puto Taylorum verum vidisse, et scribendum esse: *ἀλλ' ὅτι ἑαυτοῖς κ. τ. λ.*) *Συνέθεντο τὴν εἰρήνην ὥστε τὰ*

12. Restitutos esse hos muros, satis constat, maximam quidem partem a Conone, Persarum tum classis praefecto, et pecunias a Phanabazo satrapa sibi concessas in usum patriae convertente, sed partim etiam ab ipsis Atheniensibus aerario suo non parcentibus, et a Boeotis aliisque vicinis gentibus per voluntarias collationes Athenienses sublevantibus, Olymp. XCVI. a. 4.[1]). Quod si quaesiveris', quinam eo tempore muri restituti sint, coniecturam ex probabilitate capere licebit, Athenienses tum intra fines necessariorum operum substitisse, neque plures quam duos muros ad mare deduxisse, Phalerense autem emporium munimento quodam ab australi muro in transversum deducto inclusisse. Eaque sententia aperte eo comprobatur, quod in scriptoribus posteriorum temporum nulla nisi duorum murorum mentio extat[2]), atque insigni maxime documento nostri tituli, in quo *τὸ βόρειον* et *τὸ νότιον τεῖχος* sola commemorantur[3]). Non mirum igitur, ipsis in locis duorum tantum murorum vestigia nunc conspici, siquidem, cum Cono reficiendorum munimentorum opus festinaret, omnia quae ab antiquioribus muris supererant saxa et caementa sine dubio statim adhibebantur, atque Phalerici muri etiam fundamenta, quae tum sola restitisse credibile est, faciliore negotio e solo evellebantur, quam quo saxa eiusdem molis e lapicidinis parari poterant. Itaque quae nunc his locis murorum vestigia extant, duodenos fere pedes lata, et centum et quinquaginta pedum spatio inter se distantia, duo brachia Piraici muri, quem Conone auctore Athenienses extruxerunt, referre existimo.

13. Proximo post Cononem saeculo muros Atheniensium unquam eversos et refectos esse non traditur, sed continua tamen cura indigebant. Hanc quidem curam saepe in futiles

---

μακρὰ σκέλη καὶ τὰ τείχη τοῦ Πειραιῶς περιελεῖν, Diodorus XIII, 107.

[1]) V. Xenoph. Hell. IV, 8, 9. 10. 12. Diodor. Sic. XIV, 85. Nepos Conon. 4. Timoth. 4. cf. Demosth. adv. Leptin. p. 477. 478. Etiam Plato Menexeno p. 245. eas res tangit.

[2]) V. ex. gr. Liv. XXXI. 26., qui diserte testatur, Philippi Demetrii f. temporibus nihil nisi semirutum murum his locis superfuisse, qui brachiis duobus Piraeeum Athenis iunxerit. Haec duo brachia etiamtum *τὰ σκέλη* dicta fuisse, Scylax et alii testes sunt. V. Meursius Piraeeo c. 2.

[3]) V. v. 120.

res et vanam speciem, velut in tectorium pinnarum conversam esse, circa Olynthii belli tempora, quibus Eubulus Anaphlystius [1]) redituum administrationi praeerat, queri solet Demosthenes (Olymp. CVII) [2]), At cum Philippi contra Athenienses expeditio iam immineret, exeunte Olymp. CX. a. 2, archonte Lysimachide, Demosthenes lege ad populum lata effecit, ut tribuum comitia haberentur Scirophorionis d. II et III, et in iis a quavis tribu curatores moenium eligerentur, et ipse tum a Pandionide tribu gravissimo huic muneri praefectus est. Quo dum fungebatur, imminente post pugnam Chaeronensem ipsi urbi summo periculo, Demosthenes pro parte sua decem fere talentis ex aerario publico acceptis ipse supererogatione facta impendit tria talenta, et duas fossas suis sumptibus circa Piraeeum duxit [3]).

---

[1]) De hac Eubuli potentia, non dico potestate, primarium est testimonium Aeschinis contra Ctesiph. §. 25., fortasse oratoria quadam illud hyperbole exaggeratum, sed non abhorrens tamen a veritate. Quod *σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* dicit, secundum pendentem imperfecti sensum sic explicandum est, ut Eubulum cum collegis in munere theorico incepisse hoc opus statuatur. Absolvisse enim illud constat Lycurgum.

[2]) Demosthen. Olynth. III. p. 36. *καὶ τί ἂν εἰπεῖν τις ἔχοι; τὰς ἐπάλξεις, ἃς κονιῶμεν; καὶ τὰς ὁδοὺς ἃς ἐπισκευάζομεν; καὶ κρήνας; καὶ λήρους;* Idem de contrib. p. 175. *δημοσίᾳ μὲν ἡ πόλις ἡμῶν τὰς ὁδοὺς ἀγαπᾷ κατασκευάζουσα καὶ κρήνας καὶ κονιάματα καὶ λήρους.* Adv. Aristocratem p. 689. *δημοσίᾳ δ' ὑμεῖς ἃ μὲν οἰκοδομεῖτε καὶ κονιᾶτε, ὡς μικρὰ καὶ γλίσχρα, αἰσχύνη λέγειν.* Ceterum ad tempora Ol. CVII. pertinere videntur, quae de Conone Timothei filio narrantur a Cornelio Nep. Timoth. V. cit. *Huius* (Timothei) *post mortem* (Ol. CVI. a. 3. v. Clinton Fast. Hell. h. a.) *cum populum iudicii sui paeniteret, multae novem partes detraxit, et decem talenta Cononem, filium eius, ad muri quandam partem reficiendam iussit dare.*

[3]) *Γραφὴ* scripta Elaphebolione mense anni Ol. CX. 3. Chaeronda archonte, ap. Demosth. de corona p. 243. *Ἔστι δὲ Δημοσθένης τειχοποιὸς καὶ ἐπὶ τῷ θεωρικῷ τεταγμένος.* Plebiscitum ap. eundem p. 266. *ἐπειδὴ Δημ. γενόμενος ἐπιμελητὴς τῆς τῶν τειχῶν ἐπισκευῆς καὶ προςαναλώσας εἰς τὰ ἔργα ἀπὸ τῆς ἰδίας οὐσίας τρία τάλαντα ἐπέδωκε ταῦτα τῷ δήμῳ.* Idem p. 325. *τὸν δὲ τειχισμὸν τοῦτον, ὃν σύ μου διέσυρες, καὶ τὴν ταφρείαν ἄξια μὲν χάριτος καὶ ἐπαίνου κρίνω. . . . . Ταῦτα προὐβαλόμην ἐγὼ πρὸ τῆς Ἀττικῆς — οὐχὶ τὸν κύκλον μόνον τοῦ Πειραιῶς οὐδὲ τοῦ ἄστεος.* Et v. Aeschines in Ctesiph.

Commentatio altera.

1836.

1. Superiore commentatione historiam munimentorum Athenarum usque ad Demosthenis tempora perlustrantes nullum dum tempus inveneramus, cui titulum, quem explicandum suscepimus, propter ea quae ab antiquis scriptoribus memoriae produntur, attribueremus. Scripturae ratio tempora indicat, quae inter finem Peloponnesiaci et Alexandrum intercesserunt. Sed ad ea opera, quae Conone auctore Athenis facta sunt, tituli argumentum revocare non licet, propterea quod Cono muros longos et Piraeei munimenta denuo struxit, hic autem titulus totus versatur in reficiendis iis murorum partibus, quae vel vetustate collapsae erant vel aliis de causis laborabant. Sed etiam ad Chaeronensis proelii tempus referri propterea non potest, quod tum curatores a tribubus constituti muros, pecunia ex publico aerario accepta, restituere iussi sunt, secundum hunc titulum autem opus murorum reficiendorum

---

p. 420. §. 27. *Ἐπὶ γὰρ Χαιρώνδου* (*πρὸ γὰρ Χαιρώνδου*, i. e. proximo ante Chaerondam anno, scribendum esse, ex rerum gestarum ordine evicit Boeckhius de archont. Att. pseudeponymis p. 27 sqq. cf. Winiewsky Comment. orat. de corona p. 271 sq.) *ἄρχοντος Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος ἐκκλησίας οὔσης ἔγραψε ψήφισμα Δημ., ἀγορὰν ποιῆσαι τῶν φυλῶν Σκιροφοριῶνος δευτέρᾳ ἱσταμένου καὶ τρίτῃ, καὶ ἐπέταξεν ἐν τῷ ψηφίσματι ἑκάστης τῶν φυλῶν ἑλέσθαι τοὺς ἐπιμεληθησομένους τῶν ἔργων ἐπὶ τὰ τείχη καὶ ταμίας.* Id. §. 31. *Ἡ δὲ Πανδιονὶς φυλὴ ἄρχοντα καὶ τειχοποιὸν ἀπέδειξε Δημοσθένην, ὃς ἐκ τῆς διοικήσεως εἰς ταῦτα ἔχει μικροῦ δεῖν δέκα τάλαντα.* cf. §. 14. 23. Plutarchus X. Orat. V. p. 263. ed. Hutt. *Μετὰ δὲ ταῦτα* (i. e. Chaeronensem pugnam) *πρὸς τὴν ἐπισκευὴν τῆς πόλεως τῇ ἐπιμελείᾳ προσελθὼν καὶ τῶν τειχῶν ἐπιμελητὴς χειροτονηθεὶς ἀπὸ τῆς ἰδίας οὐσίας εἰςήνεγκε τὸ ὠναλωθὲν ἀργύριον, μνᾶς ἑκατόν.* Lex in Vitis X. Orat. I. p. 275. *καὶ εἰς τὴν τειχοποιΐαν ἀνάλωσε χειροτονηθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου ἐπιδόντος αὐτοῦ τρία τάλαντα. καὶ ἃς ἐπέδωκε δύο τάφρους περὶ τὸν Πειραῖα ταφρεύσας.* Centum illas minas Boeckhius Oecon. publ. I. p. 219. translatas existimat a Demosthenis theorico munere (coll. or. de cor. p. 266). Cf. Lycurgus in Leocr. §. 44. de temporibus post pugnam Chaeronensem: *ἐπεμελοῦντο γὰρ οἱ μὲν τῆς τῶν τειχῶν κατασκευῆς, οἱ δὲ τῆς τῶν τάφρων, οἱ δὲ τῆς χαρακώσεως.* Cf. §. 47.

redemptoribus locatur, qui cum curatoribus illis nihil commune habent. Neu tamen hunc titulum ultra Alexandri tempora deprimamus, dissuadere videtur magna scripturae elegantia, literarumque quarundam forma et nonnulla antiquioris scripturae vestigia [1]), Definitius aetatis documentum non habebam, donec in apographo Pittaciano, quod post Rossianum nactus sum, (v. 37. Fr.) liquida vestigia extare vidi nominis Habronis Lycurgi filii Butadae, praefecti impensarum publicarum, quod Attici dicunt *τοῦ ἐπὶ τῇ διοικήσει*. Hic vir, quem Lycurgi, illustris apud Athenienses oratoris, filiorum natu maximum fuisse constat [2]), patris quidem fama multo minor erat, sed nihilominus et ipse res publicas egregie capessivit [3]). Quando is ad populum prodierit a nemine accepimus; potuisse tamen, si Lycurgum patrem, Demosthene maiorem, circa Olymp. XCV. natum statuimus, filium iam Olymp. CX. publico munere fungi, in aperto est. Hinc credibile fit, hunc Habronem ab ipso patre, cum diuturnam ille redituum curam sustineret, ad ea negotia adhibitum et quasi in hoc genere rerum publicarum administrandarum institutum esse. Accedit, quod Lycurgus, cum ipse suo nomine per unam *πενταετηρίδα*, id est quatuor annos, *ταμίας τῆς διοικήσεως* fuisset, deinde propter legem ab ipso latam non destitit quidem ab hac utilissima cura, sed effecit, ut quidam ipsius amici palam hoc munus populi suffragiis susciperent et nomen profiterentur [4]), ipse autem revera universam rem suis consiliis gubernaret. Quo praetexto Lycurgum per duas *πενταετηρίδας*, id est per octo annos, his rebus praefuisse constat: intra quos annos Habronis magistratum probabiliter ponere licet [5]).

---

[1]) V. §. 5.

[2]) Pseudo-Plutarchi errorem sive inconstantiam in ea re castigat Nissen de Lycurgi Vita p. 98 sq.

[3]) *Πολιτευσάμενον ἐπιφανῶς* dicit idem Vitarum X oratorum auctor.

[4]) Ita verba Pseudo-Plutarchi p. 251. *τῶν φίλων ἐπιγραψάμενός τινα*, intelligenda sunt.

[5]) Etiam quod Lycurgo mortuo Athenienses ab adversariorum factione eo adducti sunt, ut filios illius undecimviris traderent, qui fieri potuerit facilius intelligi poterit, si filios patris in gubernanda republica socios fuisse posuerimus.

2. Hic incidimus in quaestionem difficillimam, eamque novissimo tempore magno cum fervore agitatam[1]), ex quo tempore Lycurgus ad illud munus capessendum accesserit. Equidem, cum rationes explicare huius loci non sit, satis habeo confiteri, mihi Boekhii computationem omnium maxime probabilem visam esse, et eam quidem (nam Boekhius liberum sibi servavit has sive proxime antecedentes Olympiades eligere,) ex qua Lycurgus ab Olympiadis CX. inde a. 3. usque ad CXIII. a. 3. huic muneri praefuit. Unum ratiocinationis genus paulo explicatius propono. Lycurgus, quod ex certissima etiamnunc fide plebisciti servati accipitur, navalia et armamentarium Piraeense (*νεωςοίκους* et *σκευοθήκην* sive *ὁπλοθήκην*), opus ab antecessoribus inceptum sed imperfectum, extruenda denuo suscepit et absolvit[2]). Atqui, Philochoro teste, Athenienses Lysimachide archonte, cum bellum Chaeronense immineret, opus in navalibus et armamentario faciendum distulerunt, ut omnia vectigalia bello impenderent[3]). Constat autem ante pugnam Chaeronensem Eubuli Anaphlystii tantam fuisse apud plebem Atheniensium auctoritatem, tantamque theoricarum largitionum, quas ille in immensum auxerat, gratiam, ut theoricae pecuniae praefecti saltem usque ad Olymp. CX. a. 3. multis rebus praeessent, quae ab eorum provincia antea alienae fuerant, atque etiam armamentarii extruendi curam gererent[4]). Itaque ad Lycurgum ea cura non potest esse translata nisi post pugnam Chaeronensem, translatam autem esse simul cum quaestura *ἐπὶ διοικήσεως*, maxime probabile

---

[1]) Post Boeckhium de Oecon. Athen. II. p. 244. de eadem re dixerunt J. Bakius, Biblioth. crit. nova V. v. p. 456 sqq. A. F. Nissen de Lycurgi oratoris vita p. 10 sqq. Fr. G. Kiessling Lycurgi deperditarum orationum fragmenta p. 78 sqq. Lhardy de Demade p. 31 sqq., quorum opiniones inter se collatas examinavi in Relat. Gotting. a. 1836.

[2]) Haec sunt verba populisciti in X. oratt. Vitis servati: *ἡμίεργα παραλαβὼν τούς τε νεωςοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην καὶ τὸ θέατρον τὸ Διονυσιακὸν ἐξειργάσατο καὶ ἐπετέλεσε, καὶ τό τε στάδιον τὸ Παναθηναϊκὸν καὶ τὸ γυμνάσιον τὸ Λύκειον κατεσκεύασε.*

[3]) Philochori fragm. p. 76. ed. Siebelis.

[4]) Huius rei auctor est Aeschines in Ctesiph. §. 25. Atque etiam navalia ab Eubulo strui coepta esse, significare videtur Dinarchus in Demosthenem §. 96.

est. Certe Hyperide teste constat, Lycurgum, cum hoc munere fungeretur, et urbem et portus magnis operibus et monimentis ornasse[1]); neque Lycurgus, si Menesaechmus, ipsius adversarius et successor[2]), rationes publicas iam tum procurasset, tantam pecuniam imperare potuisset, quanta ad illa opera molienda opus erat. Cum his rationibus egregie concinit etiam illud, quod de armamentario in Piraeensi portu scripsit Philo architectus, sine dubio, sicut architecti antiqui solebant, post perfectum hoc nobile aedificium, quod ipsum accipimus architectatum esse[3]). Idem autem Philo Demetrio Phalereo Athenas tenente, post Olymp. CXV. a. 4., Eleusinio templo prostylon addidit[4]). Itaque Philo his temporibus ex architectis Atheniensium maxima laude floruisse existimandus est, neque multum temporis intercessisse credibile est inter Lycurgi et Demetrii administrationem. Apparet, omnia vestigia eo ducere, ut Lycurgum publicis Athenarum rationibus praefuisse statuamus inde ab Olymp. CX. a. 3. usque ad CXIII. a. 3.

3. Possis autem fortasse hanc murorum refectionem, de

---

[1]) V. Hyperides apud Apsinem, Rhetor. Ald. T. I. p. 708.

[2]) V. Dionysii de Dinarcho iudicium T. V. p. 660. R. Menesaechmi gratiam apud populum Atheniensium eo tempore maximam fuisse oportet, cum Lycurgus diem obiret, i. e. proximo tempore ante Harpaliam causam, quae Olymp. XCIII. a. quarto exeunte et XCIV. a. primo ineunte agitata est. Nam Lycurgum tum mortuum iam fuisse, testis est auctor Vitt. X. oratt. in Hyperide p. 270., sed eius liberos, post patris mortem Menesaechmo populum instigante in carcerem coniectos, etiamtum, cum Demosthenes propter causam Harpaliam damnatus in exilio esset, custoditos esse, persuadent idem scriptor in Lycurgo p. 254. et tertiae epistolae inter Demosthenicas auctor. Cf. Schol. Hermogen. περὶ ἰδεῶν I, 7. ap. Walz. Rhet. Graec. T. VI. p. 993. Itaque nullus dubito, quin Menesaechmus pecuniam publicam administraverit inde ab Olymp. CXIII. anno tertio.

[3]) Ratio illa operis, quam Cicero de Orat. 1, 14. et Valer. Max. VIII, 12. ext. 2. tradunt, Philonem perdiserte populo reddidisse, ita ut oratoris paene laudem mereretur, eadem in libri formam redacta et lecta fuisse videtur a Vitruvio l. VII. Praef. Ceterum cf. de Philonis armamentario Strabo IX. p. 395. Plutarchus Sull. 14. Plinius VII, 37, 38. Ausonius Idyll. X, 303.

[4]) V. idem Vitruvius eadem praefat.

qua titulo nostro dicitur, componere cum ea urbis instauratione, quam ipse Lycurgus, populi suffragiis ad apparatum belli instruendum electus, curasse traditur [1]). De ea qui locuntur, bellum quod fuerit, non indicant: non dubito tamen, Lycurgum tum hanc curam suscepisse, cum Athenienses bellum Alexandro non indixissent quidem, sed moverent tamen, donec is impetus Thebarum incendio restingueretur. Hoc enim tempore Lycurgum cum Demosthene Macedonibus maxime adversatum esse constat [2]). Quicquid autem hac de re statueris, eam nihil pertinere existimo ad eam murorum instaurationem, de qua titulo nostro agitur. Hanc enim non belli necessitate urgente suscipi, sed invitante otio pacis, et iis quidem temporibus, quibus Atheniensium aerarium a Lycurgo iam ita restitutum esset, ut etiam futurorum temporum occasioni provideri posset, inde intelligitur, quod in extremo titulo constituitur, quid primo, secundo, tertio anno usque ad quintum faciendum sit. Hoc alienum esse a tumultu belli, facile intelligitur.

4. Quae post haec tempora Athenarum muris acciderunt, cum ad titulum hunc explicandum nihil faciant, paucis verbis complectimur [3]): munimenta illa sive castella a Macedonibus in Munychia peninsula et Museo colle intra urbem condita; longos muros ita neglectos, ut iam Philippi *τοῦ μισορωμαίου* tempore semiruti essent [4]), plane deletos autem a Sulla, qui inde saxa materiemque ad obsidionem Piraeei

---

[1]) *χειροτονηθεὶς ἐπὶ τὴν τοῦ πολέμου παρασκευὴν ἄλλα τε πολλὰ τῆς πόλεως κατεῤῥυηκότα ἐπανέλαβε κ. τ. λ.* Photius p. 497. ed. Bek. Minus distincte Ps. Plutarchus p. 251. *πολλὰ τῆς πόλεως ἐπηνώρθωσε.* Populiscitum tamen nihil de ea re scriptum habet. Diligenter autem observandum est, *νεώρια* et *σκευοθήκην* non inter ea recenseri, quae Lycurgus *χειροτονηθεὶς ἐπὶ τὴν τοῦ πολ. παρασκευὴν* paravisse dicitur.

[2]) Demades de dodecaetia §. 17., cuius verba ad tempus proximum ante excidium Thebarum spectant. Alexandrum hoc tempore Lycurgum inter oratores sibi adversarios depoposcisse notum est.

[3]) Quod in lege secunda annexa Vitis X. Oratt. Laches Demochari patri suo statuam poscit propter *οἰκοδομὴν τειχῶν, παρασκευὴν ὅπλων*, id ad tempora civitatis pertinet Alexandro certe aliquanto inferiora.

[4]) Livius XXXI, 26.

convertit, cuius munimenta postea, cum victor ingressus esset, pariter diruit: quo factum ut Romanis Graeciam obtinentibus emporium Athenarum munimentis careret et urbs tantum muris cincta esset, qui usque ad ea tempora, quibus borealium terrarum gentes Romanorum imperium proculcaverunt, durasse videntur.

5. Jam quod attinet ad tituli formam, scripturae genus aperte recentius archonte Euclide, sed bonae tamen notae est neque in ulla re ab ea literarum figura discedere videtur, quibus Athenienses Philippi et Alexandri temporibus utebantur. Quod pluribus locis diphthongus *η* literis *EI* significatur (l. 3. *ΣΥΝΤΕΛΕΣΘΕΙ.* 26. *ΠΑΡΑΛΑΒΕΙ.* 47. *ΠΤΩΜΑΤΙΣΕΙ.* 84. *ΤΕΙ ΔΙΟΙΚΗΣΕΙ*), antiquitatem olet non nimio intervallo distantem ab archonte Euclide, quo *H* literae usus primum ad publica monimenta adhibebatur. Nihilominus eadem antiquae scripturae forma etiam in recentioribus titulis interdum reperitur [1]).

Titulis *στοιχηδὸν* scriptus est, nisi quod versus primus, trigesimus quintus cum sexto, denique centesimus decimus nonus maioribus literis et ultimi minoribus exarati sunt, et quod in versibus 80 et 81. verba *ΕΝΑΛΛΑΞ ΠΑΡΑ* diductioribus elementis scripta sunt. Literae, quae v. 61 et 103. ordini suprapositae sunt, in ipso marmore eo loco exstant [2]). Unusquisque versus literas continet LXXI, exceptis iis quos dixi; versus numerantur CXXV.

Grammatici in hoc titulo notabunt saepius syllabam primam verbi *δεῖται*, ubi nulla contractione augetur, productam esse. Legitur enim v. 43. *ΔΕΙΗΤΑΙ*, v. 58. *ΠΡΟΣΔΕΙΗΤΑΙ* et v. 50. *ΔΕΙΟΜΕΝΗ* ut videtur. Cuius productionis aequalia exempla non novi nisi *ΚΕΙΩΝΤΑΙ*, in titulo Attico lectum, qui inter Olymp. C et CXV. scriptus est [3]).

---

[1]) Maxime in terminatione coniunctivi hoc *EI* diu perdurasse, multis locis monuit Boeckhius in Corp. Inscr. Graec. V. T. II. p. 369. 629. — V. etiam marmor Parium apud Thiersch. Act. Acad. Monac. philol. et philos. T. I. p. 603.

[2]) Addo etiam hoc ex literis V. Cl. Rossii, latitudinem tabulae marmoreae esse 0,94 metr. Gall., longitudinem eius frusti, quod integrum servatum est, 1, 84.

[3]) Corp. Inscr. Graec. n. 102. Neque hoc tamen illius plane geminum est. Franzius quibusdam rebus offensus est, quae nunc, cognito meliore apographo, evanescunt, ut *ΕΡΓΑΣΜΕΝΑ*

6. Nunc nihil antiquius habemus, quam ut titulum literis vulgaribus, aliquot locis suppletum et, ubi sententiam verborum aliquatenus sectari licet, in Latinam linguam conversum proponamus. Postea cum interpretationem hanc, tum supplementa illa annotatione adiecta viris doctis approbare studebimus.

Ἐπὶ . ἄρχοντος ἐπὶ τῆς . δος πρυτανείας ἔδο] ξεν τῷ δήμῳ . [εἶπεν
. . . . τὸ τείχη τοῦ ἄσ]τεως καὶ τοῦ Πειραιέως καὶ τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὰ περὶ τὸν τ . . Ἀ]θημναίων εἰς τὸν ἔπειτα (?) χρόνον κ.
. . . . ὅσα καὶ συντελεσθῇ καὶ . . . .
. . . . διαλ]είποντες ἀπ' ἀλλήλων τρία μ . . . .
. . . . τὸν ἀρχιτέκτ]ονα τὸν κεχειροτονημένον ὑπὸ τοῦ δημου . . τῶν τοῦ ἄστεος καὶ τοῦ πειραίεως καὶ τῶν μα]κρῶν τειχῶν δέκα μέρη καὶ δ[ίοδ]ον ? .
. . . . παρέ[χειν? . . . .
. . . . μὴ ἔ[λαττον? . ὁ ἀρχι]τέκτων καὶ .
. . . . .
. . . . . τὰ ἔξω . .
. . . . .
. . . . . ἑπτὰ πόδας . . . . τ]ῷ ἔτ[ει . . . .
. . . . .
. . . . .
. . . . μισθωσ]άμεν[οι . . . .
. . . . .
. . . . .
. . . . ἀρχιτέκτονα . . .
. . . . ὦσιν οἱ μισθωσάμενοι . . . . .
. . . . ὅ[ρκῳ πι]σ[τῶ] σαι ἐν τῇ βουλῇ κατὰ τὸν νόμον . .
. . . . . τῷ ὑπὸ] τῷδε τῷ ψηφίσματι γεγραμμένῳ . . .
. . . . οὓς ἂν κολ . . μὴ πε[ριέ]ρχο[ι]ν[το] .
. . . . τὶς τῶν [μεμισθ]ωμένων παραλάβῃ ἐ[ν] τ[ῷ] μέρ[ε]ι [τ]ῷ νεμ[ηθέντι αὐτῷ] . καὶ τἆλλ' ὅσ' ἂν ᾖ ἐπὶ τοῦ τείχους .

---

et *ἀπεργάζων*. Quod autem legitur v. 74. *χρειαζόμενα*, id a *χρείᾳ* ad analogiam verborum *βιάζομαι* et *ἐνδοιάζω* et similium multorum formatum est. Sed Franzius hacpropter titulum nostrum in aetatem Philippi, Romanorum hostis, reiicere voluit.

. . . . ἐπὶ τοῦ τεί]χους καὶ εἰς τὸ μητρῷον πρὸς τὸν δῆμον
. . . . τοῦ μεμισθωμένου καὶ τὸ ἀργύριον ὅσ[ον
ἂν αὐτοὶ εἰςενέγκωσιν τῇ οικο]δομ[ήσει τῶ]ν [ἔργ]ων, καὶ ἐ[ξετ]ά-
ζ[οι]ντ[ο] παρὶ τὰ τ . .
. . . . ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφιςμα τὸν κατὰ πρυτανεία-
ν γραμματέα καὶ τὰ μισθώσιμα ἔργα καὶ ὅ]σ' ἂν [εἰς]ενέγκωσιν
οἱ ἀρχιτέκτονες, εἰς στήλην λ-
ιθίνην, καὶ τὸ ἀνάλωμα τῆς ἀναγραφῆς τῆ]ς στήλης δοῦναι
τὸν ταμίαν τοῦ δήμο[υ ν' δ]ρα[χμὰς ἐ-
κ τῶν εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκο]μένων τῷ δήμῳ.
'Επὶ . . . κλέους ἐκ Κηδῶν: καὶ Αὐτολύκου . .
. . . . οἱ πωληταὶ καὶ ὁ ἐπὶ τῇ διοικήσει Ἅβρων
Λυκούργου Βουτάδης.
Τάδε τὰ ἔργα τῶν τοῦ ἄστεως καὶ τοῦ] Πειραιέως καὶ τῶν
μακρᾶν τειχῶν καὶ τῶν περὶ τὸν τ . .
. . . . ἐπισκευάσωσιν? Ὅσα . . . . . .
. . . τὰς κρηπῖδα]ς λιθολογήσει ὕψος ποιῶν ὑπὲρ γῆς μὴ
ἔλαττον ἢ διπο-
διαίας] . . καὶ τοὺς ἁρμοὺς ὑπὸ ξοΐδος τιθεὶς πρὸς μετώπου
. . . ἀνο]ρθῶν λίθοις χρώμενος μὴ ἐλάττοσιν ἢ τριημιποδι-
αίοις . παρὰ πλευρὰν ὀρ]θὰ καὶ κατὰ κεφαλὴν, ἐξυπάγων
πηλῷ ἠχυρωμένῳ.

— — — — — — — — — — — — — — — —

. . . conscribi autem hoc populiscitum a scriba prytaniae
et opera locata et quae ex suis impenderint architecti in
cippum mar- . .
moreum, et sumptum tituli incidendi ministrari a quaestore
populi quinquaginta drachmas ex i-
is pecuniis, quae impensis populiscito iussis destinatae sunt.
. . . . . clis Cedensis et Autolyco . . . . . .
poletae et praefectus publicae pecuniae Habro
Lycurgi Butada.
Hoc est opus faciendum murorum circa urbem, et Piraeensium
et longorum atque eorum, qui sunt circum
. . . . restituerint. Omnia quae . . . . . .
. . . . crepidines ex caementis construet in altitudinem a
terra inde non minus quam II
pedum . . et marginibus politis sub ascia positis in frontem
. . . erigens, saxis utens non minoribus quam sesquipedalibus
. . . . recta ad latus et in superficie, inducens luto aceroso

. . μὴ ἔ]λαττον πλίνθου, ἐὰν δέ που δεέηται τριημιπλινθι-
ο . . . . . . παρὰ πλ]ευρὰν καὶ κατὰ κεφαλὴν, καὶ σφηνώσει σφησὶν ἐλαϊνοῖ-
ς . . καὶ τὸν στοῖχον? ἐπάνω? τ]ῶν λιθολογημάτων ἁμαξιαίοις οἰκοδομήσει καὶ
. . . . ἐπισκευάσει δὲ καὶ τῶν κλιμάκων τὰ δεό-
μενα . . . . πε]ριόντων. Ἐὰν δέ τι πτωματίσῃ μέχρι τοῦ λιθοκογήματ-
ος] . . παρέξει καὶ ἐξοικοδομήσει, ἐὰν δὲ πλεόνων προσδέη-
ται . . . . τῶ]ν [μ]εταπυ[ρ]γί[ων] καθελὼν τὴν πάροδον ἢ αἱ ἀντερίδε-
ς . . ἐνδέσμους ἐνβαλών. Ἐὰν δέ τινος πύργου ἡ ὀροφὴ δεο-
μένη ᾖ] . . θράνος ἢ γεισήπους ἢ γεῖσον λίθινον ἢ κεράμεον . .
. . . εἴπερ ἐπισσευάκαι. Καταστεγάσει δὲ λαὶ τὴν πάροδον
τοῦ κύκλ]ου τοῦ περὶ τὸ ἄστυ ἄνευ τοῦ διατειχίσματος καὶ τοῦ διπύλου τοῦ ὑπὲρ τῶν πυλῶν
ἐπὶ? τὰ μα]κρὰ τείχη, ἐπ[ιβα]λὼν τοῦ περιδρόμου τὰ γεῖσα. Καὶ τῶν ἐπαλξίων πάντα ὅσα ἂν ᾖ ἀ-
φεστη]κότα? πλέον ἓξ δακτύλων πλινθοβολήσει διαλείπων θυρίδας διπλίνθους, ὕψος ποιῶ-
ν τοῦ μ]ὲν ἐπαλξίου τρεῖς πόδας, τῆς δὲ θυρίδος δέκα στοίχους καὶ ἐπιθήσει ὑπερτόναια ξύλ-

. . . . . . non minus latere, si autem opus fuerit, sesquilatere
. . ad latus et in superficie, et coagmentabit cuneis oleagineis
. et corium supra caementicium opus ex maximis saxis construet
. . . . reficiet autem etiam scalarum ea quae desunt
. . . eorum, quae supersunt. Si quid autem ruinam fecerit usque ad opus caementicium
. . praestabit et construendo absolvet: si vero pluribus opus sit
. . . . interturriorum sublato itinere, qua anterides
. . . . vincula iniiciens. Si vero turris cuiusdam tectum labo-
ret . . arrectarius aut grunda aut corona lapidea vel testacea . .
. . si quidem refecerit. Tecto autem operiet etiam iter in am-
bitu murorum circa urbem, excepto muro interiecto et dipylo supra portam, quae
ad longos muros dirigitur, imposita circuitus corona. Et pinnaculorum quidem eas partes,
quae amplius quam VI digitos deciderint, latere extruet, relicto spatio fenestrarum binorum laterum, ita ut pinnaculum
in altitudinem III pedum, fenestrae X coriorum erigantur, et superimponet limina superiora lignea

ινα γο]μφώσας διάτοιχα πάχος στοιχιαῖα μῆκος ὀκτώποδα· ὑποθήσει δὲ καὶ κύβους τοῖς ὑπ-
ερτο]ναίοις· καὶ ἐπιπλινθοβολήσει ὕψος ἓξ στοίχους· οἰκοδομήσει δὲ καὶ ἐκ τοῦ ἔνδοθεν.
στ]όχους, οὗ μή εἰσιν οἰκοδομημένοι, διπλίνθους διαλείποντας ἑπτὰ πόδας· καὶ ἐγκατοικ-
οδ]ομήσει στρωτῆρας δύο διαλείποντας τρί' ἡμιπόδια, ὕψος ποιῶν τοῦ στόχου ὥστε ἀνόρθο-
υς] εἶναι εἰς τὸ εἴσω· καὶ ἐπιθήσει δοκοὺς εἰς τοὺς στόχους. Οὗ μὴ κατεστέγασται, στεγάσει δοκί-
σιν καὶ ἐπιβλῆσιν τιθεὶς ἐναλλὰξ, ἢ στρωτῆρσιν περιενκεντρίσει διαλείπων τρεῖς παλ-
αστὰς ἐκ τοῦ ἐπάνωθεν· καὶ διοικοδομήσας ἐπὶ τοῦ τοίχου ἀνατεμεῖ τὸ γεισηπόδισμα ὀρθ-
ὸν παρὰ πλευρὰν ὑπερέχον μὴ ἔλαττον τρί' ἡμιπόδια· καὶ ἐπικρούσει ἀκρογείσιον ποιῶν ὀ-
ρθὸν κατὰ κεφαλὴν πλάτος ἑπτὰ δακτύλων πάχος παλαστῆς παρατεμὼν ἐκ τοῦ ἔνδοθεν πάχο-
ς ἱμάντος καὶ τὸ μέτωπον ποιήσας πρὸς τὴν καταφοράν. Ἐπικρούσει δὲ καὶ εἰς τὸ ἐντὸς ἱμά-

securiculis ita vincta ut per murum pertineant, crassitudine corii, longitudine VIII pedum, supponetque cubos liminibus, et lateres insuper struet in altitudinem VI coriorum. Extruet autem etiam ex interiore parte pilas, ubi nondum sunt extructae, binorum laterum distantes spatio VII pedum, et structurae earum iniiciet asseres duos, distantes spatio sesquipedis, pilasque eriget usque ad libramentum interioris structurae, et trabes iis pilis imponet. Ubi tectum non est factum, teget tigillis rectis et transversis, quae alterna ponenda sunt, aut asseres utrinque infiget, ita ut III palmorum spatium superne relinquatur, et contignatione super murum producta grundam ita succidet, ut recta sit in latere, et non minus sesquipede promineat, et adfiget simam, rectam collocans in superficie, latam VII digitos, crassam palmum, excisa ex interiore parte crassitudine asserculi et fronte ad pluviam deiiciendam devexa. Affiget autem interiori simae parti asserculos

ντας διαλείποντας τρεῖς παλαστὰς πάχος δακτύλου πλάτος πέντε δακτύλων ἥλοις σιδηροῖς· καὶ ἐπιβαλὼν κάλαμον λελαμμένον, ὑποβαλὼν λοβὸν ἢ κάλαμον λοβώσει πηλῷ ἠχυρωμένῳ πάχος τριδακτύλῳ· καὶ κεραμώσει Λακωνικῷ κεράμῳ τοῦ μὲν κύκλου πᾶσαν τὴν πάροδον, τῶν δὲ μακρῶν τειχῶν τὰς ἡγεμόνας, οὗ μή εἰσιν κείμεναι, τιθεὶς ὅλας ἐν πηλῷ ὀρθὰ παρὰ πλευράν· καὶ καλυπτηριεῖ τιθεὶς τοὺς καλυπτῆρας ὅλους ἐμ πηλῷ. Καὶ ἀπογεισώσει ἐκ τοῦ ἔξωθεν γείσοις Κορινθίοις ἀναξῶν τοὺς κριοὺς ἁρπόττοντας καὶ τιθεὶς ὀρθὰ παρὰ πλευρὰν καὶ κατὰ κεφαλήν. Καὶ ποήσας κανθήλιον ἐκλοβώσει? πηλῷ ἠχυρωμένῳ [διάζωμα ἰθυτρεχὲς ὕψος τεττάρων στοίχων· καὶ τὰ ἔξω χρειαζόμενα τοῦ τείχους ἀνα[σκευάσει πλίνθοις καὶ ἡμιπλινθιοις, καὶ ὅσα κατέρρωγεν τοῦ τείχους ἐνδήσει θράνο[ις ξυλίνοις. Ποιήσει δὲ καὶ θυρίδας τοῦ ἄστεως τῷ κύκλῳ κα[τ]αρά[κτ]ους κατ' ἔπαλξιν . . . . . . [ἐ

distantes spatio III palmorum, crassos I digitum, latos V digitos, ferreis clavis, et iniecta arundine tunsa, subiecto acere fabagino vel arundine, inducet luto paleato crasso III digitos. Et teget tegulis Laconicis, moenium urbis omne iter, longorum autem murorum summa propugnacula, ubi nondum positae sunt, lotis in luto positis directis ad latus, et imbricabit imbricibus totis in luto positis. Et coronam extrinsecus instruet antepagmentis Corinthiis, mutulis ad normam convenienter scalptis, eaque recta ponet ad latus et in superficie. Et cantherio facto inducet luto paleato diazoma perpetuum et directum allitudine IV coriorum; et exteriorem faciem muri, ubi laborat, reficiet lateribus et semilateribus, et si qua muri pars rupta fuerit religabit taleis ligneis. Faciet autem etiam fores cataractas in ambitu murorum urbis ad pinnas . . . .

παλξίου στροφέα προσβαλὼν καὶ συγγομφώσας ὑποτρυπήσει ἢ ἐς . . . .
ιδε . . πάχος ἕκαστον διδακτύλους, καὶ ἀντιζυγώσει δυεῖν ἀ[ντιζύγοιν . . . . κα-
ὶ καθηλώσει ἥλοις σιδηροῖς πλατέσιν πέντε εἰς τὸ ἀντίζυγον . . .
δας ἐναλλὰξ παρὰ τὴν ἔπαλξιν [ὕψος ποδιαίας πλάτος διπ[αλαστιαίας? . . . .
ην ἐναλλὰξ παρὰ τὴν ἔπαλξιν καὶ περιαλείψει καὶ κατα . .
ας καὶ τοὺς πύργους καὶ τὴν πάροδον ῥαχώσας καὶ ὀστρακώ[σας . . . . πηλῷ ἠχυρ-
ωμένῳ πάχος διδακτύλῳ, γῆς δὲ ὠπτημένης ἣν ἂν δοκιμάσῃ εἶναι? . . . . [ὁ ἐπὶ
τῇ διοικήσει, προσέχων τῇ προτέρᾳ καὶ ἀποργάζων ὅτι ἂν δοκῇ . . . . . [τ-
ὴν ἀλοιφὴν ἀποσκάψει, ὅσα δ' ἀφεστη κότα ἢ τοῦ ἀλοιμοῦ . . . . [τὸν πε-
ρίδρομον καὶ τὴν ἔπαλξιν καὶ τὸ θωρακεῖον καὶ τὸ γεῖσον καὶ . . .
ἐπε[ξ]ε[ργά]σεται λε . . καὶ ἀνατρίψας ἀποσ[κάψει . . .
. . . . . . ἐπισκευάσας ὅτου ἂν δέηται . . . . . .
. . . τὰς θυρίδας καὶ τὴν ὀροφὴν τῶν πύργων καὶ τῆς παρόδου . . . .
καὶ . . τε . καὶ . . καὶ . . . ὡς ἕκαστα ἁρμόσει . . . .
. . παρὰ τὸ τεῖχος ἔνδοθεν καὶ ἔξωθεν μὴ ἔλαττον . . . .
τριημιποδία . . . .
. . τάφρου? . ὑποφορήσειε τὸν χοῦν οὗ ἂν γ[ί]γ[νηται . . .

pinnaculi cardine applicato et securibulis vincto terebrando cavabit, ubi
. . . . quemque crassum II digitos, et coniunget duabus impagibus . . . .
et configet clavis ferreis latis V ad impagem . . . . ,
. . alternas ad pinnas altas pedem, latas II palmos
. . alterna ad pinnas. Et circumlinet et . . . .
. . et turres et iter murorum cratibus vimineis et pavimento testaceo . . . . luto aceroso
crasso II digitos, terraeque coctae, quam probaverit esse idoneam . . . . praefectus
expensarum, adhaerens priori (nucleo) eumque denuo subigens, ubi visum fuerit
tectorium abradet, quidquid autem deciderit tectorii . . . .
. . circuitum et pinnas et loricas et coronam et . . . .
subtiliore opere absolvet . . . et denuo tritum abradet . .

. . . . *ἕκατον χάρακος?* . . . .
. . . *παραλαβεῖν* . . *τὰς ὁδοὺς τὰς* . . . .
. . *ἑκάστων καὶ* . . . . *ἂν μισθώση[ται* . . . . . .
. . *πρὸς πάντα ὅσα?* . . *τὸν χάρακα* . . *τὸν πε[ρὶ* . . . .
. . . . . *τείχη ταῦτα ἐξεργασάμενον* . . . .
ωμένοις . . *κέραμον ὅσον παρέλαβον* . . . .
. . . .
δὲ αὐτὸν . . . *εἴ τις* . . . .
. . . . *ἔργα* . . . .
. . . .
αὐτὸν . . . . . *ἔρειψιν* . . . .
. . . . *τῷ δὲ δευτέ[ρῳ ἔτει* . . . .
. . . . . *τῷ δὲ τρίτῳ ἔτει τὸν* . . . .
. *τὴν κο* . . *τῷ δὲ πέμπτῳ ἔτει παρέξει* . . . .
. *τὰς συγγ* . . . .
τῶν ἐργατῶν ἀνευρίσκειν? . . *τὸν ἐνιαυτὸν* . . . . . .
. . *μεριεῖται* . . . *πρὸς τὰ ἔξω?* . . . .
. *οἷς ἅπαντα ὅσων ἂν δέωνται εἰς τὰ ἔργα πα[ρεχ* . . . .
. *πόλεμον κινηθῇ, ἐγγυητὰς δὲ καταστῆσαι* . . . .
. *τὸν ἐνιαυτὸν ἕκαστον ὅσα τούτων παραδώ[σει* . . . . .
λιθίνῳ γεισηποδίσματι ὑποικοδομήσει . . . .
. . *πλάτος πενθημιποδίους διαλείποντας* . . . .
. . *ἔσται δὲ καὶ* . *λείας [ἐργασ]ίας τοί[χων?* . . . . . .
. . . *κατὰ τάδε ἔνειμαν οἱ ἀρχιτέκ[τονες* . . . .
τείχους

Κατὰ τάδε μεμίσθωται τὰ ἔργα

Τοῦ βορείου τείχους πρώτη μερὶς
ἀπὸ τοῦ διατειχίσματος μέχρι τῶν
. . . *ν πυλῶν καὶ τὰς διόδους*
— — *H H H H*
— — — *ης*
— — — *ης Χίωνος Κορυδαλλεύς*

Τοῦ νοτίου τείχους πέμπτη μερὶς ἀπὸ
τοῦ διατειχίσματος τ[οῦ Πει-ραιέως]
μεχρι τοῦ Κηφισοῦ.
Ἕκτη μερὶς ἀπὸ τοῦ Κ[ηφισοῦ

7. I. Quod in summo marmore scriptum est populi scitum, id temporis iniuria gravissime affectum est, ita ut perpauca inde enucleare potuerim. Liquet tamen, populum iussisse, muros omnes et urbis et Piraeei et longos refici, ita ut in insequens tempus sarti tecti essent. Ad totum opus regendum et dispensandum populi suffragiis electum esse ar-

chitectonem (v. 6.). Hunc unum architectonem, cuius etiam mentio fit v. 9. 21., velim distinguas a multitudine architectorum, quae deprehenditur v. 32. 117. Hi enim *ἀρχιτέκτονες* aperte ii sunt, qui opus faciendum conduxerint, *οἱ μισθωσάμενοι* v. 18. coll. v. 22., sive *μεμισθωμένοι* v. 26.. Hos dici posse et *ἐργολάβους* et *ἀρχιτέκτονας*, exemplo demostratur latis accommodato, ut arbitror, conductoris theatri s. *θεατρώνου*, qui et *ἐργολάβος* (hoc nomine significantur theatronae a Platone Rep. II. p. 373.) et *ἀρχιτέκτων* appellatur, quo de nomine v. Boeckh. Oecon. polit. T. I. p. 236. 331. Sic Callicrates longi muri, qui medius olim fuerat, *ἐργολάβος* dicitur (v. supra diss. I. §. 10.), poterat etiam dici *ἀρχιτέκτων*. Sed eodem iure etiam populus operi architectum praeponere poterat, qui eadem fere auctoritate, qua alias *ἐπιστάτης*, instruitur, opus faciendum designat, factum probat, et ne inter faciendum rei publicae commodis officiatur, cavet. Quod cum considero adducor, ut etiam architectum Philoclem, qui in titulo de Minervae Poliadis aede (Corp. Inscr. n. 160.) cum curatoribus s. epistatis operis coniungitur, non conductorem operis privatumque hominem, sed publica auctoritate operi inspiciendo praefectum fuisse putem. Eiusdem generis architectus habetur in titulo C. I. n. 77. *ΤΟΝΑΡΧΙΤΕΚΤΟΝΑ ΤΟΝΕΟ* et in titulo Delio n. 2266. v. 29. Erat etiam certis temporibus Athenis collegium refectorum sacrarum aedium, *τῶν ἱερῶν ἐπισκευασταί*, de quo in lege Regia scriptum erat: *εἰς τὴν ἐπισκευὴν τοῦ νεὼ, τοῦ ἀρχείου τοῦ παρασιτείου καὶ τῆς οἰκίας τῆς ἱερᾶς διδόναι τὸ ἀργύριον, ὁπόσου ἂν οἱ τῶν ἱερέων* (scribo *ἱερῶν*) *ἐπισκευασταὶ μισθώσωσιν.* Athen. VI. p. 235 d.

Hic igitur architectus rei publicae iubetur totum opus in decem partes divisum singulis conductoribus locare. Posthaec, divinare licet, constitutum fuisse, quod genus materiae aliarumve rerum ad opus faciendum res publica praebere (*παρέχειν*) vellet: quo spectat *παραλαβεῖν* v. 95. 99., idemque verbum *παρέχειν* in titulo Delio Corp. Inscr. 2266. v. 23. *χαλκὸν δὲ τῷ ἐργώνῃ ἡ πόλις παρέξει εἰργασμένον.* Sequebatur quaedam descriptio operum extruendorum, sed brevius quam in locationis legibus expressa, et temporis praefinitio. Iubentur qui opus conduxerint, in senatu D virorum, cuius summa erat in administrandis populi reditibus et expensis potestas, iureiurando obstringi, ut spondeant se opus ex legibus lo-

cationis intra tempus, quod infra populiscitum adscriptum sit, perfecturos esse. De fideiussoribus v. infra v. 112. Post nonnullos versus, quorum sententiam minus assequor, iubentur conductores post opus absolutum et in ipsis muris et in Metroo proponere rationes operis, ita ut cives intelligant, si quid praeter pecuniam conducticiam ex propriis bonis insumserint. Denique iubetur scriba prytaniae hoc populiscitum et locationis leges in marmore perscribere, (et adiicere (ut videtur) quae forte ex propriis impenderint conductores: puto, quod propter proprias impensas, si satis amplae visae essent, etiam laudibus et coronis condecorari poterant architecti illi.

V. 1. Cum L. Rossius versum, in quo ἔδοξεν τῷ δήμῳ scribitur, summum totius tituli fuisse significare videretur, supplevi quae ex formula praescripta maxime necessaria videbantur — nam reliqua omnia spatium versus et literarum in hoc versu maior amplitudo respuit — ad normam eorum titulorum, qui circa Olymp. CX. scripti sunt.

2. De his munimentis v. apposita v. 37.

3. *ΚΡΑΤΕΙΧΗ* in initio habet Pittacius, et sic saepius incipientibus vel desinentibus versibus supplementa addit ex mera opinione hausta. Nam hoc loco nihil nunc in marmore extare posse, Rossii apographum clarissime declarat.

ΕΙΣΤΟΝΙΑΑ.ΤΑΧΡ...ΝΚ. Franzius εἰς τὸν [πάντα] χρό[νον].... κα[ὶ]. Πάντα nostrum apographum non admittit, χρόνον sine dubio verum est. Vellem: εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον, si lapis iterum inspectus non refragaretur. Εἰς τὸν ὑπ᾿ αὐτὰ ἐνιαυτὸν in marmore Corcyraeo, Corp. Inscr. Graec. 1845. v. 60., ab Attico usu abhorrere videtur.

4. *ΣΥΝΤΕΛΕΣΘΕΙ* utrumque habet apographum. V. §. 5.

5. *ΠΑΛΑ*[*ΣΤ*]*ΩΝΤΡΙΑΜ.Τ.* Sic Rossius et Pittacius. Franzius: παλαστῶν τρι[ῶν]. Sed quid fiet una illa litera, cuius spatium inter διαλείποντες et ea quae modo posui verba indicat Ross. Hacpropter puto fuisse in marmore *ΑΠΛΑΛΗΛΩΝ.* Sequebatur fortasse τρία μεταπύργια.

6. *ΤΟΝΑΡΧΙΤΕΚΤ*]*ΟΝΑ* supplevit Rossius, puto vestigia in marmore extantia aucupans; nam Pitt. *ΝΟΝ ΑΡΧΙΤΕΚΤΟΝΑ* tanquam in marmore extantia adscripsit (in quibus Franzius nomen Ictini sibi agnoscere videbatur). Idem saepe in minoribus lacunis factum esse, ubique notare supervacaneum habui.

7. *δέκα μέρη*, cf. v. 120. *δίοδον* putavi assumendum esse ex v. 122.

9. *μὴ ἔλαττον* coniecit Franzius. Ex v. 11—15 nostri apographi sex versus fecit Pittacius, eas literas quae circa ordinem literarum quinquagesimum leguntur *T* . . *T* et deinceps *Δ* . . . . *Δ* . . . *Γ* et sic porro in proximo inferiore versu ponens. Sic accidit, ut uno versu longior videatur titulus Pittacii quam Rossianus.

13. *ἑπτά πόδας*. Haec ad parodum pertinere probabile fit collato v. 59.

14. . . *τῷ ἔτει* cf. v. 105.

18. *μισθωσάμενοι* supplevit Franzius. In his omnibus coniecturarum solum tam est instabile, ut intra angustissimos fines coercendae sint.

21. *ΑΝ¯ΑΤΟ* . . . . . *ΡΧ* . . *ΕΚ* . *ΟΝΑ* apographum Rossii. Eodem loco Pitt. *ΚΑΝΚΑΤΟ* . . . . *ΑΡΧΙΤΕΚΤΟΝ*.

23. *Ο[ΡΚΩΙΠΙ]Σ[ΤΩ]ΣΑΙ* supplevi. In reliquo versu Rossius literas evanidas addiderat. De usu verborum *πιστῶσαί τινα ὅρκῳ* v. Poppo ann. Thuc. IV, 88. Schol. Subiectum fuisse putaverim *τοὺς πρυτάνεις*.

24. *τῷ ὑπὸ] τῷδε τῷ ψηφίσματι γεγραμμένῳ* supplevi. V. v. 35 sqq.

25. *μη περιέρχοιντο* perspicue inesse putavi in literis, quas utrumque apographum offert *ΜΗΠΕΙ* . . *ΡΧΟ* . *Ν* . . Sententiam non expiscor.

26. *τὶς τῶν μεμισθωμένων παραλάβῃ* Rossius et Franzius suppleverant, proxima addidi. Apogr. Ross. *Ε* . *Τ* . *ΙΜΕΡΠΙ* . *ΩΙΝΕΜΙΙ* . . . . . Pitt. *ΕΙΤΙΗΜΕΡΙ* . . *ΩΙΝΕΜ* . . . . . . ex quibus Franzius effecit: *εἰ τῇ ʿμέρᾳ* . . *ωνεμ* . . Sed *ἐν τῷ μέρει τῷ* in aperto esse videtur.

28. *ἐπὶ τοῦ τεί]χους*. Pitt. haec plene habet, eique credendum videbatur, cum *Ν* literam eodem loco legerit, quo Rossius. In Metroo, ubi Acta Urbis erant, puto rationes conductorum in tabulis publice proponendas fuisse. Non plane absona sunt, quae refert de Lycurgo quaestore Plutarchus qui fertur: *μέλλων δὲ τελευτήσειν εἰς τὸ Μητρῷον καὶ τὸ βουλευτήριον ἐκέλευσεν αὐτὸν κομισθῆναι βουλόμενος εὐθύνας δοῦναι τῶν πεπολιτευμένων*. Cf. Boeckh. Oecon. Ath. I. p. 435. et adde Dinarch. c. Demosth. §. 86.

30. *ΟΙΚΟΔΟΜΗΣΙΤΩΝΤΕΙΧΩΝ* Pitt. offert tanquam integra extarent. Sed *ΤΕΙΧΩΝ* non admittit numerus lite-

rarum a Rossio religiose observatus. Priora ad hunc numerum attendens supplere studui, cum ex sequentibus intelligerem, de supererogatione quadem h. l. dici, quae conducticiae mercedi opponitur. Quod sequitur *εἰδέναι* pendere videtur a praegressis verbis huius formae: *ὥστε πάντας*. Sed abstineo manus a refingenda tota sententia. In fine *τῶν* integrum habet Pitt.

32. *ΣΑΝΕΙΣΕΝΕΓΚΟΣΙΝΟΙΑΡΧΙΤΕΚΤΟΝΕΣ* plene Pitt. Ad *εἰςενέγκωσιν* ex superioribus puto supplendum fuisse *ἐκ τῶν ἰδίων αὐτοί*. Cf. supra diss. I. §. 13. dicta de Demosthene: *ἐκ τῆς ἰδίας οὐσίας εἰςήνεγκε κ. τ. λ.*

33. 34. Haec supplevi ad eam normam, cuius exemplum praebet Stratoclis lex Vitis X Oratt. adiecta, et fragmentum Corp. Inscr. Graec. 92. coll. 108. *ΤΗΣΣΤΗΛΗΣ* effeci ex .. *Σ . ΤΙΛΙΣ*, quod est apud Pitt., .. *Σ . ΤΙΛΙΣ*. Idem habet plenius *ΔΟΥΝΑΙΤΟΝΤΑΜΙΑΝΤΟΥ ΔΗΜΟΥΠΑΡΑ*, sed *παρὰ* non convenit, et Rossianum .. *ΡΑ* egregie concinit cum lege Stratoclis; nam *πεντήκοντα δραχμὰς* scriptum erat *Π* (inserto *Δ*) *ΔΡΑΧΜΑΣ*. Quinquaginta drachmae omnibus Lycurgi psephismatis incidendis sufficiunt; singulis in aliis titulis tricenae destinari solent. De usu verborum *εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα* v. Boeckhius Corp. Inscr. I. p. 151. In extremo versu pro *ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ*, quod in illis monimentis legitur, Rossius coniecerat: *ΜΕΜΙΣΘ]ΩΜΕΝΩΝΤΩΙ ΔΗΜΩΙ;* idque tanquam in marmore lectum posuit Pitt. Sed in his quam proclive fuerit errare, nemo non intelligit.

II. Secuntur leges locationis. Locant opus magistratus suprascripti, quorum quidem neque nomina neque officia ab omni parte satis perspicua sunt. Probabile tamen, duorum nominum genitivo casu expressorum v. 35. alterum poletarum, quod decem virorum erat collegium vectigalibus et operibus publicis locandis praefectum, principem sive prytanem (v. Boeckh. T. I. p. 167.) significare. In altero haereo, utrum scribam, ut in collegio decem *ταμιῶν* deorum, adscriptum putem, an architectum illum huic operi aere publica praefectum interpositum esse. Illud verisimilius iudico. *Ἐκ Κηδῶν*, ex pago Erechtheïdos satis noto. Miror, virum doctum in his haerere potuisse. *ΚΑΙΑΥΤΟΛΥΚΟΥΒ* . . . . *Ο* . . . . . Pitt. Autolycum Areopagitam, quem Lycurgus accusasse traditur, quominus hic significatum putem, impedit me, quod is Autolycus statim post Chaeronensem pugnam

capitis damnatus esse videtur. V. Kiessling Lycurgi fragmenta p. 35.

36. In hoc v. Pittacii apographum multo est plenius, habet enim .... *ΟΙΠΩΛΗΤΑΙΚΑΙΟΕΠΙΤΕΙΛΙΟΙΚΗΣΕΙΑΒΡΟ . . ΟΥΡΙΟΥ . ΟΥΤΕΛΗΣ.* Ὁ *ἐπὶ τῇ διοικήσει* iam ex Rossiano apographo, coll v. 83. 84., coniectura assecutus eram. Nunc etiam nomen viri, qui tum Atheniensium reditibus et expensis praefuit, facillima coniectura restitui potest. Erat *Ἄβρων Λυκούργου Βουτάδης*. Quod unius literae spatium inter *ΑΒΡΟ* et *ΟΥΡΙΟΥ* addendum fuit, id in apographo Pittaciano expertum non morabitur. De hoc Habrone v. §. 1. dicta. Sed ea res cum gravissima mihi videretur, quippe cui multa alia superstruenda essent, Boeckhii de ea opinionem per literas exquisivi et assensum tuli. Franzius quae legerat: *Θίβρων Θουρίου Βουτέλης*, aliena sunt ab Athenis.

37. *Τάδε δὰ ἔργα* supplev. Cf. Corp. Inscr. Graec. n. 160. §. 1. *τάδε ἀνέγραψαν ἔργα τοὺς νεὼ ὡ κατέλαβον ἔχοντα.*

καὶ τῶν περὶ τὸν τ. Intelligitur ex his verbis, etiamsi prima duo tantum pro certis habeantur, planissime, praeter urbis moenia, quae primo loco nuncupata esse arguit v. 1., et Piraeensia et longa etiam quartum quoddam munimentum tum refectum esse. *Τῶν πρὸς τὸν Φαληρέα* supplere vetat T quod extat, et quod hic murus nunquam instauratus est. Num fortasse *περὶ τὼν τρισκελῆ λόφον*? cf. supra diss. I. §. 7. Pittacius tamen habet *ΚΑΙΤΩΝΠΤΥΛ . ΟΙΤ . .*

38. *ΜΕΓΙΣΚ . ΥΩΣΙΝ.* In apographo Pittaciano est: *ΜΕΠΙΣΚΕΥΩΣΙΝ.* Franzius *ἐπισκευάσῃ*. Verisimilius videbatur, omisisse opificem literas *ΑΣ.* — Inde a verbo *ὅσα* sententiam huiusmodi orsam esse putaverim: *Ὅσα μὲν παντελῶς κατεῤῥύηκε, ὁ κατὰ μέρος μισθωσάμενος ἐκ τῶν θεμελίων κ. τ. λ.*

39. *Τὰς κρηπῖδα]ς λιθολογήσει.* Hoc vocabulum mihi videor tum ex ductibus literarum, tum ex sequenti *λιθολογήματι*, v. 45. coll. v. 47., eruisse. Ceterum utrumque apographum habet *Λ . Ο . ΛΩ . . ΣΕΙ.* *Λιθολόγους* ad muros construendos Athenienses exercitus secum ducere solebant, velut in copiis Siciliensibus, Thucyd. VI, 44. VII, 43., cf. Xenophon Hell. IV, 4, 18. 8, 10. Horum est *λογάδην φέρειν λίθους*, qui aut nullo instrumento formati (sic Athenienses Pylum muniverunt, Thucyd. IV, 4.), aut inter aedificandum

dolati, ita tamen ut quadrata saxa non fierent, non sine calce vel luto (Thucyd. IV, 4.) componebantur. *Ἕρυμα λίθοις λογάδην καὶ ξύλοις διὰ ταχέων ὤρθωσαν*, Thucyd. VI, 66. *Περίβολοι μεγάλων λίθων λογάδων*, Paus. II, 34, 10. *Βωμὸς λίθων λογάδων*, Id. VII, 22, 3. *Ἐπ' αὐτῶν (τῶν μνημάτων) λίθοι λογάδες σεσωρευμένοι*, Id. X, 5, 2. Inter Ortygiam et terram continentem Strabo I. p. 102. scribit fuisse *χῶμα, ὥς φησιν Ἴβυκος* (fragm. XXXIII. p. 187. ed. Schneidewin), *λογαίου λίθου, ὃν καλεῖ ἐκλεκτόν*. Interponebantur in eo opere (sicut in antiquissimo genere Cyclopeae structurae) magnis saxis parvi lapilli: *οὐδὲ γὰρ ἄνευ σμικρῶν τοὺς μεγάλους φασὶν οἱ λιθολόγοι λίθους εὖ κεῖσθαι*, Plato Legg. X. p. 902 D. cf. IX. p. 858 B. cum Scholiis. Minus accurate Timaeus Lex. Platon. *Λιθολόγοι: οἰκοδόμοι*, cf. Ruhnken. p. 174. (116. ed. Koch); et non ad omnia apte Lex. Rhetor. ap. Bekkerum Anecd. I. p. 277. *Λιθολογήματα: τὰ νῦν λιθόστρωτα*. Quanquam nemo negabit, etiam ad pavimenta facienda antiquos eo opere usos esse. V. Pollux VII, 27, 121. *λιθόστρωτον ἔδαφος καὶ λιθολόγημα καὶ λελιθωμένον*. (Et pavimentum etiam h. l. esse *λιθολόγημα* putat Franzius.) *Λιθολόγημα* esse fundamentum lapideum, maxime persuadet locus Xenoph. Cyrop. VI, 3, 25: *Ὥσπερ γὰρ οἰκίας οὔτε ἄνευ λιθολογήματος ὀχυροῦ οὔτε ἄνευ τῶν στέγην ποιούντων οὐδὲν ὄφελος, οὕτως οὐδὲ φάλαγγος οὔτε ἄνευ τῶν πρώτων οὔτε ἄνευ τῶν τελευταίων, εἰ μὴ ἀγαθοὶ ἔσονται, ὄφελος οὐδέν*. Quae Valckenaerius, a Ruhnkenio laudatus, Annot. crit. in N. T. p. 379. (Opusc. T. II. p. 288. ed. Lips.), disserit, eodem redeunt, *λιθολόγους* esse fabros caementarios, qui ex paratis lapidibus seligant qui suis quique locis apte haereant. Si non idem, simillimum certe est Graecorum *λιθολόγημα* Vitruvii (II, 8.) antiquo operi, quod incertum dicit, quod ex caementis aliis super aliis sedentibus et inter se implicatis multaque calce et arena satiatis componebatur.

Haec *θεμέλια* s. *κρηπῖδας* iubetur operis conductor non minus bipedali altidudine supra terram attollere, *ὕψος ποιῶν ὑπὲρ γῆς μὴ ἔλαττον ἢ διποδιαίας*. Itaque intelligere nobis videmur, post ea, quae diss. I. § 6 dicta sunt, hos muros e lateritia structura crepidini non admodum altae impositos fuisse. Neque Mantineensium moenium fundamenta ex caementis structa altiora fuisse videntur. In villa rustica Catoni (de R. R. 14.) sufficet face „*lapide, calce, fundamenta supra*

terram p e d e, *ceteros parietes ex latere*". Sed etiam urbana antiquiorum Romanorum aedificia lateritia fuerant „*paululum modo lapidibus suffundata, ut humorem ecfugerent*". Varro ap. Nonium s. v. suffundatum p. 48 Merc. Multo quidem firmius fundatus erat murus Larissae Medorum, qui Xenophonte Anab. III, 4, 7. teste *ᾠκοδόμητο πλίνθοις κεραμίαις* (i. e. ex argilla coctis, *gebrannte Thonsteine*), *κρηπὶς δὲ ὑπῆν λιθίνη, τὸ ὕψος εἴκοσι ποδῶν*.

40. *τοὺς ἁρμούς*. Corp. Inscr. Graec. n. 160 § 10. *τούτων ἑκάστου οὐκ ἐξείργασται ὁ ἁρμὸς ὁ ἕτερος οὐδὲ οἱ ὄπισθεν ἁρμοί*, quod spectat ad saxa quadrata. Boeckhius p. 283. foramina intelligit compacturae lapidum inservientia. Mihi post opus Hecatompedi accuratius cognitum videbantur esse margines saxorum quadratorum propter subtiliorem commissuram levigati (*polierte Ränder der Stossfugen*, v. Relat. Gotting. 1832. p. 855). Ac certe haec sententia explicationi horum verborum egregie convenit, si statuitur caementorum illorum superficiem et margines exteriores ad modum saxorum quadratorum dolandos fuisse.

.*ΠΟΔΟΙΔΟΣ*. *Δ* omittit Pitt. Nulla verba in lingua Graeca novi, quae his ductibus conveniant, nisi *ΥΠΟ ΞΟΙΔΟΣ* *Ξοΐς* scalprum sive ascia est, instrumentum quo *ξέουσι*, quod non soli lignarii fabri sed etiam lapicidae faciunt (v. maxime Corp. Inscr. 160. § 6). *Ὑπο ξοΐδος*, sub scalpro, ex fabrili quodam verborum usu dictum puto. Ad eandem normam illud: *sub ascia consummatum posuit*, *dedicavit*, adhibendum puto. *πρὸς μετώπου* versus frontem. Cf. ut alios omittam, Thucyd. III, 21. *πύργοι . . . ἰσοπλατεῖς τῷ τείχει, διήκοντες ἔς τε τὸ ἔσω μέτωπον αὐτοῦ καὶ οἱ αὐτοὶ καὶ ἐς τὸ ἔξω*.

41. *ἀνορθῶν λίθοις χρώμενος μὴ ἐλάττοσιν ἢ τριημιποδιαίοις*. Dubito, ad *λιθολόγημα* illud haec referenda sint an ad eas murorum partes, de quibus vv. 43. 44. dicitur. Pro *ΡΟΩΓ* Pitt. *ΡΔΩΡ*.

42. *παρὰ πλευρὰν ὀρ]θὰ καὶ κατὰ κεφαλήν*. Sic supplevi coll. v. 44. *παρὰ πλ]ευρὰν καὶ κατὰ κεφαλήν*, v. 63. 64. *ἀνατεμεῖ τὸ γεισηπόδισμα ὀρθ|ὸν πα]ρὰ πλευράν*. v. 64. 65. *ἀκρογείσιον ποιῶν ὀ[ρθὸν] κατὰ κεφαλήν*. v. 70. *ὀρ|θὰ πα|ρὰ πλευράν*. v. 72. *καὶ τιθεὶς ὀ[ρθὰ] παρὰ πλευρὰν καὶ κατὰ κεφαλήν*. Franzius recte comparavit ex Polluce I, 110. 111. *ἄνεμος κατὰ πλευρὰν βιαζόμενος* et *κατὰ κεφαλὴν ἐπείγων*.

ἐξυπάγων vocabulum ignotum, sed cum *ὑπαγωγεὺς* trullam, qua calx muris inducitur, significet, apertum etiam *ἐξυπάγειν* hoc fabrorum opus (*mit Lehm verstreichen*) designare.

πηλῷ ἠχυρωμένῳ, ab *ἀχυρόω* i. e. acere sive palea misceo. *Πηλὸς δὲ ἀχύρων* dicitur in Geoponicis Graecis IX, 10. cf. II, 27. *Ἡ περὶ τὸν πηλὸν ἀχύρωσις* dicit Aristot. H. A. IX, 7: eodemque spectare puto illud in Problematt. XI, 25. *ὅταν ἀχυρωθῶσιν αἱ ὀρχῆστραι*, i. e. luto aceroso, quemadmodum areae frumentis terendis idoneae, sternuntur. *Ἀναχύρωτον πηλὸν* ex Aristophane affert Pollux, et *ἀπὸ τοῦ τοίχου τὰ ἄχυρα ἀποσπάσαι* ex Hippocrate Henr. Stephanus. Acerosum lutum, eodem paene vocabulo, dixerunt antiquiores Romani. V. Paulus Exc. Festi s. v. obacerare. Nonio autem teste: „Aceratum est lutum paleis mixtum, ut laterariis usus est. Lucilius l. VIII. Latere (lateres, puto) qui ducit, habet nihil amplius nam (puto nanctus), quam commune lutum, a paleis coenumque aceroso (scr. acerosum).“ Poeta ille spectat ad id laterum genus, quod nunc dicunt: *Lehmpatzen*. Cf. Palladius d. R. R. VI, 12. De granariis Varro de R. R. I, 57. haec praecipit: Parietes et solum opere tectorio marmorato loricandi: si minus, ex argilla mixto acere e frumento et amurca, quod murem et vermem non patitur esse. Cato de R. R. 14: Calcem, arenam, aquam, paleas, terra munde lutum fiat. Lutum paleatum dicit Plinius et Columella. — *Πηλῷ* etiam Nephelococcygiae muri lateritii struuntur, ap. Aristoph. Av. v. 1149.

43. *Μὴ ἔλαττον πλίνθου κ. τ. λ.* Haec et quae secuntur ad *λιθολόγημα* non spectare apertum est. Verum ea verba utrum ad parastatas quosdam sive anteridas muro firmando adiectas an ad turres spectent, definire non audeo. *Πλίνθοι* utrum *ὠμαὶ* an *ὀπταὶ* sint (v. diss. I. ann. 37.), per totum titulum non definitur, sed id ipsum nos movere potest ut illud probabilius ducamus.

44. *σφηνώσει σφησὶν ἐλαΐνοις. Σφὴν* apud architectos significat medium saxum in fornice, maxime in fornicatione directa (*im scheitrechten Bogen*). V. Philo in Mathematt. vett. p. 87. Sed nostro loco apertum est dici compacturae genus, quod in monumentis Atticis etiamnum non raro deprehenditur. V. Comp. Archaeol. § 105. ann. Cylindros maxime, ex quibus columnarum scapi compositi sunt, ligneis cuneis inter se commissos esse constat. Sed hic de quadratis saxis

ita inter se vinctis dici existimo. De *ξυλίνῃ* hac *ἱμαντώσει* plura dabit Sibthorpius in Walpolii collectione: *Memoirs* p. 319.

45. *καὶ τὸν στοῖχον? ἐπάνω?| τῶν λιθολογημάτων ἁμαξιαίοις* (sc. *λίθοις*) *οἰκοδομήσει.* Haec rettuli ad corium aliquod, quod supra crepidinem ex caementis structam e magnis saxis quadratis struitur] et coronam quandam fundamenti efficit.

ἁμαξιαίοις. Hoc maximo quadratorum saxorum genere in coronis faciendis antiqui saepius utebantur. Cf. Eurip. Phoen. 1175. *Λᾶαν ἐμβαλὼν κάρᾳ ἁμαξοπληθῆ, γεῖσ' ἐπάλξεων ἄπο.*

46. *Ἐπισκευάσει δὲ καὶ τῶν κλιμάκων τὰ δεόμενα* (hoc verbum etiam Franzius suppleverat). Propter haec de turribus antea dictum esse existimo.

47. *περιόντων* supplevi, ubi *παριόντων* Franzius: sed nexus sententiarum obscurus est. — *Ἐὰν δέ τι πτωματίσῃ*, si quid ruinam fecerit. *Πτωματίζειν* hoc sensu alias extare non vidi, sed *πτωματίζεσθαι* dici morbum caducum constat. V. Apollon. Mirab. auscult. 36. Franzius coni. *πτῶμα εὕρῃ*, sed etiam apogr. Pittacianum habet *ΠΤΩΜΑΤΙΣΣΙ*, i. e. *ΠΤΩΜΑΤΙΣΕΙ*. Hinc transitur ad eas murorum partes, quae supra crepidinem erigebantur. Hic enim ordo huius demonstrationis operis faciendi est, ut ab imis partibus ad superiores semper procedat.

49. *τῶν μεταπυργίων*, supplevi. Interturriorum (hoc nomine audiunt in titulis Latinis) varia erat longitudo. Murorum, quibus Peloponnesii Plataeas cinxerunt, interturria denas habebant *ἐπάλξεις*, Thucyd. III, 21, 22.; Carthaginis CC pedes, Appian. VIII, 95.; Hierosolymorum CCC, Ioseph. B. J. V, 3. Vitruvius I, 5. iubet turrium intervalla ita fieri, ne longius sit alia ab alia sagittae missione. Interturriorum structuram docet Philo p. 80.

τὴν πάροδον. i. e. iter in muris in altitudine pinnaculorum extructum. In muris a Thucydide III, 21. descriptis interturria habent *πάροδον*, turres *δίοδον*. Item Philo p. 80. 81. satis accurate docet, qua ratione *πάροδος τῶν μεταπυργίων* et turrium *δίοδοι* construendae sint. Neque aliter in hoc titulo v. 89. *ὀροφὴ τῶν πύργων* distinguitur a tecto *τῆς παρόδου*. Hinc eo loco, quem nunc explicamus, *τῶν μεταπυργίων ἡ πάροδος* certis locis tollenda esse dicitur, ut muri ea parte commodius refici possint.

αἱ ἀντηρίδες, pilae structuram fulcientes, quas eodem vocabulo latine appellat Vitruvius VI, 11.

50. *ἐνδέσμους ἐμβαλών.* *Ἔνδεσμος* nomen conferendum est cum verbo *ἐνδῆσαι* v. 75. Cf. Etymol. M. p. 725, 44.

51. *θράνους* Pollux X, 11, 49. scribit dici ligna, quibus lateritii parietes includuntur, i. e. *τὰ ξύλα τὰ κατακλείοντα τοὺς πλινθίνους τοίχους*. Quod intelligo de cratitiis parietibus, quos Vitruvius dicit, ubi lateres interponebantur tignis arrectis et transversis. Propter similitudinem quandam cratitii operis dicitur *θρανίον* antepagmentum lacunarium Hesychius: *θρανίον . . . τὸ ὑπὸ τοῖς φατνώμασι σανίδωμα.* H. l. *θράνους* transversa maxime tigna dici puto. Cf. v. 75. — Postea *γεισήπους* supplevi, cum Franzius *γεισίπους* posuisset. (Sed etiam Pitt. in marmore notavit *Γ . . . . ΗΠΟΥΣ*). Ex Grammaticis haec affero. *Γεισίπους καὶ γεισιπόδισμα καὶ γεισιποδίζειν: τὸ ἐξέχον τῆς δοκοῦ, ἐφ᾽ οὗ τὸ γεῖσόν ἐστι, γεισίπους καλεῖται καὶ γεισιπόδισμα, καὶ γεισιποδίζειν τὸ τοῦτο ποιεῖν*, Harpocratio. Eadem pleraque habet Suidas. *Γεισίποδες αἱ δοκοὶ, αἱ ἐγκείμεναι* (fort. *ἐκκείμεναι*) *δοκίδες, ἐφ᾽ ὧν τὰ γεῖσα τίθενται*, Etymol. M. p. 229, 38. *Αἱ δὲ προβολαὶ τῶν ὑπερῴων οἰκημάτων αἱ ὑπὲρ τοὺς κάτω τοίχους προὔχουσαι γεισσηποδίσματα* (sic cod. A vg. *γεισιπ.*) *καὶ τὰ φέροντα αὐτοὺς ξύλα γεισσήποδες* (*γεισίποδες*), Pollux I, 8, 81. *Γεισίπους καὶ γεισιπόδισμα τί ἐστιν· ἔστιν οὖν γεισίπους τὸ ξύλον τὸ ὑποβληθὲν καὶ φέρον τὴν γεῖσαν*, Lex. Rhetor. ap. Bekker. p. 227, 3. (et cf. p. 231, 4.). Sed Cod. (p. 1098.) habet *γεισήπους* et *γεισηπόδισμα*. *Γεισσήποδες* etiam scriptum extat ap. Moschopul. Sched. p. 205. cf. Lobeck. Parerg. Phrynich. p. 666. Et *γεισηπόδισμα* recurrit in hoc titulo v. 63. 114.

γεῖσον λίθινον ἢ κεράμεον, ex lapide aut testa i. e. argilla bene cocta. Cf. diss. I. §. 6. p. 101. n. 2. Sic Vitruvius II, 8. iubet summis parietibus lateritiis sub tegula subiici structuram testaceam, eamque habere proiecturas coronarum.

52. *ἐπισκευάσαι.* *ΕΠΙΣΚΕΥΑΣΑΣ* Pitt.

Καταστεγάσει δὲ καὶ τὴν πάροδον. Hoc itineris tectum, quod h. v. ut struatur praecipitur, descriptum postea habemus usque ad v. 75. Philo, ubi de interturriorum itinere loquitur, tria distinguit genera, *τὰ μὲν κατάστεγα καὶ ἐπάλξεις ἔχοντα* (cui generi hi Athenarum muri adnumerandi sunt), alia *ἐπάλξεις μὲν ἔχοντα, παρόδους δὲ μή*, sed eorum loco tabulas trabibus transversis impositas, quae, si opus visum fuerit iter

murorum intercludere, facile removeri possint, tertium genus, cuius exemplum Rhodi erat, cum itinere fornicato.

52. 53. *τὴν πάροδον τοῦ κύκλου τοῦ περὶ τὸ ἄστυ ἄνευ τοῦ διατειχίσματος* supplevi eo sensu, ut parodus murorum totam urbem ambientium, excepta ea parte, quae inter longos muros esset, tecto esset instruenda. Hac enim parte, quae nonnisi post captos muros longos praesidiis firmanda et defendenda erat, parodo tecta, quae propugnatores a sole et imbribus defenderet, minus opus esse videbatur. *Κύκλος* circulum sive coronam murorum significat, qua ipsa urbs cingitur, quam Herodotus I, 98. *τὸν Ἀθηνέων κύκλον* dicit. Sed ut moenia ea a Piraeensibus distinguerentur, opus erat addito: *περὶ τὸ ἄστυ*. Itidem scriptum est v. 76. *τοῦ αστεως τῷ κύκλῳ*. Quam definitionem desidero in supplemento Rossii: *περ[ιδρόμου]*, quod tanquam integrum in lapide lectum posuit Pittacius. Ac *περιδρόμου* significatus, quem mox describere conabimur, ab hoc loco alienus est. *Διατείχισμα* omnino transversus murus est, quo spatium aliquod ab alio dissepitur et intercluditur; idem aliis verbis Thucydides dicit *τὸ μεταξὺ* (loquitur de parte murorum urbis) *τοῦ τε μακροῦ καὶ τοῦ Φαληρικοῦ τείχους*. Ab hoc *διατειχίσματι* infra, v. 120. 121., longorum murorum portiones computantur. Franzius *πρὸς τοῦ διατειχίσματος* coniecerat, et locum in haec verba Latina transtulerat: *Et muniet non solum aditum moenium e regione munimenti interiecti et dipyli quod est situm trans portas, sed etiam muros longos.*

53. *τοῦ διπύλου τοῦ ὑπὲρ τῶν πυλῶν ἐπὶ τὰ μακρὰ τείχη*. Non dicitur hoc loco de Dipylo, quod proprie eo nomine appellatur, medio inter Ceramicum interiorem et exteriorem, sed de duplice quodam fornice, qui in superiore arcuatione supra arcum portae extructus erat: cuius generis portarum plura ex antiquitate Romana exempla supersunt. Haec porta cum *διατειχίσματι* coniuncta vix alia esse poterat, quam ea qua intra munimentum longorum murorum ibant. Hinc putavi *ἐπὶ* vel *εἰς τὰ μακρὰ τείχη* scribendum esse, quanquam articuli *τῶν* repetitione aegre carens. Sed *καὶ τὰ μακρὰ τείχη*, quod Rossius coniectura, Pitt. tanquam ex marmore posuit, vix admittetur propter structuram verborum, et accedit quod ex v. 70. intelligitur longorum murorum parodum non fuisse tectam. Porta illa a Piraica quae dicitur diversa fuerit nec ne, nunc non quaeram.

54. *ἐπιβαλὼν τοῦ περιδρόμου τὰ γεῖσα.* Haec ut proxime superioribus adnectamus, structura eorum verborum quae secuntur cogimur. *Περίδρομος* significat in aedibus privatis maenianum sive exostram quandam (*Balcon* s. *Altan*) altiorem aedificii partem ambientem. V. Pollux VII, 27, 125. IX, 5, 39., qui Aristophanis *ἐν Γήρᾳ* versum laudat: *Ἐπὶ τοῦ περιδρόμου στᾶσα τῆς συνοικίας.* In turribus, quae rotis veherentur, Cyrus *ἐποίησε — καὶ περιδρόμους καὶ ἐπάλξεις,* auctore Xenoph. Cyrop. VI, 1, 53. Omne iter in muris significare videtur *ὁ περίδρομος* Byzantii murorum apud Dion. Cass. LXXIV, 10. Murorum *περίδρομος*, qui a *παρόδῳ* distinguitur, pro exteriori ambitu, extra pinnas, habendus est, qui coronae muri magnam partem insistit.

Hinc ea corona *τὰ τοῦ περιδρόμου γεῖσα* appellari poterat. Infra v. 85. 86. componuntur *ὁ περίδρομος καὶ ἡ ἔπαλξις καὶ τὸ θωρακεῖον καὶ τὸ γεῖσον.* Eo loco quo Rossius *ΕΠ . . . ΛΩΝ* legit, Pitt. *Γ. ΠΥΛΩΝ* notavit, unde Franzius effecit *καὶ πηλῶν.*

Καὶ τῶν ἐπαλξίων πάντα ὅσα ἂν ᾖ ἀφεστηκότα πλέον ἐξ δακτύλων. Locus difficillimus, ex quo expedire me non potui, nisi ita ut a *καὶ* accuratiorem parodi descriptionem inciperе, et illud *Λ*, quod inter *ΟΣΑ* et *ΑΝ* interiectum habet titulus, errore opificis invectum esse statuerem; idemque sensisse video Franzium. Nam de *ἐπαλξίων γείσοις* h. l. dici, in animum inducere non potui, propterea quod haec ipsa *ἐπάλξια* nunc non coronis tegenda sed in altius extruenda sunt. Ubi *ΕΠΑΛΞ|Ι]ΩΝ* scripsit Ross., Pitt. posuit *ΕΠΑΛΞΕΩΝ.* Et habet utramque formam hic titulus, eo puto discrimine, ut *ἔπαλξις* omne pinnarum munimentum complectatur, *ἐπάλξιον* autem inferiorem murum significet cui pinnarum ordo fenestris interruptus superstruitur. Sic enim v. 56. explicandus erit. Atque de hoc *ἐπαλξίῳ* primum dici opus erat. . . . . . . *ΚΟΤΑ* putavi *ἀφεστηκότα* fuisse, quanquam eius rei minime certus, sed adductus comparatione v. 85. *ὅσα δ' ἀφεστηκότα ᾖ τοῦ ἀλοιμοῦ.* *Ι . . . . ΚΑΤΑ* Pitt. quod Franzius cum proximis ita coniunxit: *σαθρὰ κατὰ πλέον.*

55. *πλινθοβολεῖν*, lateritio opere extruere, vocabulum adhuc incognitum.

διαλείπων θυρίδας διπλίνθους. Aperturae inter pinnas latae esse debebant binos lateres. Atqui, Vitruvio teste

II, 3., *duobus laterum generibus Graecorum aedificia struebantur, ex his unum pentadoron, alterum tetradoron dicitur. Doron autem Graeci appellant palmum ...., ita quod est quoquoversus quinque palmorum* (i. e. I pedis et IV digitorum) *pentadoron, quod quatuor tetradoron dicitur. Et quae sunt publica opera, pentadoro, quae privata, tetradoro struuntur.* Hinc *δίπλινθον* spatium videtur esse II pedum cum semisse; videbimus tamen ad v. 57. fuisse II pedum tantum; itaque hanc parodum tetradoro latere extructam fuisse intelligitur.

55. 56. *ὕψος ποιῶν τοῦ μὲν ἐπαλξίου τρεῖς πόδας, τῆς δὲ θυρίδος δέκα στοίχους.* Ex hoc maxime loco intelligitur, *τὸ ἐπάλξιον* fuisse infra fenestras illas et pinnarum partes iis interpositas; siquidem alioquin *τοῦ ἐπαλξίου* et *τῆς θυρίδος* altitudo differre non poterat. *Στοῖχος* est ordo directus sive corium laterum per longitudinem murorum pertinens, qui ab aliis *πλίνθων δόμος* dicitur. Herodot. I, 179. Ac laterum apud Graecos certam fuisse crassitudinem, evincunt rationes Plataeensium, qui ex modulo laterum noto et numero ordinum observato altitudinem murorum hostilium computaverunt. *Ξυνεμετρήσαντο δὲ ταῖς ἐπιβολαῖς τῶν πλίνθων ᾗ ἔτυχε πρὸς σφᾶς οὐκ ἐξαληλιμμένον τὸ τεῖχος αὐτῶν*, Thucyd. III, 20. Iam constat, lateres apud antiquos exili fuisse crassitudine, si cum iis comparentur, quibus nunc utuntur. Lateres coctos, V. D. Hirtius scribit, in antiquis monimentis sextam fere pedis partem crassos esse solere. Idem tamen notat, lateres ad solem siccatos, quorum faciendorum artem docet Palladius de R. R. VI, 12., altitudine esse IV unciarum, i. e. tertiae pedis partis. V. Theoria Architect. p. 145. 160. Atticos hos lateres, etiamsi cocti fuerint, ea crassitudine fuisse oportet, ut neque fenestrae telis emittendis nimis depressae et parodi tectum satis altum fieret Hinc colligitur *στοῖχον* IV saltem fuisse digitorum, ut fenestrae summa pars V pedes et dimidium et tectum VII ped. cum quadrante supra solum esset. In muris Hierosolymorum Iosephus de bello Iud. V, 2. tradit, fuisse *διπήχεις μὲν τὰς ἐπάλξεις, τριπήχεις δὲ τοὺς προμαχῶνας*, illo nomine murum continuum infra pinnas, hoc pinnas inter se distantes significans. Cf. c. 3.

56. 57. *καὶ ἐπιθήσει ὑπερτόναια ξύλινα γομφώσας διάτοιχα πάχος στοιχιαῖα μῆκος ὀκτώποδα.* Ὑπερτόν[α]ια ξύλ[ινα]

supplendum esse mihi significavit Boeckhius, postquam Franzius v. 57. 58. *ὑπερτοναίοις* scribendum esse viderat, qui quidem h. l., confisus lectione Pittaciana, *ΗΥΠΕΡΤΩΝΔΙΑΞΥΛ|ΩΣΕΩΜΦΩΣΑΣ*, scribendum esse putavit: *ὑπὲρ τῶν διαξυλώσεων στρώσας*. *Ὑπερτόναια* quid sint, apparet ex etymo et Polluc. VII, 27. 122., ligna supra lumen fenestrarum suspensa. Similiter *διατόναια τοξοειδῆ* dicuntur tigna inarcus speciem supra oecum extensa, ap. Athen. V. p. 205. ex. *Γομφώσας διάτοιχα* coniunxi eo sensu, ut ea limina inter se ita securiculis coagmentanda esse dicantur, ut perpetuo ordine per muri longitudinem pertineant. Quanquam Hesychius s. v. *διάτοιχοι· οἱ ἀπὸ τοίχου ἐπὶ τοῖχον*, interpretatur. Quod ad crassitudinem muri attinet, nescio an extra haec *ὑπερτόναια* arcus directus ex lateribus suspensus fuerit, quo firmior laterum structura fieret, quae facile labare videretur, si ligneo illo limine plane interrupta esset. Sed haec in dubio relinquo. *Ὀκτώποδα* autem cum sint *τὰ ὑπερτόναια* (*ΟΚΤΑΠΟΔΑ* scribit Pitt.): intelligitur spatium a media pinna usque ad mediam alteram tertiamve octo pedum fuisse. Prius si statueris, pinnae latitudo esset VI pedum, quae cum nimis abhorreat a spatio fenestrae, quod esset II pedum, praefero alterum, ex quo consequitur, pinnarum eandem fuisse latitudinem quam fenestrarum, i. e. II pedum.

57. 58. *ὑποθήσει δὲ καὶ κύβους τοῖς ὑπερτοναίοις*, ligneos ut videtur cubos, laterum inferiori ordini interpositos, ut clavis immissis firmior materiae et laterum fieret coniunctio.

58. *καὶ ἐπιπλινθοβολήσει ὕψος ἓξ στοίχους.* Sic confiunt XVII coria praeter III pedes *τοῦ ἐπαλξίου*, i. e. ut videtur VII pedes cum quadrante. Cf. adscripta ad v. 55. 56.

58. 59. *οἰκοδομήσει δὲ καὶ ἐκ τοῦ ἔνδοθεν στόχους, οὐ μὴ εἰσιν οἰκοδομημένοι, διπλίνθους.* *Στόχον* si quis forte h. l. pro variata forma v. *στοῖχος* habuerit, is in explicandis iis quae secuntur non habebit quo se vertat. Equidem vexabar multis dubitationibus, donec intellexi *στόχον* a *στοίχῳ* plane differre, et significare pilam angustam, qualis iaculatoribus scopo poni possit *ΣΤΟΙΧΟΥΣ* etiam h. v. non recte posuit Pitt., ex quo Franzius effecit *τοίχους*. *Δίπλινθοι* dicuntur hae pilae eodem sensu, quo lateritii muri diplinthii aut triplinthii dicuntur (Vitruv. II, 8.), i. e. crassitudine binorum laterum. Crassitudinem autem dico lineam transversam, quae longius

producta pinnas cum fenestris secaret. Nam quod ad latitudinem horum *στόχων* pertinet, eam unius lateris sive pedis fuisse oportet, propter ea quae proximis statim verbis adiiciuntur.

διαλείποντας ἑπτὰ πόδας. Haec pilarum intervalla ad fenestrarum et pinnarum dispositionem non possunt non certa ratione respondere, cum propter symmetriam, quam architecti non sine necessitate negligunt, tum propter firmitatem totius structurae. *Δοκίδας* enim, quae postea memorantur, opus erat ita imponi, ut supra pilas atque pinnas fenestris interpositas essent. Itaque spatium a medio usque ad medium *στόχον* · debet fuisse VIII pedum, et ipse *στόχος* latitudine unius pedis.

59. 60. *καὶ ἐγκατοικοδομήσει στρωτῆρας δύο* (ΔΥΩ Pitt.) *διαλείποντας τρί' ἡμιπόδια.* Intelligitur hoc fieri oportuisse inter aedificandum, antequam pilae ad eam altitudinem evectae fuerint, quae sequentibus verbis definitur. Iam quod ad *στρωτῆρας* attinet, quanquam vix novi quicquam afferre queo, ponam tamen omnia, quae mihi ex antiquis scriptoribus innotuerunt. Primum definitiones in lexicis Graecorum propositas: *Τὰ μικρὰ δοκίδια τὰ ἐπάνω τῶν δουροδόκων τιθέμενα στρωτῆρας ἔλεγον* (haec Harpocratio s. v. *στρωτήρ*, eadem Photius Lex. s. v. *στρωτήρ* p. 544 l. 18. Etymol. M. p. 731. ex Rhetoribus) — *στρωτῆρές εἰσι τὰ μικρὰ δοκίδια εἰς ὀροφὰς πεποιημένα* (Lex. Rhetor. ap. Bekker. p. 302. Etymol. M. p. 731. Photius p. 545. l. 2. ubi corrupte legitur *εἰς στροφάς*) — *στρωτὴρ ἡ λεπτὴ δοκός* (in Cyrilli glossis) — asseres *κοντοὶ, δοκοὶ, στρωτῆρες* (glossae, v. Gessneri Lexicon Latinit.) — *Οἱ δέ φασι πλέγματό τινα ἀπὸ ῥάβδων εἰς ὀρόφωσιν πεποιημένα* (Lex. Rhetor. l. l. Etymol. M. l. l. Photius p. 545. l. 3.) — *οἱ δὲ σανίδας εἰς ὀροφὴν ἐπιτηδείους* (Lex. Rhetor.) — *ἢ τὸ πλέγμα τὸ ἀπὸ τῶν παπύρων εἰς τὰς σκηνὰς καὶ καλύβας πεποιημένον* (Lex. Rhetor. Photius p. 544 l. 24. Etymol. M. *ἐν τῇ συνηθείᾳ.*) — *στρωτηρίδια γεῤῥάδια* Suidas s. h. v. Intelligitur, *στρωτῆρας* proprie significasse tigilla quaedam sive asseres maioribus tignis sive trabibus in tectis faciendis instrata, sed cum vocabuli etymon ad omnem aedium *στρῶσιν* pertineret, traductum id etiam esse ad alia leviora insternendi tecti genera. Scriptores tamen, quorum opera supersunt, omnes primario et proprio sensu eo vocabulo usi sunt. V. in universum Boeckhius, in Annalibus criticis Berolin.

ann. 1835 mens. Octobr. fol. 77. *Στρωτῆρας* numerari potuisse ab eo, qui in oeco esset, et lacunaria suspectaret, intelligitur ex Aristophane apud Polluc. X. s. 173. ex Theophrasto *περὶ ἰλίγγων* 12. Polybio, V, 89, 6, teste, Antigonus Rhodiis misit ad reficiendam urbem *ξύλα ἀπὸ ἑκκαιδεκαπήχους ἕως ὀκταπήχους εἰς σφηκίσκων λόγον μύρια· στρωτῆρας ἑπταπήχεις πεντακισχιλίους*. Philo de telorum constructione in Mathematt. vett. p. 87., ubi *σιτοβολώνων* structura describitur: *εἶτα εἰς τὰ ἀναμέσον τῶν ἀψίδων διαστήματα στρωτῆρας ἐπιβάλλειν τοὺς ἰσχυρωτάτους καὶ ἄνωθεν κάλαμον*. (cf. annot. ad v. 68.) Arrianus Ind. 30. de ossibus cetaceorum, quibus Ichthyophagi ad aedificia struenda utebantur: *Εἶναι ὦν τὰ μὲν ἐν τῇσι πλευρῇσιν αὐτῶν ὀστέα δοκοὺς τοῖσιν οἰκήμασιν ὅσα μεγάλα, τὰ δὲ μικρότερα στρωτῆρας*. Libanius Epist. 1592. *Στρωτήρων δέομαι, κάμακας δ' ἂν ἢ χάρακας ἄλλος εἶπε σοφιστής*. Denique Theraeus titulus, in Corp. Inscr. Graec. n. 2454., materiem porticus operiendae recensens *τὴν τῶν ξύλων* (i. e. crassiorum, quae alias *τετράγωνα ξύλα* appellantur, v. Boeckh. l. l. fol. 78. p. 625.) *καὶ τῶν στρωτήρων ὕλην* commemorat. Omnibus perpensis satis intelligitur *στρωτῆρας* non esse trabes tignave maiora, sed esse potius asseres magis minusve validos, qui trabibus imponebantur, ut, quae etiam sic manebant intervalla, cannis aliove operimento insternerentur. Nostro tamen loco si quis *στρωτῆρας* ad tecti contignationem retulerit, vereor ne in difficultates irretiatur inexplicabiles. Quocirca plane assentior B o e c k h i o l. l. p. 619. statuenti, *στρωτῆρας* esse quidem asseres eiusdem generis et moduli, quo in contignatione facienda utebantur, sed interponi hic pilis illis, quae *στόχοι* dicuntur, ut pro pluteo (*Geländer*) essent. Poterant autem *στόχῳ διπλίνθῳ* illi *στρωτῆρες* si VI digitos — quod exempli causa pono — quoquoversus crassi erant, ita infigi, ut utrinque latere XIII digitos lato continerentur et in medio *στόχῳ* inter se commissi compactura quadam iungerentur. Ac videtur inferior asser sesquipedem supra terram fuisse, quod intervallum inter inferiorem et superiorem faciendum esse praecipitur.

60. 61. *ὕψος ποιῶν τοῦ στόχου ὥςτε ἀνόρ[θ]ο[υς] εἶναι εἰς τὸ εἴσω. ΤΟΥΣΤΟΧΟΥΣΩΣΤΕΑΝΟΡΘΟ|ΥΣ* Pitt., quae Franz. mutavit in *τοὺς τοίχους ὥςτε ἀνόρθους*. De lectione tamen Rossii dubitari nequit, sed interpretatio vocis *ἄνορθος* non satis certa est. (Cf. Stephani Thes. ed. Angl. p. 6916 c.)

Hoc in titulo cum altitudo pilae eo vocabulo significetur, puto *ἄνορθον εἴς τι* dici quod erectum sit usque ad libramentum alius cuiusdam structurae (*in die Höhe geführt bis zum Niveau eines andern Punkts*). Quod in breviloquentia technici sermonis illo vocabulo significari potuisse, nemo facile negaverit. *Εἰς τὸ εἴσω* autem ad interiorem muri partem spectare apertum est, puto ad murum supra fenestras et pinnas lateritio opere exstructum. Qui si non altior est pilis sive *στόχοις*, trabes, quae his imponuntur (*ἐπιθήσει δοκοὺς εἰς τοὺς στόχους*), supereminere necesse est murum illum. Quo comperto commode utemur in iis quae secuntur.

61. *Οὔ μὴ κατεστέγασται;* nam omnia ea opera partim tum iam facta ac vel diruta vel non absoluta fuisse, intelligitur etiam ex v. 59. 70. al.

61. 62. *στεγάσει δοκί[σιν] καὶ ἐπιβλῆσιν τιθεὶς ἐναλλὰξ, ἢ στρωτῆρσιν περιενκεντρίσει. ΣΤΕΓΑΝΗΙΔΟΚΟΙ̣ΣΙΝ* Pitt. *στεγαναῖς δοκοῖσιν* Franz. *ΗΙΣΤΡΩΤΗΡΣΙΝ* Pitt. ex quo *καὶ στρωτῆρσιν* Franzius. At numerus literarum refragatur. Intelligitur supra trabes et murum fenestratum poni aut *δοκίδας*, tigilla, cum *ἐπιβλῆσιν*, inter se alternantia, aut *στωτῆρας*. *Ἐπιβλήτων*, si eam vim vocabuli, qua obicem significat (Pollux I, 8, 77.), exceperis, perexigua mentio Harpocratio s. v. *ἐπιβλής ἐστιν, ὡς μὲν Τιμαχίδας φησί, δοκός. ὡς δέ φησι Κλείταρχος ὁ γλωσσογράφος, ποιά τις δοκός.* Puto esse trabeculas *ταῖς δοκίσιν* in transverso interpositas atque ita intercardinatas, ut, quod nos *Rostgebälk* dicimus, existat. V. de ea re Hirt. Theoria architect. p. 32 sqq. In simili re nostrates vocabulo: Riegel, quod Graeco *ἐπιβλής*, Latino obex respondet, utuntur. Alterna ponuntur haec tigna, cum eodem numero sibi respondent directa et transversa: vix enim poterat latitudo parodi maior esse, quam ut in ea tegenda singulae *ἐπιβλῆτες* sufficerent.

στρωτῆρσιν περιενκεντρίσει διαλείπων τρεῖς παλαστὰς ἐκ τοῦ ἐπάνωθεν. Στρωτῆρες quanquam satis cogniti esse videntur (v. annot. ad v. 60.), *περιεγκεντρίζειν* tamen verbum hoc primo loco prodit. *Ἐγκεντρὶς* aculeus est infodiendo vel impingendo idoneus; itaque *περιεγκεντρίζειν στρωτῆρσιν* nihil aliud esse potest, nisi undique vel utrinque asseres acutos impingere. Apertum est aliquam materiae compacturam indicari, eamque antiquis architectis tam fuisse bene cognitam, ut uno tantum verbo opus esset, atque etiam eorum tignorum,

in quae *στρωτῆρες* impingendi essent, *δοκίδων* puto, mentio omitti posset. Puto tignorum horum superficiem ita incidendam fuisse, ut *στρωτῆρες* extremi ei immitterentur, neque tamen hos per totam crassitudinem demissos esse in tigna, sed maximam partem supereminuisse. Intervallum *στρωτήρων* dicitur esse palmorum (intelligo palmos minores) III., id est digitorum XII., ex quo apparet ipsos *στρωτῆρας* non admodum validos asseres esse. *Ἐκ τοῦ ἐπάνωθεν* facilius esset intellectu, si coniungeretur cum verbis *στρωτῆρσιν περιεγκεντρίσει*, sed ne ordo verborum turbetur, acquiesco in structura: *διαλείπων ἐκ τοῦ ἐπάνωθεν*, atque arbitror *στρωτήρων* eam fuisse formam, ut superficies eorum in angustius spatium contraheretur

63. *καὶ διοικοδομήσας ἐπὶ τοῦ τοίχου ἀνατεμεῖ τὸ γεισηπόδισμα*. *ΔΙΟΙΚΟΔΟΜΗΣΕΙ* Pitt. *ΤΕΙΕΑΠΟΔΙΣΜΑ* idem, sed iam Franzius tantum non omnes literas recte restituerat: *γεισιπόδισμα*. Intelligitur contignationem parodo ita superstruendam fuisse, ut supra murum capita tignorum, *δοκίδων* sine dubio, proiicerentur, quae certa ratione praecisa *γεισηπόδισμα* efficiunt, de quo v. adscripta ad v. 51. Proiectura statim praecipitur ne minor esset sesquipede, et externa praecisorum tignorum facies ut esset ad perpendiculum facta.

64. 65. *καὶ ἐπικρούσει ἀκρογείσιον ποιῶν ὀρθὸν κατὰ κεφαλὴν πλάτος ἑπτὰ δακτύλων πάχος παλαστῆς*. *Ἀκρογείσιον* vox adhuc incognita, cuius significatum etymon prodit. Nam suprema pars coronae sima est, qua tegularum ordines proteguntur atque aqua continetur et certis locis effunditur. Mensurae, quae indicantur, quomodo simae conveniant, v. in tab. adj. II, t.

65. 66. *παρατεμὼν ἐκ τοῦ ἔνδοθεν πάχος ἱμάντος καὶ τὸ μέτωπον ποιήσας πρὸς τὴν καταφοράν*. Opponitur interna facies simae externae. Illi incidenda est stria quaedam (*ein Falz*) eius altitudinis, ut *ἱμάντες* ei immitti possent, id est unius digiti. Cf. v. 67. (Ceterum *ΠΑΧΟΣΙΜΑΤΟΣ* Pitt., quocirca Franzius *γεισσώματος* coniecerat, sed vera lectio nunc Rossii fide in aperto est.) Haec autem exterior facies ita inclinanda est, ut aqua pluvialis inde proiiciatur, quod technico vocabulo dictum puto *τὸ μέτωπον ποιῆσαι πρὸς τὴν καταφοράν*. Potest autem huius simae, quanquam ligneae, figura optime describi comparatis simis marmoreis, quae extant in aedibus sacris Graecorum. V. ex. gr. simam Rham-

nusii Nemeseos templi, descriptam in Ineditis Atticae antiqu. c. VI tab. 7.

66. 67. *Ἐπικρούσει δὲ καὶ εἰς τὸ ἐντὸς ἱμάντας διαλείποντας τρεῖς παλαστὰς πάχος δακτύλου πλάτος πέντε δακτύλων ἥλοις σιδηροῖς.* Quid *ἱμὰς* fabrorum Graecorum fuerit, hic locus omnium apertissime docet. Est asserculus non magnae latitudinis sed minoris etiam crassitudinis (*eine Latte*), qui in operiendis aedificiis supra *δοκίδας* et *στρωτῆρες* ponitur, ac simul, quod ex sequentibus intelligitur, tecto insternendo inservire potest. In titulo illustri de Minervae Poliadis aede legitur (Corp. Inscr. Graec. n. 160. §. 7.): *Ἐν τῇ προστάσει τῇ πρὸς τοῦ θυρώματος τὸν βωμὸν τοῦ θυηχοῦ ἄθετον. τῆς ἐπωροφίας σφηκίσκους καὶ ἱμάντας ἀθέτους,* de quo loco nuper iterum accurate, sicut eius mos est, disputavit Boeckhius in Annal. crit. Berolin. 1835. Oct. fol. 76. sqq. Unum addo: si forte nunc compertum habeatur, marmorea fuisse illius porticus lacunaria, *σφηκίσκους* et *ἱμάντας*, quos ad materiationem spectare Boeckhius primus demonstravit, ad superiorem tecti structuram pertinere statuendum esse, ita fortasse ut *σφηκίσκοι* cantheriis et *ἱμάντες* asseribus Romanorum aequiparentur: quanquam sic templa tecti aegre desideraveris. Sed hanc quaestionem, cum ad hoc opus faciendum non sit necessaria, ulterioribus curis relinquimus. *Ἱμάντος* quaedam mentio, sed admodum obscura extare videtur in titulo edito a Boeckhio in Ephemerid. literar. Halens. a. 1835. Intell. f. 35. tit. 8. Intervalla trium palmorum in tabula adiecta II, v. uno digito minora descripsi, ut cum latitudine asserculorum singulos pedes efficerent atque materiationis subiectae numeris responderent.

68. *καὶ ἐπιβαλὼν κάλαμον λελαμμένον, ὑποβαλὼν λοβὸν ἢ κάλαμον.* Restant nunc intervalla asserculorum explenda, quae partim per *στρωτῆρας* tecta subtus intuenti quadrata apparent trium palmorum quoquoversus. Haec vel tabulis, quae *καλυμμάτια* dicebantur, vel arundine cannave operiri poterant: quo supra (v. 60) vidimus etiam *στρωτήρων* vocabuli potestatem deflexam esse. Arundines quae superne iniiciuntur dicuntur *κάλαμος λελαμμένος*. Hoc vocabulum, a *λάπτω*, lambo, technicum significatum induisse debet, ita puto, ut aqua dilutam et maceratam quodammodo arundinem significaret, quae elastica quam dicimus vi privata, si lutum postea inductum esset, nullam in eo rimam faceret. Arundinem

tunsam dicit Vitruvius VII, 3, ubi camerae faciendae praecepta exponit, et Palladius de R. R. I, 13., qui ex illo hortulos suos irrigavit, sed nonnulla tamen aliter et magis perspicue describit. Hic postquam exposuit, quomodo asseres disponendi sint, sic pergit: „Binas inter eos, i. e. asseres, perticas dirigemus tomicibus alligatas. Postea palustrem cannam, vel hanc crassiorem, quae in usu est, contusam, facta et strictius iuncta crate, subnectemus, et per omne spatium cum ipsis asseribus et perticis alligabimus.“ Vitruvius haec: „Asseribus dispositis tum tomice ex sparto Hispanico arundines Graecae tunsae ad eos, uti forma postulat, religentur. Item supra cameram materies ex calce et arena mixta subinde inducatur, ut si quae stillae ex contignationibus aut tectis ceciderint, sustineantur. Sin autem arundinis Graecae copia non erit, de paludibus tenues colligantur, et mataxae tomice ad iustam longitudinem una crassitudine alligationibus temperentur“, et quae sqq. Multus maxime in rusticis operibus arundinis ad operiendum usus erat. Columell. de R. R. XII, 50: „Itaque cum lacus, quemadmodum diximus, extruxeris, asserculos inter se distantes semipedalibus spatiis supra solum ponito, et cannas diligenter spisse textas iniicito.“ Quod ad titulum nostrum attinet, notabile est, duo fieri strata arundinis, alterum subiectum asserculis, alterum superne alligatum, idque ut videtur in modum cratis connexum. Pro inferiore arundinis strato, cui nullum pondus sustinendum erat, adhiberi etiam poterat *λοβὸς*, i. e. acus fabaginum (vocabulis utor Catonianis, de R. R. 54.) sive *ἄχυρα κυάμινα* (Geopon. IX, 10). Quo aceris genere luto etiam maior tenacitas acquisita esse videtur, quam communi palea.

68. 69. *λοβώσει πηλῷ ἠχυρωμένῳ πάχος τριδακτύλῳ.* Nullum verbum video, quod ex literis Rossiani apographi *ΛΟ.ΩΣ.Ι* effici possit, nisi *λοβώσει*. *ΠΗΛΩΣΕΙ* Pitt., coniectura ut videtur ductus. *Λοβοῦν* puto technico sensu dictum esse de luto, quod acere fabagino spissatum inducitur. Hoc autem lutum *λελοβωμένον* ab inferiore parte inductum esse arundini, intelligitur ex iis quae secuntur. Itaque caelum huius camerae (*der Plafond*) nunc quodammodo absolutum est. Non multum interesse videtur inter hoc *λοβοῦν* et *καταλείφειν* Philonis, nisi quod hoc calce potius fieri statuerim. Philo p. 87., ea verba quae ad v. 60 posuimus, continuans: *καὶ ἄνωθεν κάλανον καὶ καταλεῖψαι ὡς βέλτιστα.*

Idem eadem p. 87. de aedificatione *σιτοβολώνων* dicens: *τὴν ἄνω ὀροφὴν δοκοὺς διαθεὶς καὶ στρωτῆρας ἐπιβαλὼν κεράμωσον ἢ κατάλειψον ὡς βέλτιστα*, cum *κεραμώσεως* vice fungatur, ruderationem, quae aquam transire non patiatur, significet necesse est. Atque ea sine calce perfici nequit.

69. *καὶ κεραμώσει Λακωνικῷ κεράμῳ τοῦ μὲν κύκλου πάροδον* — Igitur parodi *στέγη* est *κεραμωτή*. Aristot. Phys. VII, 3. dicit perfici domum *θριγκουμένην καὶ κεραμουμένην*. Laconicarum tegularum nulla adhuc mentio extabat, nisi quod in Geopon. XIV, 11, 1. *Λάκωνος ὀστράκου κοπέντος* mentio facta est.

70. *τῶν δὲ μακρῶν τειχῶν τὰς ἡγεμόνας, οὗ μή εἰσιν κείμεναι* (i. e. *τεθειμέναι*, v. Boeckh. Corp. Inscr. Graec. T. I. p. 277.). Vocabuli architectonici *ἡ ἡγεμὼν* mentionem reperire non potui, nam quae Lobeckius ad Phrynichum p. 452. de feminina appellatione *ἡ ἡγεμών*, aliorsum spectant. Itaque quid sint eae *ἡγεμόνες*, ex nostro tantum loco divinando extundi poterit. Iam singulare et primo obtutu mirificum est in verbis tituli, quod *αἱ ἡγεμόνες* longorum murorum opponuntur *πάσῃ τῇ παρόδῳ* urbis, et nihilominus eaedem in luto poni iubentur plane ac si tegulae essent. Utrumque cum considero eo adducor, ut arbitrer *ἡγεμόνας* locum habere, ubi nulla est *πάροδος*, sed seiuncta et distantia inter se propugnacula, et significare tegulas his eo modo superpositas, quo etiam nunc macerias, ad pluviam arcendam, tegulis tegere consuevimus. Exemplum pinnarum eum in modum tegulis opertarum sumere licet a muris, quibus Peloponnesii Plataeas circumvallaverant. Quos cum escenderent Plataeenses: *κατέβαλέ τις τῶν Πλαταιῶν ἀντιλαμβανόμενος ἀπὸ τῶν ἐπάλξεων κεραμίδα*, Thucyd. III, 22. Quare autem eae *κεραμίδες* dictae sint *ἡγεμόνες*, rationem accipe hanc. *Ἡγεμόνες* apte dici poterant eae tegulae, quae in summis ordinibus tecti ponebantur (*Firstziegel*), quas ad arcendam pluviam ita inter se iugatas fuisse credibile, ut etiam nunc in ruderibus Graecorum templorum tegulae et imbrices extremi velut ex duobus ordinibus utrinque connexi inveniuntur. Iam si hae tegulae iugatae ad murum pinnamve tegendam transferebantur, manere poterat nomen *τῶν ἡγεμόνων*, quanquam uno tantum ordine opus esset.

70. 71. *τιθεὶς ὅλας ἐν πηλῷ ὀρθὰ παρὰ πλευράν*. *ΕΠΗΛΑΩΙΟΓΙ. ΠΑ* Pitt. *ἐν πηλῷ εἶτα* Franz. *ὅλας* ad *ἡγεμόνας* sed etiam ad *Λακωνικὸν κέραμον* spectat. Feminini

generis loco quod deinde ponitur neutrum ὀρθά, corrigere non licet, Significatur tegulas omnes directis ordinibus collocari debere, ita ut latera tegularum eiusdem ordinis in eodem plano ad perpendiculum erecto *(in derselben Vertical-Ebne)* essent. Sed κατὰ κεφαλὴν ὀρθὰ ut essent, praecipi non poterat, cum superficiem tegularum versus coronam cum sima inclinari opus esset. Latitudinem tegularum eam fuisse puto, ut unaquaeque tegula duorum asserculorum marginibus inniteretur et intervallum eorum expleret, id est pedalem fere. Quae tegularum latitudo ne mirationem faciat, uno defungar exemplo aediculae Dianae Propylaeae Eleusine consecratae (descriptae in Inedd. Att. antiqu. c. V.), cuius tegulae non lapideae sed coctiles sunt, et singulae latitudine unum modulum cum quadrante exaequant, i. e. (cum modulus sit 1' 3, 5") unum pedem et septem unicias cum semisse. Et cf. ann. ad v. 73. de Puteolano titulo dicta.

καὶ καλυπτηριεῖ τιθεὶς τοὺς καλυπτῆρας ὅλους ἐμ πηλῷ. Dionysius Halicarn. VI, 92. αἱ γυναῖκες ἀπὸ τῶν στεγῶν βάλλουσαι τοὺς πολεμίους τοῖς καλυπτῆρσι. Καλυπτηριάζω, imbrico, ex glossario vetere excerptum praebet Casaubon. in annot. ad l. l. Aristoteles Problem. XX, 9. loquitur de cucurbitis, σικύοις, εἰς νάρθηκας κοίλους ἢ καλυπτῆρας τιθεμένοις. Facile intelligitur καλυπτῆρας esse imbrices *(Hohlziegel)*, quos antiqui tegularum marginibus extantibus superimponere solebant. Cuius tegularum et imbricum commissurae multa et celebria nunc exempla ex marmoreis Graecorum templorum tectis protracta habemus. Quod autem et κεραμίδες et καλυπτῆρες ἐν πηλῷ collocantur, id sic intellige, ut non solum arundines illae asserculis instratae multo luto illinendae essent, in quo tegulae commode poni possent, sed etiam harum commissurae luto ita obtegendae, ut imbrices in luto poni dici possent. Qui luti usus etiam a nostro more non alienus efficit, ut tegulae firmius inter se contineantur minusque facile ventis vel suo pondere loco moveri possint.

71. 72. καὶ ἀπογεισώσει ἐκ τοῦ ἔξωθεν γείσοις Κορινθίοις. Ut corona absolveretur, non sufficiebat tignornm proiecturam praecidere, quemadmodum γαισηπόδισμα factum erat, et ἀκρογείσιον sive simam affigere, sed ut venustiorem speciem haberet opus fabrile, tabulae longae contra tignorum praecisiones in fronte et subtus figendae erant, ut perpetua supra omnes pinnas corona pertinere videretur. Hoc arbitror dictum

esse ἀπογεισοῦν, quanquam in exemplis, quae ex Aristotele de gener. anim. V, 2. de part. anim. II, 15. et Xenophonte Memor. Socr. I, 4, 6. producuntur, latior eius vocis significatus obtinuit, ita ut coronam facere significet. Sic natura dicitur oculos superciliorum proiectura, et aures margine circumiecto ἀπογεισῶσαι, cf. Pollux II, 4, 49. Corinthiarum coronarum mentio maxime notabilis est, neque disconveniens monumentis Athenarum, in quorum numero Lysicratis choregicus ναΐσκος praeclarum est atque huius murorum refectionis tempori aequale Corinthiae rationis exemplar. Quid autem peculiari fuerit huic generi coronarum, sequentibus docemur.

72. ἀναξῶν τοὺς κριοὺς ἁρμόττοντας. Insignis locus ad Corinthii architecturae generis historiam describendam. Κριὸς . . . μέρος τι τοῦ Κορινθίου κίονος, Hesychius. Quam partem Corinthiae columnae olim (in compendio archaeol. § 54 Ann. 3.) significaveram nullam aliam esse posse, quam volutas, arietinis cornibus, qualia Iovis Ammonis capiti affingebantur, simillimas, quas in Corinthium capitulum translatas esse constat ab Ionica ratione. Nunc ea volutae figura a capitulis etiam ad coronam translata est, ita ut ea mutulis quibusdam sustineretur, quorum figura duas volutas leni flexu inter se coniungeret. Non dissimulo quidem, neque monimenta extare Romanorum Caesaribus vetustiora hoc genere mutulorum instructa, neque Vitruvium (IV, 1.) Corinthiae rationi propriam coronarum institutionem tribuere, sed ea membra, quae supra columnas imponuntur, aut e Doricis symmetriis, aut Ionicis moribus collocanda esse docere. At Vitruvii praecepta ad aedes sacras ex lapide extructas revocanda esse existimo, atque eiusdem generis omnia sunt Corinthiae rationis aedificia, Romanorum temporibus vetustiora, quae quidem non numerosa habemus. Ipse autem titulus, quem tractamus, vincit, ut in fabrili opere hos mutulos Corinthios multo antiquiores existimemus. Quod enim aliud coronae ornamentum κριοὺς dictum esse fingere licet? Ac κριοὺς dicta esse tigna longius proiecta demonstrat Philo p. 80., murorum κριοῖς instruenda esse tabulata, ubi in ipso muro πάροδος institui nequeat, praecipiens. Et ipse aries, quo in oppugnandis muris utebantur, similem habet formam. Verbum ἀναξεῖν (ΑΝΑΞΩΝ utrumque habet apogr., sed Franzius scripsit ἀνάγων) intelligo de forma volutarum, quae sculpendo ligno ex inferiore τῶν γεισηπόδων facie efficienda esset. In titulo Corp. Inscr. Graec. 2297. οἱ

πρόμοχθοι οἱ ἐν τοῖς τοίχοις καὶ αἱ ἐπ' αὐτοῖς σανίδες mutuli sunt cum antepagmentis, quae coronae speciem efficiunt.

72. 73. *καὶ ϳιθεὶς ὀρθὰ παρὰ πλευρὰν καὶ κατὰ κεφαλήν.* Antepagmenta coronae ad perpendiculum et ad libellam ponenda sunt.

Nunc cum tectum parodi absolutum esse videatur, de universa eius materiationis ratione pauca addenda habeo. Nihil est in tota operis designatione, quod prodat duplicem fuisse tecti contignationem (*διπλῆν ὀροφὴν* quam dicit Appianus Bell. Civ. IV, 44.) et vacuum intercessisse spatium inter laquearia illa, si eo vocabulo hic uti licet, et tecti materiationem. Sed intelligitur, *δοκίδας* cum *ἐπιβλῆσιν* vel *στρωτῆρσιν* etiam *ἱμάντας* cum tegulis et imbricibus sustinuisse. Quod si verum est, tota contignatio non poterat ad libellam dirigi, sed inclinari eam oportebat versus coronam et simam. Neque deest, si vocabulum *ἄνορθος* v. 60. recte explicuimus, eius inclinationis indicatio, siquidem solis pilis, non muro pinnaculorum opposito, trabes ut imponantur, praecipitur. Quarum trabium altitudo, si ferme pedalis erat, pro latitudine tecti, quae parodi spatio paullo maior erat, itaque non magna fuisse videtur, sufficiens haberi poterat, ut eam, qua opus erat ad pluviam deducendam, declivitatem efficeret. Quaeritur autem, *δοκίδες*, cum non inniterentur muris sed ultra eos propenderent, quomodo potuerint satis firme contineri, quominus totum tectum prorueret. Verum cum tecti inclinatio a libella non multum differret, non magna ad sustinendum tectum opus erat vi; ac si *δοκίδες* ita incidebantur, ut angulis quibusdam prominentibus tum trabi superiori tum muro inferiori inhaererent, incolumitati tecti satis provisum esse poterat.

Iuvat hoc loco conferre aliud ex antiquitate simplicis tecti structurae exemplum, titulum Puteolanum, conscriptum anno U. C. DCXLIX. apud Gruterum p. CCVII. et Piranesium Magnificenza de' Romani tb. 37., quo opus in porta quadam extruenda et tegenda faciendum designatur. Ibi postquam, supra limen ostii et antas utrinque adiectas mutulos robustos in utramque partem proiiciendos esse, praeceptum est, sic pergitur: „insuper mutulos trabiculas abiegineas II crassas quoqueversus S (i. e. dimidium pedem) inponito ferroque figito, inasserato asseribus abiegineis sectilibus crasseis quoqueversus ≡ (quatuor uncias), disponito ni plus S≡, operculaque abieginea inponito ex tigno pedario, facito ante-

pagmenta abieginea lata S=== crassa — { (sesquiunciam), cumatiumque imponito ferroque plano figito, portulamque tegito tegularum ordinibus senies quoqueversus, tegulas primores omnes in antepagmento ferro figito marginemque inponito eisdem.“ Etiam in hoc monimento multum dubitari potest, qua causa efficiatur tecti declivitas; sed Piranesium recte puto vidisse, mutulos quidem proiectos et trabiculas iis in fronte impositas ad libellam directas fuisse, sed asseres a muro quodam supra limen erecto inclinatos ad illas trabiculas (eadem plane ratione, qua in Tuscanicis atriis cantherii suspendebantur, cf. Mazois *Ruines de Pompei* T. II, pl. 3). Sic asseres hi cum operculis (*καλυμματίοις*) lacunaria simul efficiunt, et iidem tegularum ordines sustinent. Quae ratio quatenus ab ea differat, quae in Graeco titulo praecipitur, facile intellectu est, sed conveniunt etiam multa in utroque materiationis genere. Velut quod antepagmenta, quae asserum proiecturae a fronte, inferne et superne praefigenda fuisse intelligitur, *ἀπογεισώματι* respondent, et cumatium, quod Latino vocabulo sima dicitur, *ἀκρογεισίῳ*, nisi quod cumatium non supra totam coronae superficiem extenditur, sed in fronte tantum fixum est, quo fit ut primores tegulae non in cumatio sed in antepagmento figendae sint. Spatium, quod senis tegularum ordinibus quoqueversus obtegendum est, in utramque partem latum est plus quam IV. p., longum plus VIII et dimidium p., ita ut unam quamque tegulam unum et dimidium pedem et longam et latam fuisse intelligatur. — Non negaverim tamen, murorum parodos turriumque diodos etiam duplici materiationis strato contegi potuisse. In descriptione Peloponnesi, quam artifices Francogalli nuper in publicum ediderunt (*Expédition de Morée pl.* 39. coll. *pl.* 40.), proposita est turris murorum Messeniorum sic adumbrata, ut appareat, in summa turre stationem fuisse militum, cum contignatione ad libellam directa tum materiatione devexa tectam. Atque etiam in hoc tecto propugnatores collocatos esse intelligitur inde quod exterior murus non solum sub contignatione, sed etiam supra tectum fenestram habet, unde hostes prospici et impugnari poterant.

73. 74. *Καὶ ποήσας κανθήλιον ἐκλοβώσει πηλῷ ἠχυρωμένῳ [διάζωμα ἰθ]υτρεχὲς ὕψος τεττάρων στοίχων.* Locus obscurior, quem me recte restituisse spondere non audeo. *Κανθήλιος* primum est asinus clitellarius. Huius

altum et arduum dorsum cum variis rebus natura arteve factis comparabatur, quarum maximam partem occupavit Schneiderus in Lex. Apollonius *ὁ μαλακός* Alabanda comparavit cum asello clitellario scorpiis onusto (*κατεστρωμένῳ*, non *κατεστραμμένῳ*). In navi, Photius scribit p. 130, 8. *κανθηλίους* dictos esse *τὰ ἐπὶ τῇ πρύμνῃ σκηώματα τῶν στρατηγῶν*. Quamobrem, intelligitur ex iis, quae Hesychius: *Κανθήλια τὰ ἐν τῇ πρύμνῃ τῆς νεὼς ἐπικαμπῆ ξύλα τιθέμενα πρὸς σκηνοποιΐαν*. Sic materiatio tecti in duas partes devexa (*Satteldach*) dici poterat *κανθήλιος*, quo factum esse puto, ut Romani cantherios appellarent ligna a summo tecto in contrarias partes declinata, quae Graeci antiqui *ἀμείβοντας* (Homer. Il. XXIII, 711.), posteriores *συστάτας* (v. Schol. Ven. *οἱ συστάται οἳ τὸ σχῆμα τοῦ Λ στοιχείου ἀποτελοῦσιν*) et *χυδαίως προςφιλοῦντας* (Eustath. p. 1327, 1. ed. Rom.) appellaverunt. Hoc autem in titulo quae murorum et parodi pars *κανθήλιος* dici potuerit, plane me fugit. Itaque eo adducor, ut opiner *κανθήλιον* dici machinam quandam, qua ante muros suspensa altiores eorum partes commode refici poterant, ita ut opus non esset tabulato a solo usque ad altitudinem pinnarum perducto. Subvenit huic explicationi, quod etiam corbes maiores, in quibus uvae calcabantur, dicuntur *κανθήλιοι* in Geopon. VI, 11. Ex literis . . *ΛΟΡΩ . ΕΙ* feci *ἐκλοβώσει*, putans *ἐκλοβῶσαι* fuisse luto aceroso et spisso membrum aliquod architecturae, velut zophorum paululum extantem, exprimere. Apud Pitt. est . . *ΛΩΡΟ . ΕΙ*, et Franzius scripsit *ἐπαλείψει*. *Διάζωμα* ut supplendo ponerem movit me, quod deesse videbatur mentio huius ornamenti sub corona parodi; ac poterat diazomatis species effici luto ingesto ac postea dealbato. | *ΥΤΡΕΧΕΣ* utrumque habet apographum, quapropter Franzii *εὐπρεπὲς* admitti nequit. Ac nescio quid restet nisi *ἰθυτρεχὲς* vel *εὐθυτρεχές*, quanquam haec vocabula adhuc ignota fuerunt. Altitudinem *τεττάρων στοίχων* supra (ad v. 55) statuimus unius pedis esse, neque maior pro diazomate parodi requiri videtur.

74. 75. *καὶ τὰ ἔξω χρειαζόμενα τοῦ τείχους ἀνα[σκευάσει πλίνθ]οις καὶ ἡμιπλινθίοις*. De v. *χρειαζόμενα* (*ΧΡΕΙΑΖΩΜΕΝΑ* Pitt.) v. dicta p. 118 ann. 3. Semilateres memorat etiam Vitruvius II, 3.

75. *καὶ ὅσα κατέῤῥωγεν τοῦ τείχους, ἐνδήσει θράνο[ις ξυλίνοις?* *Κατέῤῥωγεν* supplendas esse litteras tituli *ΚΑΤΕΡ* .

ΩΓΕΝ (*ΚΑΤΕΡΕΩΓΕΝ* Pitt.) vidit Franzius *ΕΝΔΗΣΕΓΟΡΑΝΟ* Ross. *ΕΝΔΗΣΕΓΟΡΑΝΟ* Pitt, *ἐνδήσει θράνοις* Franz. scribendum esse vidit. Verbi *ἐνδῆσαι* mentio facta est ad v. 50, et de *θράνοις* dictum ad v. 51. Intelligo tigna quaedam interiori murorum structurae imposita ad vinciendos labantes laterum ordines. Vitruvius I, 5. praecipit, ut muri *in crassitudine perpetuae taleae oleagineae ustulatae quam creberrimae instruantur, uti utraeque muri frontes inter se, quemadmodum fibulis, his taleis colligatae aeternam habeant firmitatem.* De eadem re, ni fallor, Philo p. 80. *Ἐμβλητέον ἐστὶν εἰς τὰ τείχη καὶ τοὺς πύργους ξύλα δρύινα διὰ τέλους συνεχῆ διὰ τεττάρων πηχῶν κ. τ. λ.*

75. 76. *Ποιήσ]ει δὲ καὶ θυρίδας τοῦ ἄστεως τῷ κύκλῳ καταράκτους κατ' ἔπαλξιν....* Primum vocabulum supplevit Franzius, qui postea, ubi utrumque apographum *ΚΑ.ΑΡΑ..ΟΥΣ* habet, *καὶ φραγμοὺς* reposuit. Mihi *καταράκτους* certum esse videtur. De *καταράκτοις θύραις* maximam partem iam providit Schneideri doctrina s. v. *καταράκτης*. Apud Herodotum V, 16, de incolis paludis Prasiados, legitur: *κρατέων ἕκαστος ἐπὶ τῶν ἰκρίων καλύβης τε ἐν ᾗ διαιτᾶται καὶ θύρης καταπακτῆς διὰ τῶν ἰκρίων κάτω φερούσης ἐς τὴν λίμνην*, et quae sequ., ubi Reiskium verum vidisse puto, qui *καταράκτης* posuerit. Satis perspicue loquitur Plutarchus Arat. 26. *εἰς οἴκημα κατεδύετο μικρὸν ὑπερῷον θύρᾳ καταῤῥάκτῃ κλειόμενον. ἧς ὑπεράνω τὴν κλίνην ἐπιτιθεὶς* etc. Apertum est, cataractum esse quod nos dicimus: *Fallthüre.* Alibi maioribus portis attribuuntur *καταράκται*, ut a Vegetio de re mil. IV, 4. *Sed amplius prodest quod invenit antiquitas. ut ante portam addatur propugnaculum, in cuius ingressu ponitur cataracta, quae annulis ferreis ac funibus pendet, ut si hostes intraverint, demissa eadem extinguantur inclusi.* Hausit ea Vegetius ex Aeneae Poliorcetico, qui optimus auctor idem cataractarum genus Graecis verbis sic describit (c. 39): *χρὴ ἑτοιμάσθαι ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ μεσοπύλου πύλην ξύλων* (ita recte Casaubonus pro vg. *πυλῶν*) *ὡς παχυτάτων καὶ σεσιδηρῶσθαι αὐτὴν κ. τ. λ.* Hoc cataractae genere utuntur Salapitani in bello Hannibalico. V. Liv. XXVII, 28. qui haec Graeca expressit Polybii, servata a Suida s. v. *ἠμμένοι· Καταῤῥάκτας, οὓς εἶχον ὀλίγον ἐξωτέρω διὰ μηχανημάτων ἀνημμένους, αἰφνίδιον καθῆκαν. Τὰς πύλας ἐκ μηχανήματος ἀνασπάσαι καὶ ἐπικαθεῖναι* dicit Appianus

de b. Hann. 51, ubi eandem rem enarrat. Similem Xanthiorum sive astum sive casum narrat Appianus de b. civil. IV, 78. Sed ab hoc artificio portarum repente aperiendarum et claudendarum differt hoc genus cataractarum, quod in summo muro pinnis adiici titulus noster docet. His videntur antiqui usi esse, ut fenestrae illae pinnis interiectae, si hostis scalis ad eas escenderit, confestim claudi possent. Verumtamen cum harum cataractarum forma nullo alio auctore cognita sit, atque tituli hac parte haud paucae literae desint: non ausim equidem harum *θυρίδων καταράκτων* fabricam accuratius definire.

77. ... *ἐπαλξίου στροφέα προςβαλὼν καὶ συνγομφώσας ὑποτρυπήσει. Στροφεὺς* est lignum, cui superne et inferne cardines immittuntur, in quo *στρέφεται ἡ θύρα.* Quod cum satis notum sit, laudo tantum locum Aristoph. *Δαναΐσι* apud Suidam s. v. *αὔλειος*: *Πρὸς τὸν στροφέα τῆς αὐλείας σχίνου κεφαλὴν κατορύττειν* (sic Meineke, vg. *ἐχίνου*), ad quem explicandum facit observatio moris antiquorum, qui cardines liminibus, superiori et inferiori, immittere solebant. Hic adiicitur, ut videtur, marginibus propugnaculorum, et subscudibus ferreis firmatur et ad recipiendos cardines ab inferiore parte perforatur. *ΠΙΕΣ*, quod est in utroque antigrapho, esse *ἢ ἐς* statuerat Franz.

78. *ἀντιζυγώσει δυεῖν ἀντιζύγοιν* supplevi comparato v. seq. Puto confectionem forium describi, quarum scapi cardinales quibus iunguntur lignis transversis, ea sunt *ἀντίζυγα*. Vitruvius IV, 6. dicit impages. *ΑΝΤΙΝ . ΩΣΕΙ* Pitt, V. 80. 81. Verba inde a *ὕψος ποδιαίας* usque ad *παρὰ τὴν ἔπαλξιν* (v. 81.) omisit Pittacius.

81. *περιαλείψει. Ἀλείφειν* oblinere, linire de tectorio. V. v. 85.

82. *καὶ τοὺς πύργους καὶ τὴν πάροδον ῥαχώσας. ΠΡΟΧΩΣΑΣ* Pittacius, sed recte sine dubio Ross. *Ρ . ΧΩΣΑΣ*, quod quid esse possit nisi *ῥαχώσας*, non video. Inter varias v. *ῥαχὸς* significationes aptissima videtur ea, qua fasces cratesve ex virgultis factas designet. V. Herod. VII, 142. *ἡ γὰρ ἀκρόπολις τοπάλαι τῶν Ἀθηνέων ῥηχῷ ἐπέφρακτο.* Ex Hesychio et Photio atque Suida intelligitur, eos maxime *φακελοὺς* (quos nos dicimus *Faschinen*) hoc vocabulo dictos esse, qui ex asperis et hispidis virgultis facti essent. Tales fasciculi fortasse ruderationi subiecti sunt, ut calx superin-

ducta arceatur a contignatione supposita: quem in usum alias palea substerni solebat. *Coaxationibus factis si erit silex, si non, palea substernatur, uti materies ab calcis vitiis defendatur.* Vitruv. VII, 1. Vel eo consilio id fieri poterat, ne, si contignatio subiecta aresceret et panderetur, ruderatio disrumpi posset, quemadmodum parietibus cratitiis cannae affigebantur, ne in tectorio inducto rimae fierent. Mallem tamen, quod non diffiteor, *ῥαχῶσαι* intelligi posse de ruderatione vel statuminatione: sed nullam video rationem, qua id effici possit, nisi quod *ῥαχοὶ* etiam *χοιράδες* explicantur.

ὀστρακώσας. Intelligo *ὀστρακοκονίαν*, pavimentum testaceum. *Ostracus est pavimentum testaceum eo quod fractis testis calce admixto feriatur. Testam enim Graeci ὄστρακα dicunt.* Isidorus Origg. XV, 8, 11 Cf. Geopon. II, 27. Ex Vitruvii praecepto, VII, 1., supra rudus *ex testa nucleus inducitur, mixtionem habens ad tres partes unam calcis.* Haec igitur calcis et testae mixtio v. *ὀστρακῶσαι* significatur. De Tiburtino testaceo spicato noli cogitare. Notabile autem est, quod etiam hac in re titulus noster luti usum commendat, quod testaceo pavimento substratum esse videtur.

[2]) Der Verfasser hat dies, seiner Meinung nach, schon früher in einer Recension der Letronne'schen Schrift (Götting. gel. Anz. 1833. St. 36) gethan und ist hier genöthigt, sich mitunter wörtlich zu wiederholen, da eine erneuerte Lectüre der Abhandlung und Ueberlegung der Sache ihn ganz auf dieselben Punkte zurückgeführt hat.

haben. Das, was jene Griechen noch gesehen haben, wird als Bestätigung der Erzählung der Priester angeführt, und zu dem, was die Griechen als unabhängige Gewährsmänner berichten, wird offenbar ebendies, wird das Grabmal des Osymandyas gerechnet[1]). Daraus folgt indessen noch nicht, dass nun die Erzählung der Griechen, welche Diodor im Folgenden wiedergibt, durchgängig den Charakter der Autopsie und Selbstständigkeit tragen müsse. Vielmehr kann Hekatäos, dessen Kritik und Genauigkeit auch in andern Punkten nicht sehr zu rühmen ist, sich zwar im Anfange als Augenzeugen angekündigt und von dem Monumente mit Bezugnahme auf eigene Erfahrung gesprochen und alsdann doch manche ergänzende Mittheilung der Priester eingeflochten haben. Was aber die andern Zweifelsgründe anlangt, dass man nicht begreife, wie ein so riesenmässiges und so solides Gebäude ganz habe vom Erdboden verschwinden können, und wo im alten Theben der hinlängliche Platz für diese weiten Räume gewesen sei; so werden auch diese durch die Vergleichung anderer sicherer Nachrichten über die Beschaffenheit der Nekropolis von Theben zu entfernen sein. Man weiss, theils durch einige Schriftsteller aus der Ptolemäischen und römischen Zeit, besonders aber durch zahlreiche Stellen aus Urkunden und Acten, die sich in Papyrusrollen aus der Zeit der griechischen Herrschaft erhalten haben, dass der ganze westliche Theil von Theben, am linken Ufer des Nils, unter dem Namen Memnoneia oder Memnonia zusammengefasst und dem eigentlichen Theben, der Ammonsstadt oder Diospolis, entgegengesetzt wurde[2]). Dieser Theil von Theben war aber nicht viel kleiner als die eigentliche Stadt, indem er sich in der Länge von beiläufig 4000 Toisen,

[1]) Letronne (*Mémoire* p. 35) will dagegen das Zeugniss der Griechen und des Hekatäos insbesondere vorzugsweise auf den Satz des Diodor beziehen, dass zur Zeit des Ptolemäos I. schon viele der alten Gräber zerstört waren. Aber Diodor will durch dies Zeugniss die alte Herrlichkeit Thebens beweisen und kann sich also nur auf das, was jene noch sahen, nicht aber auf das, was sie nicht mehr gesehen, berufen.

[2]) S. über die topographische Bedeutung des Ausdrucks *Μεμνόνεια* oder *Μεμνόνια* Peyron, *Memorie della R. Accad. di Torino* T. XXXIII. p. 37—41 und die angeführte Recension in den Götting. gel. Anz. 1833. S. 353.

längs des Nils, und in der Breite von etwa 2000 Toisen im Durchschnitte, vom Nil gegen die libysche Bergkette hin, erstreckte. Dieser grosse Raum war nun fast ganz dem Todtendienste — diesem wichtigsten Geschäfte der ägyptischen Nation gewidmet. Was von Gebäuden in dieser Gegend entweder von den Alten erwähnt wird, oder noch in Ruinen vorhanden ist, gehört, mit Ausnahme des grossen Hippodrom von Theben, in die Klasse von Gräberanlagen oder Grabpalästen nach Art des Diodorischen Osymandyeions. Nicht blos die Könige, sondern auch die übrigen Einwohner Thebens hatten hier ihre Begräbnissorte und ein geschäftiges, in verschiedene Klassen und Unterabtheilungen gesondertes Volk von Leichenbesorgern wohnte daselbst unter den Todten, deren Unvergänglichkeit ihre Sorge war. Der grossen Mausoleen, welche sich hoch über die oft sehr eng und beschränkt angelegten Gräber der Privaten erhoben, zählten die Griechen — dies ist nach Diodor's Worten als sicheres Factum anzuerkennen — noch 17, während in Diodor's Zeit nicht mehr die Hälfte davon vorhanden war[1]). Fragt man, wie es möglich gewesen, dass so viele dieser höchst soliden Bauwerke noch in dieser Zeit verschwinden konnten, so wird man erstens die stürmischen Ereignisse, wie die Rebellion der Thebäer unter Ptolemäus Epiphanes, in Rechnung bringen, wobei manches Bauwerk absichtlich zerstört worden sein kann[2]). Ausserdem ist es wahrscheinlich, dass bei der immer steigenden Verödung der Thebais viele Geschlechter, welche den Dienst in diesen Mausoleen hatten und für ihre Unterhaltung sorgen mussten, ausstarben, und dass solche verlassene Bauwerke für neue Bauten in Anspruch genommen und das Material den Nil herab nach Alexandrien geführt wurde. So mögen auch schon früher — abgesehen von den Verwüstungen der Hyksos und später der Perser — durch

[1]) Dass hier überall nur von den Grabpalästen über der Ebene, nicht von den in den Felsen gehauenen, von dem Thale Liban el Maluk aus zugänglichen Königsgräbern die Rede ist, braucht nur mit einem Wort bemerkt zu werden. Von diesen kannte man zu Strabon's Zeit noch gegen 40; von jenen drei Jahrhunderte früher nur noch 17.

[2]) Die erwähnte Rebellion kommt in der Prozessacte des Hermias und der Cholchyten vor, die Peyron, *Memorie della Accad. di Torino* T. XXXI. herausgegeben. S. p. 42.

innere Kriege und einen in Aegypten tiefgewurzelten Sectenhass, der sich auch auf den Todtencultus der Könige erstrecken konnte [1]), Königsgräber absichtlich vernichtet worden sein, und die thebanischen Priester mögen nicht Unrecht gethan haben, die ursprüngliche Zahl dieser Mausoleen noch höher zu setzen, wiewohl es schwer wird, ihrer Angabe von 47 solchen Monumenten Glauben zu schenken. Jetzt sind nur drei Denkmäler, welche man zu dieser Classe rechnen kann, in bedeutenden Ruinen vorhanden. Erstens das Osymandyeion der Description, welches man jetzt Ramesseion zu nennen angefangen hat, weil Champollion bei den grossen Kriegsthaten und Triumphen, die darin in Relief dargestellt sind und vielfach an die von Diodor beschriebenen erinnern, aber doch auch sehr bedeutende Punkte der Verschiedenheit zeigen, den Namen des grossen Ramses (Sesostris) gefunden hat; welchen Namen (Amn · Mai Ramses) man auch auf der schönen Kolossalbüste liest, welche sich in dem zweiten Hofe der Ruine befand und durch Belzoni in das britische Museum gekommen ist [2]). Nördlich davon, bei dem Dorfe Kurnah, liegt ein Grabpalast, welchen Champollion früher einem Pharao Mandu, später in Briefen aus Aegypten einem Menephtha zueignete [3]); südlich bei Medinet-Abu ein anderer, der dem Rameseion in seiner Anlage sehr ähnlich ist, und in dem man den Namen Ramses II., eines Vorgängers von Amn-Mai Ramses gelesen hat.

Unter diesen Gebäuden, von denen noch bedeutende

---

[1]) Ein merkwürdiges Factum, welches Champollion d. J. (*Lettres à M. le Duc de Blacas d'Aulps.* II, 25) ans Licht gezogen, ist, dass die hieroglyphische Bezeichnung des Gottes Mandu — eines ägyptischen Sonnengottes, in dem Königsnamen Manduei sowohl an einer Kolossalstatue zu Turin als auch an dem Obelisk an der *Porta del Populo* zu Rom an vielen Stellen mit Gewalt und Absicht zerstört ist. Dies deutet auf Verfolgung einer Manduitischen Secte hin.

[2]) Die Identität dieser Büste mit dem Kopfe des sogenannten Osymandyas in der *Description de l'Egypte, Antiquités* T. II. pl. 32 erhellt besonders aus den Mittheilungen von Nöhden, Amalthea. 2. Band. S. 127. Heeren nimmt darnach (a. a. O. S. 242) an, dass Osymandyas einer der Beinamen des grossen Ramesses gewesen.

[3]) S. Letronne, *Additions* p. 72.

Trümmer vorhanden sind, befindet sich gerade das nicht, welches nach den Nachrichten der Alten das Bedeutendste und Berühmteste von allen gewesen sein muss. Es war diess das Memnoneion *κατ' ἐξοχήν*, zu dem nach Strabon (XVII. p. 816), die beiden Kolosse, der ganz erhaltene und der halb abgebrochene, gehörten, welche noch jetzt existiren, und von denen der Letztere bei den Griechen und Römern den Namen Memnon führte. Von dem wohlbekannten Platze dieser Kolosse muss sich das Memnoneion weithin gegen die libysche Sandwüste und Bergkette erstreckt haben, da nach Strabon die in den Fels gehauenen Königsgräber, die an ein enges Nebenthal in dieser Bergkette anstossen, oberhalb des Memnoneions (*ὑπὲρ τοῦ Μεμνονείου*) lagen. Der ägyptische Name dieses Memnoneions bezeichnete ohne Zweifel das Mausoleum des Amenophis, da es jetzt keinem Zweifel mehr unterliegt, dass die berühmte Statue des Memnon den König der 18. Dynastie, Amenophis II. darstellte. In Papyrusschriften zu Turin kommen die dem Todtendienste dieses Herrschers geweihten Pastophoren öfter vor[1]), und man muss annehmen, dass dieser Todtenpalast noch in spätern Zeiten vor allen in Ehren gehalten wurde. Wenn ihn Plinius ein Serapeum nennt, indem die sogenannte Memnonstatue nach ihm sich in einem Heiligthume des Serapis zu Theben befand (H. N. XXXVI, 11): so erklärt sich das dadurch, dass die Verehrung des Osiris als Serapis, d. h. als Richter und Herrscher der Unterwelt, einen wesentlichen Theil von dem Todtendienste der Könige bildete. Die wunderbare Grösse und Herrlichkeit dieses Gebäudes preist noch Philostratos[2]) oder vielmehr der Damis von Ninive, nach dessen Schrift jener Rhetor das Leben des Apollonius von Tyana beschrieben, und vergleicht es, wahrscheinlich wegen der Ausdehnung der Peristyle, mit einer alterthümlichen Agora, indem die Märkte ebenfalls mit Säulenhallen eingeschlossen zu werden pflegten.

---

[1]) Peyron, *Memorie della R. Accad. di Torino*. T. XXXIII. p. 34 sq.

[2]) *Apollonii Tyan.* VI, 4. p. 773. ed Olear. Das Gebäude heisst dort *τέμενος τοῦ Μέμνονος*. Die Hermen, welche Apollonios darin findet, sind wahrscheinlich nichts Anderes, als die Statuen an den Pfeilern, die man mit griechischen Hermen wohl vergleichen konnte.

Jetzt sind hier nichts als weit umhergestreute Bruchstücke von kolossalen Statuen erhalten, die Reste der Architektur aber warten auf Aufgrabung des durch den Sand der Wüste so sehr erhöhten Bodens.

Nimmt man zusammen, dass bei Diodor oder Hekatäos das Osymandyeion offenbar als das herrlichste Monument der Nekropolis hervorgehoben werden soll, und das Memnoneion oder Amenophion schon durch jenen Namen an die Spitze aller Memnonien oder Mausoleen gestellt ist, dass ferner Diodor von dem Memnoneion kein Wort sagt, und alle andern Schriftsteller dagegen von einem Osymandyeion in Theben nichts zu wissen scheinen, endlich, dass nach Strabon der Name Ismandes dem Memnon in Bezug auf gewisse kolossale Bauwerke beigelegt wurde: so wird man gestehen müssen, dass wenigstens eine viel grössere Wahrscheinlichkeit für die Einheit als für die Verschiedenheit dieser Gebäude stattfindet. Und wenn die obige historische Erörterung darauf hindrängte, zu der rein appellativischen Bezeichnung eines Königs durch die Benennung Osymandyas den wirklichen geschichtlichen Eigennamen zu suchen; so ist wenigstens für den Osymandyas von Theben ein solcher mit grosser Wahrscheinlichkeit in Amenophis II. gefunden.

Sollte nun noch die Pracht des Diodorischen Osymandyeions ein Grund sein, an dessen Existenz zu zweifeln? Wir geben zu, dass ein solches Ganzes, wie es der griechische Historiker beschreibt, in Aegypten nicht mehr existirt; aber einzelne Theile sind doch auch in den erhaltenen Palästen von Karnak und Luxor von nicht geringerer Kolossalität. Auch ist bei den Massen, welche Diodor angibt, nicht zu vergessen, dass sie in runden Zahlen gegeben sind, also wohl auf ungefährer Schätzung beruhen, und Nichts uns hindert, wo zwei Plethra angegeben werden, etwas mehr als anderthalb anzunehmen, wodurch der Flächeninhalt des Ganzen sehr zusammenschwindet. Und gestehen wir zum Schlusse, dass das Wunderbarste der Anlagen und zugleich das, womit man die Vorstellung völliger Zerstörung am Schwersten vereinigen kann, die beiden grossen Pylonen aus Granit (*λίϑου ποικίλου*) sind, da alle übrigen erhaltenen Pylonen in Aegypten nur aus Sandstein bestehen; so können wir auch diesen Einwand durch die sehr natürliche Voraussetzung entfernen,

dass diese Pylonen, wie die Pyramiden, nur mit Granitplatten bekleidet, sonst aber aus Kalkstein erbaut waren; und es würde dann umgekehrt das innere Material dieser Pylonen und vielleicht auch anderer Theile die Zerstörung am Besten erklären, da schon von Andern bemerkt worden ist, wieviel die ungeheure Consumtion des Kalkes für immer neue Gebäude zur Vernichtung der alten Monumente Aegyptens beigetragen habe.

KUNSTARCHAEOLOGISCHE WERKE

VON

KARL OTFRIED MÜLLER.

FÜNFTER BAND.

1837—1840.

BERLIN,

VERLAG VON S. CALVARY & Co.

1873

Vorwort.

Die Sammlung der kunstarchaeologischen Schriften K. O. Müller's hat den Zweck, als Vorarbeit zu einer neuen Ausgabe des classischen Handbuchs der Kunst-Archaeologie desselben Verfassers zu dienen; die Wechselbeziehungen des Buches mit den übrigen, zerstreuten Schriften des Autors sind längst anerkannt. In diesem Sinne hatte bereits Eduard Müller in den Jahren 1847 und 1848 eine Sammlung der kleinen deutschen Schriften in zwei Bänden herausgegeben, denen eine Nachlese und die lateinischen Schriften folgen sollten. Diese verdienstvolle Arbeit, welche namentlich auch die in der vorliegenden Ausgabe ausgeschlossenen Recensionen umfasst, blieb leider unvollendet.

Die vorliegende Sammlung enthält die Arbeiten Müller's auf dem Gebiete der Kunst-Archaeologie, soweit sie in einzelnen Arbeiten, in Zeitschriften und in seinen übrigen grösseren Werken veröffentlicht sind; aus dem handschriftlichen Nachlasse konnte durch gütige Mittheilung des Professors Eduard Müller die Studie über das Forum von Athen ergänzt werden.

Die Anordnung ist chronologisch, die Eintheilung die folgende:

Erster Band (1817—1823).

De arte Aeginetica. 1817. (Müller, Aegineticorum liber Berolini 1817. p. 96—112.)

Ueber den angeblich aegyptischen Ursprung der griechischen Kunst. 1820. (Kunstblatt, Beiblatt zum Morgenblatt 1820 Nr. 78, 79.)

Ueber den Apollon des Kanachos. 1820. (Kunstblatt 1821 Nr. 16.)

De tripode Delphico. 1820. (Habilitations-Schrift bei Antritt der ausserordentlichen Professur in Göttingen, Januar 1820. 22 S.)

Ueber die Tripoden. Erste Abhandlung. 1820. (Amalthea, herausgegeben von C. A. Böttiger. Bd. I. Leipzig 1820 S. 119—135.)

Dasselbe. Zweite Abhandlung. 1825. (Daselbst. Bd. III. S. 19—34.)

Minervae Poliadis sacra et aedes in arce Athenarum. 1820. (Göttingen 1820. 56 S. 4.)

Die Kunst der Minyer. 1820. (Geschichten hellenischer Stämme und Städte. Zweite, nach den Papieren des Verfassers berichtigte und vermehrte Ausgabe von F. W. Schneidewin. Erster Band. Orchomenos und die Minyer. 1844. S. 234—240.)

Die Kunst der Dorier. 1823. (Ebendaselbst. Zweiter und dritter Band. Die Dorier. Erster Band S. 362—367. Zweiter Band S. 249—255, 310—337, 370—374.)

Zweiter Band. (1824—1827.)

De Phidiae vita et operibus. Commentatio prima. 1824. (Commentationes societatis regiae scientiarum Gottingensis recentiores vol. VI. p. 121—163; daraus als Einzeldruck. Göttingen 1827. S. 1—45.)

Dasselbe. Commentatio altera 1825. (Ebendaselbst p. 164—190; im Einzeldruck S. 46—72.)

Einige unedirte oder wenig bekannte Monumente des älteren oder des hieratischen Stils. 1825. (Amalthea. Bd. III. S. 35—52.)

Nachrichten über einige Antiken-Sammlungen in England. 1825. (Daselbst. S. 241—259.)

Die Geschichte der griechischen Kunst und ihre neuesten Darsteller. Recension der griechischen Kunstgeschichte von H. Meyer und von F. Thiersch. 1826, 1827. (Jahrbücher der Literatur, herausgegeben von M. v. Collin. Wien 1826, 1827 Bd. 36. S. 170—191. Bd. 38. S. 258—290. Bd. 39. S. 129—157.)

De signis olim in postico Parthenonis positis. 1827. (Commentationes academiae Scientiarum Gottingensis. Bd. VI. S. 191—212 oder im Einzeldruck, de Phidiae vita et operibus S. 73—87.)

Ueber die Hermaphroditen - Symplegmen in der Dresdner Antiken-Gallerie. 1827. (Archaeologie und Kunst, herausgegeben von C. A. Böttiger. Erster Band, erstes Stück. Breslau 1828 S. 168—170.)

Dritter Band. (1829—32.)

De opere sculpto in Zophoro cellae Parthenonis. 1829. (Annali dell' Instituto di Corrispondenza archeologica per l' anno 1829. Roma 1829 S. 221—226.

Sandon und Sardanapal. 1829. (Rheinisches Museum für Philologie, Geschichte und griechische Philosophie, herausgegeben von B. G. Niebuhr u. Ch. A. Brandis. Bd. 5. Bonn 1829 S. 22—39.)

Myrinae Amazonis quod in Museo Vaticano servatur signum Phidiacum. 1830. (Commentationes academiae Gottingensis Bd. VII. S. 59—76 oder als Einzeldruck. Göttingen 1830. 20 S.)

De numo Sardiano. 1830. (Annali dell' Instituto de Corrispondenza archeologica, volume II. 1830 S. 157—158.)

De Zophoro Parthenonis mantissa. 1830. (Ebendas. S. 326—328.)

De numis Sicyoniorum. 1830. (Ebendaselbst S. 336—337.)

De origine pictorum vasorum, quae in Etruriae agris effossa sunt. 1831. (Commentationes academiae Gottingensis. Bd. VIII. S. 72—118 oder als Einzeldruck. Göttingen 1831, 52 S.)

Ueber die erhobenen Bildwerke in den Metopen des Parthenons. 1831. (Stuart und Revett, die Alterthümer von Athen beschrieben. Aus dem Englischen übersetzt nach der Londoner Ausgabe vom Jahre 1762 und 1782 und bereichert mit einigen eigenen und allen Zusätzen der neuen Ausgabe vom Jahre 1825. 3 Bde. Leipzig und Darmstadt 1828—1833. 2. Bd. S. 658—696.)

Die Kunst der Etrusker. 1828—1831. (Die Etrusker. Vier Bücher. Breslau 1828 S. 194—263 und Ersch und Gruber Allgemeine Encyklopädie. 2. Section, Bd. 7 S. 276—283.)

Ueber die Zeit der Erbauung des Apollon-Tempels zu Bassae bei Phigalia. 1832. (Allgemeine Schulzeitung, herausgegeben von E. Dilthey, E. und L. Ch. Zimmermann. Jahrgang 9 1832. 2. Abth. Nr. 39.)

Vierter Band. (1833—1836.)

Die erhobenen Arbeiten am Friese des Pronaos vom Theseustempel zu Athen. 1833. (Hyperboraeisch-römische Studien für Archaeologie, herausgegeben von E. Gerhard. Erster Theil. Berlin 1833 S. 276—296.)

Der Satyr, welcher das Satyrion hält, auf Tarentiner Münzen. 1833. (Annali dell' Instituto di Corrispondenza archeologica, volume quinto 1833 S. 166—169.)

Archaeologische Vindication des Hesiodischen Herakles-Schildes. 1834. (Zeitschrift für Althumswissenschaft, herausgegeben von E. und L. Ch. Zimmermann. Jahrgang 1834. Nr. 110—112.)

Die Alexander-Schlacht. 1834. (Göttingische gelehrte Anzeigen 1834. 118—121 Stück.)

Thymele. 1834. (Aeschylos, Eumeniden, griechisch und deutsch mit erläuternden Abhandlungen. Anhang. Göttingen 1834. S. 35—40.)

Ueber Dipōnos und Skyllis nach Armenischen Quellen. 1835. (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft. 2. Jahrg 1834. Nr. 110.)

Arkadische Münzen. 1835. (Annali dell' Instituto di Corrispondenza archeologica, volume settimo 1835. S. 167—172.)

Polymestor nnd Hecuba. 1835. (Ebendaselbst. S. 222—228.)

Münzen von Selinunt. 1835. (Ebendaselbst. S. 265—269.)

De munimentis Athenarum. Commentatio prior. (Commentationes academicae Gottingensis. Vol. VIII. S. 1—26; auch als Einzeldruck. Göttingen 1835.)

Dasselbe. Commentatio altera. 1836. (Daselbst. S. 27—75.)

Osymandyas und sein Grabpalast. 1836. (Allgemeine Encyklopädie, herausgegeben von Ersch und Gruber. 3. Section. Bd. 7. 1836. S. 254—262.

Fünfter Band. (1837—1840.)

Antiquitates Antiochenae; commentatio prima 1838. (Commentationes academiae Gottingensis. Vol. VIII. S. 205—278; auch als Einzeldruck. Göttingen 1839 S. 1—74.)

Dasselbe. Commentatio altera 1839. (Ebendaselbest. S. 279—334; Einzeldruck S. 75—134.)

De foro Athenarum. Pars prima 1839. (Index scholarum in Academia Georgia Augusta per semestre hibernum anni 1839—1840. S. 3—8.)

Dasselbe. Pars altera 1840. (Ebendaselbst per semestre aestivum anni 1840. S. 3—7.)

Dasselbe. Pars tertia 1840. (Ebendaselbst per semestre hibernum anni 1840—1841, nach dem Tode von F. W. Schneidewin veröffentlicht. S. 2—9.)

Dasselbe. Pars quarta 1840. (Aus der von Herrn Professor Ed. Müller gütigst mitgetheilten nachgelassenen Handschrift.)

Inhalt des fünften Bandes.

De antiquitatibus Antiochenis.

Commentatio prior

qua Antiochiae ad Orontem sub Graecis regibus quae fuerit figura et quae praecipua ornamenta describitur.

1 8 3 8.

1. Quicunque artium, imprimis architecturae et plastices, apud antiquos populos progressum et mutationes tanquam continuum unius vitae decursum mente comprehendere, et unicuique eius spatio suam dignitatem vindicare studet: is non poterit quin vehementer aegre ferat, quod tam tenuis eorum temporum memoria superest, quae post Alexandrum et primos eius successores usque ad aetatem summae Romanorum potentiae pertingunt. Nam quem cursum in liberis Graeciae florentis civitatibus artes tenuerint, vel monimentis in ipsis locis, unde artes natae sunt, durantibus, vel scriptorum diserto testimonio mediocriter edocti sumus; atque Romana magnificentia et in urbe et in orbe terrarum oculos nostros ferit: sed Macedonum splendoris nulla fere solo, quo regnavere, impressa vestigia, et in scriptoribus non quantam optaveris superest mentio: quanquam nullo fortasse tempore ex memoria hominum maior erat in luxu elegantia et in fastu decor, Romanisque fortasse ob eam solam caussam quaedam inventa tribuimus, quod Macedonum aetatis, quae illi imitati sunt, magnifica opera e terris evanuerunt. His de caussis quoniam omnia tentanda sunt, ut vacuam hanc historiae partem expleamus: iuvabit fortasse imaginem regalis Macedonum in Syria urbis, *τῆς καλῆς Ἀντιοχείας* [1]), tertiae postea in Ro-

---

1) *Ἀντ. ἡ καλή*, Athenaeus I. p. 20 b. *Ἀντ. εὐφυεστάτη πόλις*, Lucianus de salt. 76. *ἡ καλὴ καὶ μεγάλη*, Libanius

manorum οἰκουμένῃ urbis [1]), quantum fieri potest restituere et ante oculos collocare. Et profecto praeter Athenas et Romam et Byzantium vix ulla antiquitatis civitas est, cuius de situ, descriptione, publicis privatisque aedificiis plura memorata extent: quae quanquam maximam partem ad Romana tempora pertinent, et haec tamen faciunt ad antiquiora tempora et Seleucidarum monimenta illustranda. Nam id quidem cum aliis argumentis constare tum hac ipsa disputatione effectum iri spero, a Seleucidarum aevo et Graecorum ingeniis, tanquam primario fonte, repetendum esse quicquid monimentorum arte insignius et insolita quadam forma conspicuum Syriae vicinaeque Asiae solum protulit, atque illam delubrorum et totorum oppidorum magnificentiam, quae Romanis imperantibus et maxime Antoninorum felicissimo saeculo per has terras effloruit, non tum primum recens sparsam esse sed ex radicibus antiquae stirpis, invitante temporum clementia, repullulasse.

2. Ut primum locorum situm dispiciamus, qua in re utimur antiquorum auctoritate, cruciatarum expeditionum scri-

---

pro rhetor. p. 206 R. *Orientis pulcrum apicem* dicit Ammian. Marcell. XXII, 9, 14.

1) Tertiam οἰκουμένης urbem et magnitudine et ceteris opibus dicit Iosephus Bell. Iud. III, 2, 4. Nam prima Roma, secunda est Alexandria. Tertiam urbem, post Byzantium et Romam puto, et pulcritudine aedificiorum et incolarum multitudine dicit (de anno Chr. 968 scribens) Leo Diac. Hist. IV, 11. Ausonius Clar. Urb. II. incertus haeret, Antiochiaene an Alexandriae, aemulis urbibus, tertius locus concedendus sit. Item Libanius ad Theodosium ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς p. 673. ed. Reiske duas urbes maiores esse confitetur, Romam et Byzantium puta, tres alias pares, Alexandriam, Carthaginem, Mediolanum, ut videtur. Hegesippus Bell. Iud. IV, 5. Antiochiam tertiam in orbe urbem habet, antequam Constantinopolis imperii sedes fieret. Tertiam Orientis qui dicit, Strabo XVI. p. 750., eam Alexandria et Seleucia ad Tigrim paulo minorem existimat. Sed Orientis metropolin dicit Zosimus I, 27. p. 27. ed. Bonn. Orientis caput Io. Chrysost. ad Antioch. Homil. II, 2. T. II. p. 23. ed Montef. et disertissime Procop. de B. Pers. I, 17. p. 87. ed. Bonn. *πλούτῳ τε καὶ μεγέθει καὶ πολυανθρωπίᾳ πόλεων πρώτην ἁπασῶν τῶν ἐν τοῖς ἑῴοις Ῥωμαίων οὖσαν.* Cf. II, 9. p. 189. histor. arc. 18. p. 111.

ptoribus, geographis orientalibus [1]), denique recentioris aetatis peregrinatoribus [2]); Antiochia urbs, quae nunc *Antakié* dicitur, sita est ad Orontem fluvium, Syriae maximum, qui ex convallibus inter Libanum et Antilibanum montem, quae

1) Primum locum obtinet *Ibn-Haukal* (circa a. Chr. 920. secundum Sacy, 970. Uylenbroek), quem in multis sequitur *Abulfeda*, Tabul. Syriae p. 115. ed. Koehler. Diversus ab illo is Ibn-Haukal, quem edidit Guilelmus Ousely, qui perpauca de Antiochia habet p. 44. *Hadschi-Chalifa* libro geographico, qui Mohammede IV. regnante scriptus dicitur, *Gihán-Numá* (Speculum mundi) T. II. p 261. ed. Norberg. His libris multi ex peregrinatoribus studiose usi sunt.

2) Adhibui hos: Cotovico Itinerarium Hierosolymitanum et Syriacum, Antverp. 1619. 9. 497 sqq. Dapper *Naukeurige Beschrywing van gantsche Syrie* 1677. *(Genaue u. gründliche Beschreibung des ganzen Syrien* 1681.*)* Troilo *Oriental. Reisebeschreibung.* (Lips. 1717.) p. 623. De la Roque *Voyage de Syrie* (1723.) T. I. p. 199 sqq. (qui quidem multa narrat aliis non comperta). Pococke *Description of the East* (1745.) V. II. P. I. p. 186. *Travels in Africa* p. 390. De la Vallé *Voyage* (1745.) T. VIII. p. 128 sq. Otter *Voyage en Turquie* (1748.) Tom. I. p. 79 sqq. (hic totus pendet a libro Hadschi-Chalifae). Alex. Drummond *Travels, Lett.* XI p. 221. Ch. Parry *View of the Levant*, p. 142. Volney *Voyage en Syrie et en Egypte* (ed. 3. an. VII.) T. II. p. 53. (cui libro pauca accepta referuntur). Corancez *Itineraire d'une partie peu connue de l'Asie mineure* (1816.) c. 7. p. 116. Kinneir *Journey through Asia minor* etc. (1818.) p. 145 sq. Buckingham *Travels among the Arabian tribes* (1825.) p. 554 sq. O. F. v. Richter *Wallfahrten im Morgenlande* p. 281, Poujoulat in libro utilissimo *Correspondance d'Orient par M. Michaud et M. Poujoulat* T. VII. p. 104 sqq. Nuper demum prodiit praestantissimi viri, Carsteni Niebuhrii, Itinerarii orientalis T. III., ubi p. 15. de Antiochia paucis, sed perspicue et accurate agit. Pictoris Francogallici Cassas magnificum opus, quod ad finem perductum non esse dolemus: *Voyage pittoresque de la Syrie, de la Phoenicie, de la Palaestine et de la basse Aegypte, à Paris an VII.* tum imaginem universae Urbis qualis nunc est praebet (V. I. tb. 3.), tum monimenta quaedam tabulis descripta. Tabula geographica Syriae quam edidit de l'Isle Antiochiae situm perperam designat: rectiora dant tabulae descriptae a geographis Francogallicis d'Anville, de Paultre, Lapie, etiam Arrowsmithiana, et quae magnis quidem vitiis scatet, sed etiam multam affert utilitatem, ea quae inscripta est: *Carte d'une portion du Scham, du*

Cava Syriae proprie dicebantur [1]), descendit, et postquam per maximam partem cursum a meridie ad Aquilonem versus tenuit, repercussus quodammodo objacentibus iugis, quae ab arduis Amani montis verticibus descendunt, subito flexu ad Africum se convertit. Propter haec et cursum vicinis fluminibus contrarium ab orientalibus gentibus fluvius inversus et refractarius dicitur [2]). Hac in versura Orontes fluvium recepit ex lacu Antiocheno, qui ambitu triginta sex millium passuum se extendens [3]) innumeris rivis et tribus maxime flu-

---

Djeziré et de l'Iraq-Arabi, dressée de 1811 *à* 1818 *par* J. B. L. J. Rousseau, *Consul général de France à Baghdad,* quam in publicum edidit Societas Geographica, cum correctiore litorum descriptione, cuius maximam partem auctor est de Gauttier, et commentatione Geographi Barbié du Bocage, *Recueil de Voyages et de Mémoires* T. II. p. 194. Conferendae etiam eae, quae operibus Volneyi, Felicis de Beaujour, Burckhardi *(Travels in Syria),* Buckinghamii annexae sunt. Iac. Rennelius in opere postumo: *A Treatise on the comparative Geography of Western Asia,* cp. 1., Antiochiae viciniam primis tantum lineis adumbrat; nec inutile tamen fuit, tabulas ei operi adiectas, X. XI. sqq., comparare. Diligentissime nuper universae Syriae geographiam tractavit et eximia tabula illustravit Berghaus Asiae fasc. III. Ipsam Urbem paucis lineis adumbratam praestat de la Vallé, ad p. 132. Pococke, ad p. 189. Niebuhr. T. III. tb. 2. Urbis situm et moenia, qualia Cruciatorum aetate fuerint, descripsit Michaud *„Histoire des croisades"* (1812.), *Plan d'Antioche (échelle d'un cent millième)* cum explicatione T. I. p. 567. Auctoribus utitur Paultrio, Pocockio, Alexandro Drummond. Hanc tabulam in suum de Hohenstaufia gente opus transtulit Frid. de Raumer: eadem paucis additis operi: *Correspond. d'Orient,* adiecta est.

1) Sic dixi, quia inferioribus temporibus, post Antoninos, omnis septentrioni propior Syria, cuius caput Antiochia, Coele dicebatur. V. Papinianus in Digestis XLII, 5 (de rebus auct. iud.), 37. Eunapius V. Sophist. in Libanio p. 130. Norisii Ann. Syromacedonum diss. III. c. 1. p. 148. Antiquiores Seleucidem, in qua Antiochia est, distinguunt a Coele.

2) *El Aassy, le rebelle*; *el Macloub, le renversé* Alii nunc *Farfar* dici Orontem memorant: ita certe appellarunt eum Cruciati milites. V. ne ad antiquiores recurram, Ritteri egregius liber: *Erdkunde* T. II. p. 448. (1818.)

3) Kinneir p. 153. lacui XXXVI mill. Angl. ambitum tribuit. Corancez IV. leucas longum, II vel III latum dicit,

minibus alitur [1]), unoque meatu, qui ab antiquis Arceuthos sive Iaphthas, nunc *el Aswad* dicitur, in Orontem effunditur [2]): qui locus a moenibus Antiochiae uno milliari distare traditur [3]). Lacus autem, quem antiqui Antiocheni τὴν λίμνην κατ' ἐξοχὴν appellabant, recentiores album lacum dicunt [4]), variam urbi commoditatem afferebat, quippe qui ligna et victum ex agris et silvis vicinis per Arceuthum et Orontem in urbem mittebat et piscium ingenti copia plebem urbanam

---

p. 113. Jakut, Geographus Arabicus, apud Koehlerum ad Abulfedam p. 162., X mill. longum, VII. latum scribit. Huius lacus inter antiquos pauci meminerunt; sed fuisse tamen eum cum Antigonia conderetur, intelligitur ex iis, quae §. 8. afferam. Incredibilis igitur est opinio Rennellii *Illustrations of the history of the exped. of Cyrus ch.* 4. p. 65., et Ritteri nostri p. 456., post Strabonis et Ptolemaei tempora eum lacum terrae motibus et exundante Oronte ortum esse.

1) Tres fluvii memorantur ab Abulfeda p. 117. 152. (quem secuntur Hadschi-Chalifa p. 261. Otter. p. 87. alii): *Bagra* (qui aliis est *Iaghra*), *Aswad* et *Ifrin* (aliis Afrin). Hunc ab oriente, alterum ab occidente, primum a septentrione defluere scribit Dapperus p. 124. Qui dicitur *Aswad*, maximus eorum esse videtur, hinc eodem nomine fluvius dicitur, quo lacus in Orontem effunditur.

2) Utrumque nomen praebet Malalas Chron. VIII. p. 199. ed. Bonn. (p. 84. Ven. p. 254. Oxon.), nisi quod pro Arceutho Archeutham dicit. Sed nomen Ἄρκευθος habet Strabo XVI. p. 751. Fluvii, quos Strabo l. l. cum Arceutho coniungit, Labotas et Oenoparas, in tabula cum hac commentatione iuncta ex incerta coniectura designati sunt. Alterum illum rivum, quo lacus Antiochenus cum Oronte et palude interiecta iungitur, unius I. B. Rousseau tabula indicavit.

3) Id magno consensu testantur Willermus Tyrius Hist. rerum in partibus transmarinis gestarum (v. Bongarsii Gesta Dei per Francos T. II.) IV, 10. Hadschi-Chalifa p. 262. Otterus p. 88. Lacus ipse ab Antiochia distare dicitur III mille passuum, Jakut ap. Koehlerum p. 162. Haec si vera sunt, non recte inter lacum et Orontem I milliare spatii interesse dicit Willermus VI, 3. Atque in tabulis geographicis spatium multo minus designatur.

4) *Lac blanc*, *Aggi deguiz*, Abulfeda p. 160. *Bahr-el-Abbiad* (mer blanche), Poujoulat, *Correspondance d'Orient* T. VII. p. 113. *Il Bohairé*, Rousseau, qui in eo lacu insulam antiquitatis rudera continere significat.

pascebat, quando lautioribus quidem marini pisces destinabantur [1]). Hoc igitur flumine recepto Orontes alveo plus quam centum pedes lato [2]) planitiem secat fertilem et amoenam, quae *τὸ τῶν Ἀντιοχέων πεδίον* dicitur. Pertenditur ea septentrionem versus ad iuga usque ab Amano monte proiecta [3]), Coryphaeum montem, qui Antiochensium et Seleucenorum agris imminens in Cyprium mare longe excurrit [4]), et iuncta huic cacumina, quae e regione Antiochiae attolluntur, ab antiquis Melantius mons [5]), a Phoca monacho Maurus mons [6]), a scriptoribus cruciatarum expeditionum,

---

1) Haec sumpta ex Libanii Antiochio p. 360. 361. Reiske.

2) Niebuhrius T. III. p. 16. Orontem, qua Antiochiae muros tangit, CXXV pedes latum esse affirmat.

3) Strabo XVI. p. 751. In proiectione Amani montis Pagrae castellum situm erat, supra campum Antiochenum. Fertilitatem huius campi Dionys. Per. 921. et ex recentioribus multi praedicant.

4) Polybius V, 59.

5) *Γαῖαν σειομένην, αὐλῶνος Σιλπῆς τε ὄρους Μελάντιον τοὔνομα ἔχον ὄρος*, Oraculum ap. Malal. p. 136. B. p. 57. b. Ven. Idem p. 142. (59) Melantium etiam Amanum dictum esse tradit. Proximum ad hunc montem fuisse puto Melanem fluvium, memoratum a Nicephoro Antiocheno, Vita Simeon. iun., Act. Sanct. Maii m. T. V. p. 334. 380.: ex quibus locis intelligitur eum medium fuisse inter Amanum et Urbem et montem Mirabilem. Aut multum fallor: aut hic fluvius etiam nunc dicitur a Turcis niger fluvius. Nam peregrinator Franco-Gallus, Poujoulat *Correspondance d'Orient* T. VII. p. 199., ubi omnes fluvios et rivulos enumerat, qui inter Antiochiam et Suetium e montibus septentrionem versus sitis in Orontem decurrunt, sextum describit his verbis: *la sixième est appelée par les Arabes Nahr-Sguir (la petite rivière) et par les Turcs, Hara-Chai (la rivière noire); les pierres et les cailloux du Hara-Chai sont d'un bleu foncé et donnent à ces eaux une teinte noire.* Videntur hi calculi a Melantio monte torrentis vi delati esse. Malalas p. 141 (59) duos Melantos fluvios a Melantio monte decurrere narrat.

6) V. Phocas de locis Antiochiam inter et Hierosolymam, in Leonis Allatii Symmictis, unde hic liber translatus est in Byzantios historicos Venetiae editos, post Genesium et Malalam, p. 2. Bollandi Acta Sanctor. Maii m. T. V. p. 230 sq.

vocabulo in Latinam linguam converso, dicta *Montana nigra* [1]). Macedones domesticorum locorum situm cupide ubique agnoscentes hanc regionem saltuosam, quae a Seleucia inde ad Issicas Syriae pylas usque pertinet, Pieriam dixerunt Tempe, puto, cum pylis hisce, sinum Issicum cum Thermaico, Amanica juga comparantes cum Olympo patrio [2]).

3. Sed ex altera parte, versus notum, vallis Orontis arctius circumscribitur collibus et saxis proiectis a monte Casio (Orontem pro Casio dicunt cruciatarum expeditionum narratores) [3]), qui praeter Orontis fluvii sinistram ripam a mari inde, ubi in arduo cacumine *(Dschebel-Okrab)* [4]) Iovis Casii delubrum situm erat, usque ad versuram illam Orontis protenditur [5]), eamque regionem Casiotidis nomine signat [6]). Hic mons cum aliis locis in praecipites vertices attollitur,

---

1) Willermus IV, 10 Mar. Sanuti libro secret. fidel. Crucis (apud Bongarsium T. II.) III, 5, 4. *Cara-Aman* dicitur idem mons apud Dapperum p. 125. *Djebet-Mouça* Rousseau. V. etiam Poujoulat p. 200.

2) Sic Macedones Arbelitidem ad Tigrin Mygdoniam cognominaverunt *a similitudine* (Plin. N. H. VI, 13. 16.); et Apamea Syriae Pella dicta est non propter eas solas caussas, quas Strabo XVI. p. 752. affert, sed quod magnus lacus aderat lateque diffusae paludes eam circumfluebant, plane ut Pellam Macedonicam (quapropter etiam fluvius has paludes permeans Axius dictus, a Macedonico, v. Norisius Ann. Syromaced. diss. II. c. 1. p. 86.). Perinde etiam Edessam Osroenes ab violento Scirti fluvii cursu, qui flumen Edessam Macedoniae praeterfluens referre videbatur, dictum esse, Stephano Byzantio teste adhibito, evicit Norisius diss. II. c. 3. p. 107. Sic ex Asiae locis coniicere licebit Macedonicorum oppidorum situm.

3) Willermus IV, 10. (ex Hieronymo, ut ait). Mar. Sanuti III, 5, 4.

4) Altitudinem huius cacuminis Angli nuper trigonometricis et barometricis rationibus emensi sunt: quibus compertum est, eum 5318 pedes Anglicos super maris aequor attolli. V. libellus menstr.: *Journal of the Asiat. Society of Bengal.* 1836. *Oct.* (N. LVIII) p. 676. *Report of the Euphrates Expedition.*

5) Orontes imos pedes Cassii montis illius celsi praetermeare dicitur ab Ammiano Marc. XIV, 8, 10.

6) V. Libanius Antioch. p. 289. R. Fabula, quam Malalas p. 202. (85 Ven.) refert de Amyce Casi uxore, spectat ad

velut in rupem illam Simeonis Stylitae minoris monasterio et columna, vivo saxo incisis, insignem, quae ab hoc thaumaturgo Mirabilis mons appellata est [1]) (hic ab Antiochia occidentem versus propius ad mare quaerendus erit): tum praecipue ea regione, ubi ipsa Antiochia condita est, saxosus est et praecipiti escensu arduus, profundisque voraginibus velut diruptus. Erigitur supra Antiochiam duobus cacuminibus, altero versus orientem et septentrionem lenius surgente, ut vineas et agrorum culturam admittat; altero ad occidentem et meridiem verso altiore et magis abrupto. Immani hic praecipitio orientem et septentrionem versus cingitur, ea parte plane inaccessus; ex altera, qua humiliori illi monti imminet, uno calle ex urbe adscenditur [2]). Silpium montem appellat Malalas [3]), Orocassiadem Procopius [4]), qui et alterum montem nomine deterioris Graecitatis *Σταυρὸν* i. e. Crucem appellat. Illi, quem Silpium diximus, septem millium passuum altitudinem tribuit Abulfeda. Intersecat haec cacumina profunda vorago [5]), qua torrens, magno per hiemem auctu saepe damnosus, profluens Orontem petit [6]). Phyr-

---

campum Amyces, qui ad Orontem C stadiis ab Antiochia dissitus (Polyb. V, 59. Malalas l. l.) pars Casiotidis fuisse videtur.

1) Montem Mirabilem, scribit Phocas p. 2., inter urbem et mare esse, ad Orontem fluvium, inter Scopulum i. e. Silpium montem (v. infra n. 4.) et Caucasum i. e. Casium, neque non Roso oppido vicinum. Cf. Nicephorus, Vita Simeonis iun., in Actis Sanct. Maii m. T. V. p. 336., quo teste hic mons ei Urbis portae imminebat quae Seleuciam spectabat, p. 361., et III. m. p. dissitus erat a vico Tiberino, p. 412. 413, neque longe distabat a Daphne, p. 413. — De Agriis saltu inter Antiochiam et Daphnen dicam diss. II. §. 9.

2) Praeter alios utor in hac re Willermo VI, 1. Corancez p. 119.

3) V. Malalas p. 29. (11 Ven.) et saepius, etiam Eustathius ad Dionys. Per. 918. et Suidas s. v.

4) Procopius de bello Persico II, 6. de aedif. Iustiniani II, 10. Scopulum hunc montem, non inepto nomine, dicere videtur Phocas l. l.

5) *un ravin profond,* Corancez p. 117.

6) V. Mar. Sanuti III, 5, 4. Quaresmii Terra Sancta VII, 17. p. 914. Otter. I. p. 82. Corancez p. 118. Kin-

minum et Parmenium appellat Malalas, diversa nominis forma, illa magis barbara, hac Graeca specie unum rivum signans [1]). Neque quae Procopius de Onopnicta torrente narrat, ad alium torrentem trahi possunt: quo auctore cum Iustinianus muros Antiochiae reficeret, huius maxime rivi impetus magna mole ab urbe arcendus erat [2]). Sed praeter hunc etiam alia fluenta per declivia montis urbem petebant [3]). Omnino si antiquis scriptoribus credimus, nullus terrarum locus aquis et iucundior et salubrior erat quam quo Antiochia sita erat. Si quis impudentior, dicit Libanius, in ceteris Antiochiae laudibus alias urbes aequipararet: aquarum tamen copiae et iucunditati omnes cedunt [4]). Hinc non publica solum lavacra ingentem aquae copiam hauriebant, sed certabant cum illis ea, quae singulae urbis tribus sibi struxerant [5]): neque ut in aliis urbibus circa publicos puteos multa aquantium contentio

---

neir p. 153. Niebuhr p. 17. Poujoulat p. 114. Rivum hunc ex monte urbi imminente praecipitari, alveumque eius utrinque hortis et balneis cultum esse, Hadschi-Chalifa p. 345. scribit.

1) Malalas p. 346. (16 Ven.) *τοῦ ῥύακος τοῦ λεγομένου Φυρμίνου τοῦ κατερχομένου ἐκ τῆς διασφαγῆς τοῦ ὄρους.* Idem p. 339. *Παρμενίου χειμάῤῥου κατερχομένου ἀπὸ τοῦ ὄρους κατὰ μέσον τῆς πόλεως Ἀντιοχείας.* Cf. etiam de Parmenio *χειμάῤῥῳ ποταμῷ* p. 233. (98. Ven.)

2) Procop. de aedif. Iustin. II, 10. p. 424. ed. Ven. Phocas l. l. Castalium fontem, qui Daphnae est, pro Phyrmino nominare videtur. Nam quam Castalio dicit superstructam esse permagnam porticum, hanc infra, diss. II. § 18. accuratius in urbe designabimus. Scribit ille, hunc rivum inde a porticu, quam dixi, diviso flumine dextra altis aquaeductibus superne in urbem, laeva per loca campestria in paludes et Daphnae prata ferri et sic Oronti misceri.

3) Multas *χαράδρας* olim intra urbem fuisse, Procopius l. l. dicit. De multis torrentibus etiam Kinneir p. 153. De rivo, qui praeter occidentale urbis latus labitur et tardo saepe flumine stagnat, Pococke l. l. Buckingham l. l. Michaud et Poujoulat in tabulis Antiochiae.

4) in Antiochico p. 354. R.

5) Libanius l. l. De Thermis Antiochenis lex est Theodosii, Cod. Theodos. l. XII. t. 1. l. 131. Cf. Gothofredus T. IV.

et rixa, sed quae in foris et plateis stillabant, aquae potius ad ornatum (*ἐπίδειξιν*) urbis factae erant, cum unicuique privatae domui suus esset fons (*κρήνη*): quas laudes etiam orientales scriptores eo effusius celebrant, quo amantiores hi homines aquae limpidae et frigidae esse solent [1]). Tam limpidas autem has aquas testatur Libanius, ut, si piscinam iis repleveris et aquae fluxum cohibueris, nihil plane aquae stagno inesse credas [2]). Intermiscentur etiam calidi et salutares fontes, septem numero, si geographis Arabibus tanta fides est [3]). Aquarum pulcritudini alterum civitatis commodum aequiparatur, lenes Favonii flatus, qui a mari inde per Orontis vallem fervente cum maxime aestatis sidere spirantes caloris vim frangunt [4]). Erat tamen etiam, qui Antiochenses interdum molestaret, Boreas ventus, quapropter Apollonium thaumaturgum, ut eum telesmate facto arceret, rogaverunt [5]).

4. Sed revertimur ad situm urbis plenius describendum. Campus ille declivis, quem a monte Silpio ad Orontem pa-

---

p. 502. ed. Ritter. Caetera lavacra partim sub conditorum nominibus memorabuntur, de hibernis et aestivis autem dicetur in hac dissertatione §. 29.

1) Abulfeda p. 115., cui Ibn-Haukal auctor est.

2) in Antiochico p. 355. R.

3) Septem fontium, quorum effectus miro modo cum VII stellis errantibus conspirent, locum indicat Hadschi-Chalifa, *Gihdn-Numa* p. 343. Hoc utitur Otter. p. 82. Nunc magis celebrantur calidi et sulphurei fontes qui sunt inter Beroeam et Alexandriam, non longe ab Antiochia. V. Russelii Naturalis Halebi historia T. I. p. 75. ex edit. German. Gmelini. — De Olympiade et S. Pauli fonte infra §. 7.

4) Libanius Antioch. p. 346. et de fortuna sua p. 3. *καὶ οἵων μὲν πίνει πηγῶν, οἵοις δὲ ζεφύροις τρυφᾷ.* Nicetas Choniata de Manuele III, 5. p. 151. ed. Bonn. de Antiochia: *Ταύτην λέγω τὴν τῆς Κοίλης ἡ υρίας προκαθημένην, ἣν Ὀρόντης ποτίζει καὶ καταπνέει ζέφυρος ἄνεμος.* De eadem re Hegesippus III, 5. et Isidorus Origg. VIII, 21, 17., qui: *Orontis*, ait, *fluentis ex ipso impetu frigidioribus et zephyris ibi assidue spirantibus tota civitas momentis prope omnibus refrigeratur.* De caeli salubritate Herodian. VI, 6, 2. 4. Similia nunc de caelo Beroeae urbis praedicantur. V. Russelii de ea urbe liber T. I. p. 83. ed. Gmelin.

5) Malalas p. 264. (112.)

tere diximus, duo fere passuum millia extenditur [1]). Orontes ipse antiquorum regum et imperatorum tempore diverso meatu insulam efficiebat, in qua Nova Antiochenorum urbs condita est [2]): sed neque nunc neque cruciatarum expeditionum temporibus magnae huius insulae ullam mentionem fieri videmus. Conieceris inde, hunc alterum fluvii alveum, quo insulam eam ambiebat, hominum tantum arte effossum fuisse [3]). Etiam infra Antiochiam sub imperio Romanorum canalis structus est, quo vorago Orontis aquam intercipiens a navigantibus devitaretur [4]). Orontis inde a situ Antiochiae ad mare usque brevis cursus: distabat enim urbs a litore centum viginti stadiis [5]), sive tribus milliariis quae geogra-

---

1) Ita Pococke p. 187. At Kinneir p. 153., unum tantum M. P., vel unum cum semisse, inter montem et fluvium interesse scribit.

2) V. Libanius p. 340. 341. R.

3) Nihil de hac fluvii parte superesse, percontanti mihi asseveravit etiam vir egregius Prokesch-Osten, qui ipse Antiochiam inde a boreali regione adierat. Solum Niebuhrium nunc video in tabula supra indicata insulam in fluminis alveo significare, prope a ponte, qui nunc unus superest, versus orientem: sed ea insula tam exigua est, ut partem tantum eius effecisse videatur, in qua Nova urbs extructa fuerat.

4) Pausan. VIII, 28, 3. Non vereor, ne scriptor accuratissimus huc transtulerit Charybdin, qua, Strabone VI. p. 275. teste, inter Apameam et Antiochiam Orontes interceptus quadraginta per stadia subter terras labebatur. Cf. idem XVI. p. 750. Quae fama ad angustias pertinere videtur, quas fluvius infra Apameam (Famieh) permeat. Caeterum *ad auxilium purgandi Orontis* aliasque necessitates Comiti Orientis Seleucena classis deputata erat. V. Valentiniami et Valentis Const. in Cod. Iustin. de Classicis l. XI. t. 12.

5) Libanius p. 286. R. Cui non male convenit cum Strabone XVI. p. 751., qui ex lectione a Tzschuckio recepta Seleuciam ab Antiochia distare dicit CXX stadiis (CXXX stadia interesse scribit Procopius de bello Pers. II, 11.). Seleucia autem, ab ostiis fluvii septentrionem versus sita et, Strabone teste, XL stadiis inde distans, eo loco erat, quo nunc indicatur *Minet-Seleukie (Minet-Selouquié*, Rousseau), non ad fluminis ostia, ubi nunc Suedia et Byzantiorum tempore Suetium erat. V. Mannert. Geogr. VI, I. p. 481. Willermus IV, 10. Antiochiam a mari X inter et

phica dicimus. Litus circa hoc ostium portuosum; sed inter plures portus 1) iam sub Seleucidis regibus 2) maxime insignis Seleuciae in Pieria erat, quam emporium Antiochiae dixeris, rupibus undique cinctus et Constantio imperante saxis perfossis et excisis multum auctus 3). Aptissimus igitur urbis situs ad merces maritimas recipiendas, quas, ut Ciceronis verbo utar, tanquam faucibus fluvii ex mari absorbebat: neque impeditior vectura versus orientales plagas, cum Antiochiae situs ab Euphrate, ubi Zeugma oppidum est a ponte dictum, quo Seleucus Nicator Euphratem iunxerat, ferme CL mille passuum itinere distet 4), eaque regione fertiles convalles et frequentia incolis loca, denique via omnium in his terris

XII M. P. distare dicit; navesque per Orontem ab ostiis usque ad urbem XIII M. P. ascendere, Scriptor in Gestis Dei per Francos Bongarsii T. I. p. 565.

1) *Λιμένας* dicit Libanius p. 286. Prope Seleuciam Bytyllium nativum portum fuisse scribit Malalas p. 270. (115. V.)

2) Polybius V, 59.

3) *Τέτμηται μὲν ἐν Σελευκείᾳ, τέτμηται δὲ ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας*, Libanius p. 361. Quingenti milites iam sub Diocletiano ostio portus profundius excavando insudaverant, Liban. ad Theodos. p. 661. Cf. Reiskii annot. Sed decimo Constantii anno portum hunc ex rupe excisum esse scribit Theophanes p. 25. Ven. et consentit Hieronymus Chron. ad a. Chr. CCCXLVI. Constantii X (al. CCCXLIX et XIII.). De eodem opere Iulianus Or. in Constantium p. 40 ed. Spanh. et Descriptio orbis sub Constantio scripta, in Maii Classicis auctor. e Vatic. codd. editis T. III. c. 17. p. 391. (p. XI. ed. G. H. Bode): *Deinde Selevcia civitas magna quae omnia bona suscipit, et ipsa similiter praedictae Antiochiae mittit. Quam ob rem Constantius Imp. maximum montem secavit et introducens mare fecit portum bonum et magnum, ubi venientes naves salvantur.* Cf. Spanhem. ad Iulian. l. l. Observ. p. 268. et Gothofred. ad Orbis descript. p. 16. 17. Atque agnoscunt id opus recentiores, qui ea loca adierunt: Kinneir p. 160. Poujoulat p. 209. — Etiam Laodiceam omnia negotia suscipere ut Antiochiae mittat, scriptum est in Orbis descriptione l. l

4) Latitudo Syriae a Seleucia Pieria ad oppidum in Euphrate Zeugma CLXXV M. P est Plinio N. H. V, 12, 13. Isidorus Characenus in Parthicis stathmis, optimo geographiae orientalis subsidio, computationis initium facit ab Antiochia. Antiochiam a

Macedonum et Romanorum tempore maxime trita commodum et amoenum iter praebuerint [1]). Vasta enim illa deserta, quae ex Arabia Aquilonem versus extenduntur atque Euphratensem regionem ab ora maritima distinent, quibus in arenis Palmyra tanquam deserti emporium effloruit, hunc quidem Syriae angulum non assecuntur.

5. Ita fit, ut vix quisquam terrarum situs urbi magnae et opulentae condendae aut commodior fuerit, aut amoenior. Nam miram locorum et venustatem et sublimitatem uno ore laudant, qui eam viderunt. Sed tot commoditates quibusdam etiam repensantur detrimentis vel periculis. Praeter torrentes, quorum arcendorum caussa magnae molus structae sunt, terrae motus vix cuiquam urbi plus nocuerunt [2]). Iam antiquitus ea terrarum plaga ignibus sub terra serpentibus multum devastata est. Huc enim spectat fabula de Pagre Gigante in vicinis Antiochiae montibus fulminibus prostrato [3]),

---

Phelgia ad Euphratem schoenos distare ait CXX, Seleuciam a Phelgia C, a Zeugmate autem CLXXI. Hinc facile stationes, quae erant inter Antiochiam et Zeugma, computari possunt, quas Isidorus omisit tanquam omnibus notas. Nam si CXX schoenis Cadduntur, et CLXXXI subtrahuntur, relinquuntur XLIX. Schoenos si quaternis M. P. exaequaveris, efficiuntur millia passuum CXCVI.: sed schoeni hoc modulo minores fuisse existimantur. Procop. B. Pers. II, 7. Beroeam ab Antiochia II dierum itinere, totidem a Beroea Hierapolin distare tradit.

1) Via, qua Babylonem ibant, Io. Chrysostomi tempore *σταθμοῖς διείληπται συνεχέσι καὶ πόλεσι καὶ ἀγροῖς, καὶ ὁδοιπόροις δὲ βαδίζων τις ἐντύχοι πολλοῖς* etc. Ad Stagir. II, 6. T. I. p. 189. ed. Montf. Ex oriente annonam in urbem deduci scribit Libanius Antioch. p. 356. *Antiochia mundo cognita civitas, cui non certaverit alia, advecticiis ita adfluere copiis et internis*, Ammian. Marc. XIV, 8, 8.

2) De ea re in universum dicit Io. Chrysostomus, in terrae mot. T. I. p. 772. et Homil. III, 7. T. II. d. 46. d. ed. Montf.

3) Malalas p. 202. (85 Ven.) Nomen Gigantis referendum est ad Pagras castellum, §. 2. p. 6. n. 3. Libanius de fort. sua p. 66. Antiochia Cpolin profectus, post primum *σταθμὸν* ascendens eum locum attingit, quo Gigantes combusti esse ferebantur. Quae Malalas eodem loco de corporibus in saxum mutatis ad secundum ab urbe lapidem repertis narrat, ea spectare videntur ad gigantea illa ossa, quae Romanorum temporibus in alveo Orontis exsiccato inventa sunt. De his Pausanias VIII, 29, 3. et Philostra-

atque antiquum quod fertur Orontis nomen Typhon, inde derivatum, quod Typhon draconis specie hic Iovis fulminibus percussus terram tractu suo diruperit [1]): talia enim in antiquitate ad hanc locorum naturam explicandam fabulose tradi solent. Etiam Melantii montis nomen aliquid de ignibus terrae innuit: et de montium ignivomorum crateribus' ea regione exstantibus quaedam rettulerunt recentiores peregrinatores [2]). Sed Antiochia ipsa septem fere saeculis ab Antiocho Sidete ad Mauritium usque Imperatorem decies vehementer concussa, plus semel fere tota deleta est. Hos terrae motus, tanquam epochas historiae Urbis, hic memorare libet. Primum invenio fuisse annis post moenia Antiochiae strui coepta CLII, post absoluta CXXXII, i. e. a. Chr. 148., quo tempore Alexander Balas Syriam obtinebat, Peritii mensis, qui Februario ferme conveniebat, d. XXI. hora decima [3]); alterum sub Gaio Caesare, d. XXIII Dystri s. Martii m. anni

tus Heroic. c.. 1 §. 3. p. 669. Olear., qui Aryandis Assyrii vel Indi hoc cadaver idque *τριακοντάπηχυ* fuisse dicit. Apertum videtur, Mammuthica aliave primaevi mundi ossa ibi effossa esse: ad quae etiam aliae antiquorum fabulae spectant.

1) Strabo XVI. p. 750. Malalas p. 141. (59 V.) Dracontem eum fluvium dicit Anna Comnena IV. p. 97. A. Malalas p. 38. (15 V.) 197. (83 V.), Io. Tzetzes Exeges. Iliad. p. 750. ap. Bachmann. Schol. Iliad. Cf. Chilmeadius ad Malalam p. 234, 21. Ducangius in app. ad Cinnam. p. 279. Typhonem secuntur etiam hunc in locum Arimi (Strabo l. l.). Huc traherem etiam Phlegras locum prope Antiochiam ap. Libanium p. 236., nisi verisimile esset, *ΦΛΕΓΡΑΣ* mutandam esse in *ΦΑΓΡΑΣ* (i. e. Pagras).

2) Sestinius *Viaggio da Cpoli a Bukoresto* pag. 64. de pluribus montibus, qui olim ignes profuderint, circa Beroeam narrat, atque etiamnunc montem Arsiz-Daghi, qui medius fere inter Beroeam et Alexandriam esse videtur (sicut ex comparatione Otteri et Pocockii intelligitur), flammas vomere. Sed v. quae de Sestinii placitis monet Gmelinus ad Russelii Naturalem Halebi historiam, in linguam vern. translatam T. I. p. 68. 75. De fontibus subterranea ignis vi prorumpentibus narrant Angli, quos supra §. 3. p. 7. n. 4. laudavi.

3) Malalas p. 207. (88.) e Domno chronographo. Quem hic eo tempore regem Syriae fuisse memorat, Antiochus, is a ceteris ignoratur, et fortasse Antiochiam tantum obtinebat. Sed rem hoc tempore non expedio.

Antiocheni, qui a Caesaris dominatu computatur, LXXXV, i. e. p. Chr. 37.[1]); tertium sub Claudio, cum urbis non pauca aedificia corruebant[2]); proximum Trajano imperante, d. XIII. Apellaei s. Decembris m. sub diluculum, anno Antiocheno, qui sub auctumnum incipit, CLXIV, p. Chr. 115., Pedone consule[3]), cum Antiochia eo terrae motu qui brasmatias dicitur, gravissime concutiebatur, ita ut etiam Casii montis cacumina nutarent, et aquarum fontes et rivi magnam mutationem subirent: quo tempore qui e civibus superstites erant, aedi Daphnae erectae inscripsere: *οἱ σωθέντες ἀνέστησαν Διὶ Σωτῆρι.* Quintum numero qui sub Constantio fuit, quinto anno huius regni, i. e. p. Chr. 341.[4]); sextum, qui sub Leone Magno, secundo huius principis anno, XIV d. Gorpiaei s. Septembris m., cyriacae sub primam lucem, anno Antiocheno DVI, qui est p. Chr., si Antiocheni anni a Septembri m. computantur, 457., si ab Octobri vel Novembri, 458: quo terrae motu Nova maxime urbs in insula Orontis extructa, quae tum splendidissima et frequentissima erat Antiochiae

---

1) Malalas p. 243. (102.) 265. (112.)

2) Malalas p. 246. (104.)

3) Malalas p. 275. (117) qui diem feriam primam dicit, ex Christianorum computatione. Sed princeps auctor Dio Cass. LXVIII, 24., ex quo constat, Traianum tum hiberna Antiochiae egisse. Cf. Iuvenal. VI, 411. qui hunc terrae motum respicit, Sext. Aurelius Victor Caes. 13. Eustath. ad Dion. Per. 918. p. 280. Euagrius H. Eccl. II, 12. Huius error, quo eum terrae motum anno Antioch. CLIX, CCCXLVII annis ante terrae motum qui sub Leone fuit, accidisse statuit, iam a multis notatus est. De tempore huius casus egerunt Baronius Annal Eccles. ad a. Chr. 111. et Pagius in Crisi Baroniana, Valesius ad Euagr. II, 12. p. 72,, Chilmead ad Malal. p. 577. ed. Bonn. At hic minus recte annum Antiochenum fuisse dicit CLXIII, nam ultimi menses anni p. Chr. 115. respondent anno Antiocheno CLXIV.

4) V. Theophanes p. 24. ed. Ven. et Cedrenus p. 298. ed. Par., qui Antiochiam sub Constantio et Constante, *τῷ δ' καὶ έ ἔτει*, per tres dies concussam esse dicit. — Terror ille sub Valente (Ammian. XXVI, 10. Liban. de vind. Iuliani p. 42. cf. Olear., epistol. 1186. p. 91.) minus ad Antiochiam pertinuisse videtur, quam ad ipsa maris litora. — Etiam Io. Chrysostomus sub Theodosio de urbe non multo ante concussa dicit, Homil. II, 2. T. II. p. 21. Montf.

pars, vastata est [1]). Sequitur qui fuit sub Iustino, cum hic VII annos et X menses regnasset, Olybrio consule, XXXIX d. Artemisii s. Maii m. anni p. Chr. 526., cum etiam terrae solum ignibus bullire et attolli videbatur, et tota fere urbs cum ipso terrae motu tum incendiis consumpta est [2]). Eo tempore cum ad festum Analepseos Christi multi peregre convenissent, ducenta et quinquaginta hominum millia ruina flam-

---

1) V. Zonaras Ann. XIV, 1. p. 40. ed. Ven. Malalas p. 369. (27.), Euagrius Hist. Eccl. II, 12. p. 305. (ex Ioanne Rhetore) et, qui hunc reddit, Nicephorus Call. Hist. Eccl. XV. 20. De eodem terrae motu Antonius in V. Simeonis c. 7. Gennadius c. 66. et, qui hunc compilat, Marcellini Chronicon ad a. Chr. 459., etiam Isaac. Presbyter eccl. Antiochenae ap. Assemannum Biblioth. Orient. T. I. p. 211. cf. p. 230. Abulpharagius Hist. Dynast. p. 92. ed. Pococke. Anno 458, p. Chr. hunc terrae motum adscribunt Baronius et Norisius Ann. Syromaced. diss. III. c. 6. p. 216.; anno 457. Pagius T. VIII. p. 220. ed. Luc, (qui Theophanem et Cedrenum sequitur) assentiente Idelero, Enchir. Chronol. p. 464.: quippe qui Gorpiaeum anno incipienti Antiochenorum addunt, quem Norisius demit (cf. §. 9); anno 459. Assemannus, qui id ex vita Simeonis efficere studet. Et videtur sane hoc anno, VIII. d. Iunii m., clades Antiochiae iterata esse. Malalas Patricium consulem ex hoc anno 459. male transtulit ad priorem.

2) Malalas p. 419—421. (50. 51), quo teste etiam Daphne tum diruta est. De eadam clade narrat Procopius de bello Pers. II, 14. Euagrius IV, 5. qui ad Ioannem rhetorem provocat Ioannes Laur. Lydus de magistratibus III, 54. p. 247. ed. Bonn., (qui cum terrae motum *σάλους σκιρτῶντας καὶ διϊστῶντας τὴν γῆν ῥιζόθεν* appellat, ipsumque collem supra urbem extantem in eam incidisse narrat), Marcellinus ad a. 526. (ap. Sirmondum T. II. p. 481.), Chronicon Edessenum apud Assemannum Bibl. Orient. T. I. p. 414. *Cum hic VII annos et X menses regnasset* scripsi corrigens sic quae Euagrius non accurate: *ἐν τῷ ἑβδόμῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας μηνὶ δεκάτῳ.* Monuerunt de ea re Valesius ad Euagrium l. l. p. 102. et scriptor Actor. Sanct. Maii m. T. V. p. 230 sq. ad Vitam Simeonis minoris, qui eo tempore puer erat. Cf. p. 337. 347. Discitur tamen ex Theophane p. 117. 118. et Cedreno p. 365 ed. Par., hunc terrae motum Antiochenos iam priore anno, Octobris m. IV. d., sensisse, eoque usque ad proximum sequentem (Iustini nonum) turbatos esse. Cf. Baronius a. 525. Norisius l. l. c. 6. p. 232. Assemannus p. 414.

misve absumpti esse dicuntur [1]). Qua de horrenda clade cum nuntius Constantinopolin allatus esset, Princeps statim lugubrem vestem induit, et multis cum lacrumis ad Dei templa supplicavit. At brevis horum malorum quies; nam triginta mensibus post, secundo Iustiniani anno, Antiochenorum a. DLXXVI, p. Chr. 528, Novembris s. Dii m. XXIX d. prima hora, tremendo terrae motu diroque fragore instaurata aedificia omnia et templa murique conciderunt, et quinque fere hominum millia (MMMMDCCCLXX) perierunt [2]). Hic ex nostra computatione octavus per haec saecula motus: sed ii chronographi, quos Malalas sequitur, sextum dixere, tertium eum habentes, qui Traiano principe accidit: omisso videlicet eo, qui ante exordium Antiochenorum annorum memoratur, eoque, qui sub Constantio accidit, tanquam minus gravi. Easdem rationes sequitur Libanius, qui sub Iuliano Imp. ter urbem deletam esse, quartam nunc stare dicit [3]). Atque etiam posthaec, quousque plenior rerum memoria extat, multa horum malorum mentio: nam regnante Iustino II. et Tiberio iam tum in consortium regni recepto, Antiochenorum a. DCXXV, p. Chr. 587, Antiochiae aedificia terra movente vehementer concussa sunt et Daphne tota concidit [4]); et

---

1) Haec Malalas l. l.: sed Procopius CCC millia hominum tum periisse scribit. Inter eos qui a 526 d. XXIX Maii m. obierunt, etiam Euphrasius episcopus erat.

2) V. Malalas p. 442. (60.) Procop. Hist. Arc. 18. p. 111. ed. Bonn. Euagrius IV, 6. Theophanes p. 20. Cedrenus p. 368. Par. Glycas p. 269. d. Par. 500, 13. Bonn. Sancti Laurentii Vita in Act. Sanctor. Februarii m. T. I. p. 363., in qua propter Arianos Antiochiam tum eversam esse contenditur. Cf. Valesius ad Euagr. IV, 5. p. 102. VI, 8. p. 124. Eundem terrae motum, ni fallor, tangit Nicephorus in Vita Simeonis minoris in Act. Sanct. Mai T. V. p. 310.

3) Antioch. p. 347. Contra Euagrius Hist. Eccl. II, 12. cum eum terrae motum, qui sub Leone fuerat, sextum dicit, et quintum qui sub Traiano, eandem rerum memoriam sequi videtur, quam h. l. exposui.

4) Euagrius V, 17. cum Nicephoro XVIII, 3. Accessi Valesii sententiae, p. 119. Euagrium hoc dicere existimanti: cum Tiberius Caesareae dignitatis tertium annum impleret, non Augusteae, hunc terrae motum fuisse.

sub Mauritio Imperatore, Antiochenorum a. DCXXXVII, p. Chr. 588. Hyperberetaei s. Octobris m. ultimo die, magno terrae motu multa urbis aedificia deleta sunt perieruntque hominum, quantum ex annona publica computatum est, circiter sexaginta millia [1]).

6. Fabulis, quibus Antiocheni vetustas urbi suae origines adstruebant, scilicet id studentes ut ne novitia Macedonum colonia haberentur, sed ex antiqua Argivorum Atheniensiumque stirpe prognati, cordatior nemo fidem adhibebit [2]). Verumtamen ex his de Ione et Perseo Triptolemoque narrationibus intelligitur, ante Antiochiam conditam eodem loco stetisse pagos quosdam, quos accuratius cognosse nostra intererit. Pagus erat Ione s. Iopolis, situs in colle occidentali, quem Silpium montem diximus, circa ea loca, quibus postea arx Antiochenorum extructa est [3]). Huc, Antiocheni ferebant,

---

[1]) Euagrius VI, 8. cum Nicephoro XVIII, 13. Valesius hunc terrae motum rettulerat ad a. 589., sed rectius Norisius diss. III. c. 6. p. 232. eum revocat ad a. 588. Cf. I. W. Zinkeisen „*Geschichte Griechenlands*" T. I. p. 698. Ex medio aevo invenio memoratum horrendum terrae motum, quem a. 1115 p. Chr. urbem proruisse tradidit Gualtherius, Rogeri Antiochiae principis cancellarius. His temporibus, a. 1822., Antiochia, quae commerciis frequentioribus paulatim efflorescere coeperat, terrae motu fere tota denuo diruta est. V. Poujoulat *Corresp. d'Orient* T. VII. p. 119.

[2]) De Graecis coloniis Antiochiam deductis Euagrius Hist. Eccl. I, 20. (cum Nicephoro H. E. XIV, 50.) narrat scripsisse Strabonem, Phlegontem (i. e. Trallianum in Chronicis), Diodorum Siculum (in libris deperditis), Arrianum (ἐν τοῖς μετ' Ἀλέξανδρον, ut videtur), Pisandrum poëtam (hic Larandensis est, Theogamion scriptor, qui Ius fabulam in eo carmine tractasse videtur), praeter eos Ulpianum (Antiochenum grammaticum) Libaniumque et Iulianum sophistas. Pausaniam historicum ἐν τῷ περὶ Ἀντιοχείας κτίσεως laudat Io. Tzetzes Schol. in Exeges. Iliad. p. 833. ed. Bachmann.

[3]) V. Malales p. 29. (11.) 37. (15.) Libanius p. 288. 289. cf. verba ἐπὶ τὸ ὄρος p. 287. V. etiam Stephanus Byz. s. v. Ἰώνη, Suidas s. v. Ἰώπολις. Eustath. ad Dion. Per. v. 918. p. 281. ed. Bernhardy. Vicus Antiochiae (γειτονία) Ἰουβιτῶν a Theophane p. 46. ed. Ven. memoratus nescio an in Ἰωνιτᾶν refingendus sit.

Ionem illam Argivam ex Aegypto fugatam pervenisse ibique diem obiisse extremum; deinde ab Inacho Triptolemum Eleusinium atque Argivos nonnullos missos esse, qui filiam amissam quaererent, eosque Iopolin illam cum Saturni delubro condidisse atque ab ipsis Syris dictos esse Ionitas [1]). Iam facile intelligitur, fabulae tam speciosae veri nihil subesse nisi nomen Iones pagi, et fortasse ritus quosdam Asiaticorum vel Isiacorum sacrorum, quae sacra a Graecis ad Inachidem illam mature trahi coepta esse constat [2]). Neque tamen famae levitas obfuit, quominus Antiochenses hac propter et Argorum, quam urbem et ipsam Iopolin dictam fuisse asseverabant [3]), et Athenarum progeniem se esse gloriarentur et in ipsis numus Atticae insignia assumerent [4]); atque Eudocia Augusta, Theodosii minoris uxor, Atheniensis philosophi filia, Antiochenses ambitiosa hac appelatione alloqueretur:

---

1) Haec ex Malala p. 28. 29. (11. 12.) et Chronico Paschali p. 41. 42 Par., Theophilus ab utroque auctor laudatur. Eadem brevius Cedrenus p. 21. Par. Similia Libanius p. 287 sqq., nisi quod Ionem ipsam huc pervenisse ignorat. Strabo XVI. p. 750. fabulam de Triptolemo ad Ionem exquirendam misso commemorat, Triptolemique posteros inter Antiochenses esse tradit, illique heroi in monte Casio sacrificare et feriari solitos esse Antiochenses. Cf. Rad. Rochettus Hist. col. Graec. I. p. 151., qui vir apprime doctus et veri studiosissimus nunc puto aliter de his fabellis iudicat atque olim. Omitto h. l. narrare, quae Libanius posthaec, p. 289., de Cretensibus et Cypriis Casi colonis: sed levissimam famam secutus Syncellus p. 126 a. (237. Bonn.) Casum et Belum, Inachi filios, ipsam Antiochiam ad Orontem condidisse scripsit. Cf. Stephanus Byz. s. v. *Κάσος*. De Cretensibus colonis infra §. 27.

2) Malala teste, p. 29. certo quodam anni tempore hic ritus ab Antiochenis observabatur, ut fores pulsarentur et simul clamaretur: *ψυχὴ Ἰοῦς σωζέσθω*. Similia Libanius p. 287. Quis non agnoscat Orientem graecissantem?

3) V. Chronicon Paschale p. 41. Par. (74. Bonn.). Sic mythographia Byzantiorem permultas Graecorum fabulas figmentis ditavit, quae in Asiae civitatibus natae erant.

4) Documento est numus ab Eckhelio, Num. vet. anecd. tb. 15, 4 prolatus, cuius in antica est Palladis caput, in postica noctua cum titulo *ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ*, ceterum Atticis numis simillimus.

Ὑμετέρης γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι [1]).

Cuius gloriae hic unicus fundus est, quod Triptolemus Eleusinius ex Attica ad Ionem quaerendam missus esse ferebatur [2]): quae fabularum coniunctio fortasse iam in Asia minore facta erat, ubi multa Triptolemi mentio. Nam indigenam quendam Lydiae heroem, Tylum, Terrae filium, propter aliquam naturae vel muneris affinitatem, pro Triptolemo Graecorum habitum et sic etiam artis operibus effictum esse, alio loco ex Sardiano numo evici [3]). Quod autem Triptolemus ab Antiochenis tanquam patrius heros tam eximie colebatur, id effecisse puto, ut etiam Germanicus, cum a Tiberio Orienti praefectus Antiochiam peteret eique civitati etiam tempora feliciora et quasi novum saeculorum ordinem afferre videretur, Triptolemi nomine et simulacris ad illius formam expressis coleretur: cuiusmodi etiamnunc duo extant egregia artis opera, gemma ectypa, quae in cimeliis Regis Franco-Gallorum asservatur, et patera argentea, Caesarei apud Vindobonenses Musei ornamentum, Aquileiae reperta. Sed de his scalptis caelatisque operibus cum alibi satis prolixe dixerim, hic ea re explicanda supersedere licebit. Paulo posteriori tempore, addunt harum fabularum auctores, etiam Perseum Argivum in orientales plagas delatum Ionitas tanquam sanguine secum coniunctos visum venisse [4]), eumque, cum eo

---

1) Euagrius I, 20. cum Nicephoro XIV, 50. *Ἰωνῖται Σύροι ὅτι ἄποικοι Ἀθηναίων*, dicit Io. Tzetz. Schol. in Exeges. Iliad. p. 831. ed. Bachmann.

2) Niebuhrium (in Museo suo Rhenano III, I. p. 30. Script. min. p. 205.) his de Triptolemo fabellis nimium pretium tribuisse, recte monuit Prellerus de Cerere et Proserp. p. 381. Sed hic ubi scribit Triptolemi posteros e Gordyene, quae in Assyria est, Antiochiam esse a Seleuco traductos, non recte Strabone XVI. p. 760. usus est.

3) V. Annales Instituti archaeol. T. II. p. 157. [cf. ed. nostrae vol. III p. 39 ss.] Eundem Tylum Maeonium a dracone interemtum et *Διὸς ἄνθει* e morte suscitatum narrat Nonnus XXV, 451 sqq. e Xantho. Cf. Plinius N. H. XXV, 2. 5. §. 14.

4) Haec Malalas p. 37. (15.) Eadem Chronicon Paschale p. 40. Par. 75. Bonn. Fabularum de Perseo et Bellerophonte, Pegasi sessoribus, multa mentio in Asia minore et vicinis terris. Hinc Bellerophontis quoddam celebre signum Antiochiae erat, postea

tempore gravis quaedam tempestas et Orontis immensus auctus ingenti fulmine coërcitus esse videretur, templum Ignis Aeterni vel Iovis Fulguris, Graece *Διὸς Κεραυνίου,* Ionitis condidisse [1]). Nimirum Ignem Aeternum hoc loco Aramaei homines patria religione diu coluerant, antequam Graeci Iovem ibi Ceraunium Perseumque Iovis filium huius sacri statorem agnoscerent. Neque Orestes Argivus hanc popularium suorum civitatem praeteriisse ferebatur, sed in ipso monte Melantio in Vestae delubro somno post sacra facta furore solutus esse ac deinde Melantorum fluminum aqua omnem labem abluisse. Cuius rei documentum ostendebatur apud Antiochenses, non procul ab urbe, aenea statua in columna erecta hominis dextrae manus digitum versus montem illum porrigentis: quod signum cur fugitivus, *ὁ δραπέτης,* appellaretur, mira quadam narratione explicare studuit Domninus chronographus [2]).

7. Alium locum celebritate Antiochiae antiquiorem habemus Meroen, postea suburbium magnae urbis versus orientem situm [3]). Qui Simeonis Stylitae prioris vitam enarravere, ii defunctum huius viri corpus, cum ab eo loco, quo in columna steterat, et posterius templo et coenobio colebatur

---

Constantinopolin tralatum. V. Banduri Imper. Orient. T. II. p. 461. ed. Par. (ex Codino et Niceta). Heyne Commentat. Soc. Gotting. V. XI. p. 13. Wilken. ad Nicetae de statuis librum p. 8.

1) Quod *πυρὸς ἀθανάτου* templum Malalas p. 38. et Chron. Paschale ex Pausania chronographo conditum esse narrant, id ex nexu narrationis intelligitur idem esse delubrum, quod a Malala p. 199. (212.) Iovi Ceraunio tribuitur. Eiusdem Ceraunii Iovis sacra Seleuciae in Pieria floruisse, etiam numi testantur. V. Norisius Ann. Syromac. diss. III. c. 8. p. 268. Mionnet. *Description* T. V. p. 274. n. 860. *Suppl.* T. VIII. pl. 16. n. 5. Ceterum Libanius Nemei Iovis delubrum in Ione oppido memorat a Triptolemo conditum, Antiochico p. 289., et Chron. Pasch. p. 42. Par. 76. Bonn. *Κρονίωνος ἱερὸν* in Silpio monte ab Argivis Ionitis extructum. Puto eundem deum esse *τὸν Δία τὸν ἐπὶ τῆς κορυφῆς,* cui a Libanio ad Iulianum p. 480. opponitur *ὁ ἐν ἄστει.*

2) apud Malalam p. 142. (59. 60.). Montem *'Αμανόν* dictum esse a sublata Orestis *μανίᾳ,* multi ex antiquitate rettulerunt.

3) Hoc ex Libanio sumptum, Or. in Dianam p. 236.

(qui locus ab urbe orientem versus trecentis stadiis abest), Antiochiam deferretur, ad V ferme ab urbe lapidem ad locum Meroen pervenisse tradunt [1]). Hoc loco, quo tempore Persae in Oriente praepotuere, Persicorum numinum sacra instituta sunt. Delubra enim ibi erant et Solis et in proximo Persicae Dianae permagnum: quam deam a Persis Anaitidem dictam esse constat [2]). Id constituisse, narrat rhetor Antiochenus, Semiramidem Assyriam, nomen cum sacris eius numinis coniunctissimum; auxisse et Persico apparatu exornasse Meroën, Cambysis uxorem [3]) (alii sororem, alii matrem dicunt), cum oculorum sibi restitutorum gratiam deae referret [4]). Hinc nomen loci, quo etiam ab Antiochenis solenne eius deae magno cum splendore agebatur, septimo mensis Artemisii sive Maii die [5]). Ac si fabulas et incertos rumores subtraxeris, hoc certe fide dignum videtur, Persas Asiae dominos has sacrorum suorum sedes constituisse, non aliter atque Hierocaesareae in Lydia inde a Persarum imperii tempore Ignis divinus magicis carminibus, et Persica Diana delubro, quod ipse Cyrus rex dicasse traditur, colebantur [6]). In hac orientali urbis parte [7]) erat etiam Olympias fons,

---

1) V. Cosmas Presbyter ap. Assemannum Bibl. Orient. T. I. p. 253., qui loci nomen *Maro* scribit. *Meron* dicitur ab Antonio in Vita Simeonis, qui illud V. M. P. spatium indicat. V. Bollandi Acta Sanctorum Ianuarii m. T. I. (p. 268. locus *Mero* dicitur, p. 274. *Meroe*, p. 285. *Meros*.) De Simeonis coenobio dicam diss. II. §. 21.

2) Libanius Antioch. p. 291 sqq.

3) V. de hac Meroë, a qua Meroën Aethiopiae dictam ferunt, Wesseling. in Diod. I, 33. p. 38, 95.

4) Ex hoc Libanii loco, Antioch. p. 291., alter melius intelligitur, Or. in Dian. p. 236. Hoc loco Scythas, puto cum post annum a. Chr. 624. per Syriam vagarentur, a Diana et Apolline Meroa repulsos esse narrat. — Memorat hanc Meroen etiam Stephanus Byz. s. v.

5) Libanius p. 236.

6) Pausan. V, 27. Tacit. Ann. III, 62.

7) Dicuntur enim a Libanio p. 356. Alexandri fonte superbire *οἱ τὴν πρὸς ἕω μοῖραν οἰκοῦντες*. His opponuntur inter alios *οἱ ἐπὶ τῆς ὀπωρείας*. Non satis recte igitur Malalas p. 234. eum fontem ad montem ponit.

quod nomen ei ex fide fabulae cuiusdam a rhetoribus Antiochenis ut videtur inventae [1]) indidisse dicitur Alexander, aquae dulcedine adeo captus, ut Olympiadis matris lac se sibi hausisse videri profiteretur [2]). Eundem hunc fontem esse crediderim, qui nomine S. Pauli ab historicis cruciatarum expeditionum et recentioribus celebratur [3]), in urbis parte orientali maxime insignis.

Tertio de Bottio dicendum. Hic locus, cum Macedonico nomine ab iis Bottiaeis dictus sit, qui in finibus Emathiae ad Lydium et Axium fluvium olim coluerant, Alexandri tempore a Macedonibus nonnullis propter agri fertilitatem et aquarum copiam conditus esse videtur. Bottia ea sita erat ad ripam Orontis, exadversum Silpium montem et Iopolin [4]). Hic Iuppiter Bottiaeus cultus, cuius delubrum Alexander dedicasse, collemque propinquum patrio nomine Emathiam dixisse ferebatur [5]).

8. His igitur locis stetit Antiochia urbs. Sed praeivit eam in ripa Orontis et egregio hoc terrarum situ occupando

---

1) Cf. Ste-Croix *Examen critique* p. 406. Raoul-Rochette *Hist. de l'établ. des col.* T. IV. p. 131.

2) Libanius p. 206. Malalas p. 234.

3) Willermus I, 10. IV, 13. 14. M. Sanuti III, 5, 4 Monkonys apud Dapper. l. l. La Roque p. 202., qui huic stagno longitudinem CC, latitudinem C pedum tribuit. Niebuhr T. III. p. 16. Ex hoc aliisque fontibus orientalis partis palus rigabatur, cui ad portam Canis pons lapideus, egregio opere factus, superstructus erat.

4) Haec ex Malala p. 200.

5) Malalas hunc Iovem *Βώττιον* dicit. Libanius Antioch. p. 297: *Αἱ δὲ ἀρχαὶ τοῦ κατοικισμοῦ Ζεὺς Βοττιαῖος ἱδρυθεὶς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, ἡ* (scr *ἥ τε,* Reiske *ᾗ*) *ἄκρα τῆς ἐκείνου πατρίδος λαβοῦσα τοὔνομα καὶ Ἠμαθία κληθεῖσα.* Quae ea *ἄκρα* sit, admodum obscurum est. Cf. idem p. 300. — Quaedam in hoc fabularum recensu praeterii, quibus hunc locum concedere lubet. Antiochiam olim *Reblatha* sive *Rebla* dictam esse et etiam Daphnaeum fontem Hebraeis scriptoribus notum fuisse, somnia sunt antiquorum S. S. interpretum. V. S. Hieronymus ad Isaian l. V. c. 12. T. IV. p. 170. et ad Ezechielem (47, 18.) l. XIV. T. V. p. 599. ed. Vallars. Quid quod iam Salomonem destruxisse Antiochiam, ut Palmyram conderet, narrat Abulpharagius p. 34. ed. Pococke.

alia magna urbs, Antigonia. Hanc condiderat Antigonus, Demetrii Poliorcetae pater, quippe loco apto, unde Babyloniam simul et superiora Asiae atque satrapias maritimas cum Aegypto custodiret [1]). Situm elegerat inter Orontem fluvium, quo loco is magno anfractu ex austro convertitur in occidentem, et Arceuthum, qui nunc *Aswad* dicitur, ex lacu exeuntem [2]). Ambitum urbis Antigonus constituerat LXX stadiorum [3]); ornatum addiderat magnificum. Facta sunt haec ex Diodori rationibus Olympiadis CXVIII a. 2, cuius prior pars respondet anno ante Chr. 307., et incipienti anno Seleucidarum VI. [4]).

Sex tantum septemve annos magna haec urbs steterat, cum regio nutu, sicut creverat, e terris sublata est. Nam postquam Antigoni potentia uno praelio ad Ipsum (Olympiadis CXVIII a. 4. incipiente, a. Chr. 301. Augusto mense) fracta erat: Seleucus Nicator, qui nunc prima cera Antigoni atque Persarum heres scribebatur, novam urbem condendam secum constituit, sive ut Antigoni rerum gestarum memoriam maiore apparatu et splendore praestringeret et obscuraret, sive situs paulo inferior magis idoneus ipsi visus est, quo magna urbs floreret, sive ominibus et auguriis, quae traduntur, eum ad illam rem agendam permotum esse credibile est. Quadraginta stadiis nova urbs distabat a vetere, sed incertum, quo loco, ad muros duarum urbium an alibi, terminos huius spatii, unde in metiendo exeundum sit, statuere iubeamur [5]).

9. De prima Antiochiae origine traduntur haec

---

1) Haec Diodorus XX, 47.

2) Malalas VIII p. 199. B. cf. supra §. 2. J. B. Rousseau in tabula rudera, quae ad locum *Zeghaib* in monte meridiem versus ab Antiochia supersunt, Antigoniae tribuit: non recte.

3) Diodorus l. l.

4) Cum nuntius de Salaminia Demetrii victoria, quae Iulio m. anni a. Chr. 306. parta est, ad Antigonum perferretur, Antigonus in Antigonia urbe condenda occupatus erat (Diodor. XX, 47.): sed stetisse iam regiam et alia aedificia, intelligitur ex Plutarcho Demetr. 17. — V. etiam de Antigonia ad Orontem condita Syncellus p. 519. 520 B. (273 c. 274 a.); a quo adiicitur, Seleucum eam urbem *ἐπικτίσαντα* Antiochiam dixisse.

5) Libanius p. 299.

Annus agebatur Seleucidarum XII, i. e. ante Chr. trecentesimus, quo Olympiadis CXIX annus quartus exibat, et Xanthici mensis, qui primus est veris, dies vigesimus tertius [1]), cum Seleucus rex Seleuciam Pieriae, quod oppidum postea tanquam Antiochiae emporium erat, condidit. Hinc Ionen concessit, et tres ibi dies commoratus Iovi Ceraunio sacra fecit, Artemisii mensis, qui secundus veris mensis erat, Kalendis i. e. novilunii die. Quo facto cum Antigoniam se contulisset, atque etiam illic ad aras ab Antigono Iovi conditas hostiis caesis Amphionem sacrificulum de voluntate dei consuluisset, alione nomine Iuppiter hanc urbem appellari vellet an novam a se extrui: factum esse fertur, ut aquila hostiarum visceribus ex ara ablatis Silpium montem [2]), praepete volatu peteret. Extemplo acclamatum: hic novas sedes figendas [3]).

Antequam longius procedamus: iucundum erit paululum subsistere in hoc ostento, quod, cum urbis Antiochiae natale fuisset signum futuraeque felicitatis haberetur praesagium, multis artis operibus celebratum est. Nam ipse Seleucus signum illius aquilae marmoreum extra urbem statuisse fertur [4]); et frequens etiamnum in numis Seleucidarum regum et Antiochiae urbis imago aquilae expansis alis fulmini insidentis: quam ad religionem Iovis Fulguris in monte Silpio culti spectare apertum est. Nempe ab hoc deo etiam illa aquila missa esse credebatur [5]). Sed apertius augurium illud indicatur, ubi eadem aquila femur pecudis, quae pars hostiarum aris adolebatur, secum auferens conspicitur: quod videre licet in numis Antiochenorum temporibus Hadriani et Marci

---

1) Annus ex Eusebio et Syncello desumptus; mensis dies ut sequentes a Malala p. 199. (84.). Cf. Clinton T. III. p. 348.

2) Ita Malalas. In aram Bottiaei Iovis in Emathia aquilam viscera illa portasse, Libanius scribit p. 300.

3) Idem fere aquilae augurium etiam Alexandro in Alexandria condenda contigisse narrat Iul. Valerius de rebus gestis Alexandri I, 30.

4) Malalas p. 202.

5) Idem aquilae signum etiam in numis Ptolemaeorum eadem ratione explicandum esse monstrant dicta in annot. 3.

Imperatorum signatis [1]). Accedit quod huic aquilae non raro vel arietis caput vel integer aries additur, quem in numis Gordiani Pii intra pedes volucris positum videmus [2]). Atque hunc arietem, qui in sexcentis Antiochenorum numis expressus est, ad vernum illud zodiaci signum spectare, etiam astro monstratur, quod arieti supraponitur [3]): sic enim solent signa zodiaci in numis Syriae et Aegypti, quibus in terris superstitiones genethliologorum maxime vigebant, denotari. Aries autem caelestis cur cum aquila coniunctus sit, explicare vix opus est. Nimirum augurium aquilae, de quo loquor, visum est primo Artemisii mensis die: qui dies quanquam propter cyclicam mensium lunarium rationem, quae tum apud Macedones obtinebat, non satis cognitam accurate definiri nequit, verisimile tamen eum Sole in Arietis signo vertente incidisse. Nam cum Alexander obiret (Olymp. CXIV. a. 1., 323 a. Chr., d. XXVIII. Daesii sive Thargelionis m., i. e. 11. d. Iunii m.): Macedonum Daesius Atheniensium Thargelioni respondebat: ex hoc tempore si Macedones usque ad Olymp, CXIX. a. 4. non alios menses intercalabant atque Athenienses, Macedonum Artemisius tum Attico Munychioni respondebat, et, si Attici Metonium cyclum observabant, utriusque mensis Kalendae ex rationibus Iulianorum fastorum in d. III. Aprilis m. anni a. Chr. 300. incidebant [4]). Hoc autem die Solem in signo et sidere Arietis fuisse, nulla est dubitatio [5]). Quid igitur apertius quam numis illis Antio-

---

1) V. Mionnet *Description de Médailles* T. V. p. 177. Saepe ea aquila coronam, victoriae signum, rostro portat, velut in numis Septimii Severi p. 177.

2) Mionnet l. l. p. 183.

3) In multis numis etiam stella est inter crura aquilae. Quod Caracalla Imperatore Solis caput radiatum, item Leo cum stella, inter crura aquilae posita conspiciuntur: singulari de caussa, puto propter thema genethliacum Caracallae vel Iuliae Domnae, factum esse autumo.

4) Sequor in ea re tabulas Metonii cycli a V. Cel. Idelero propositas.

5) Ne forte rationes meae errore quodam turbentur, haec commode mecum communicavit V. D. Piper, chronologiae et astronomiae antiquae sanequam peritus: Stellae Mesarthim (γ in Ariete) longitudo erat anno p. Chr. 1800. $= 30^{\circ}\ 22'\ 2''$. Itaque

chenos significare voluisse, quibus auguriis et quo sub sidere urbs sua condita esset [1]).

10. Igitur Seleucus hoc augurio fretus novam urbem inter Silpium montem et Orontem fluvium condidit, postquam et hoc loco ab Amphione litatum erat. Veritus autem, ne torrentes Silpii montis aedificia subruerent et everterent, murorum fundamenta longius a monte, a fluvio propius, in planitie convallis [2]) exadversum Iopolin, ubi Bottia pagus fuerat, constituit. Primum fundamentum iactum est Artemisimensis d. XXIV, prima post solis ortum hora [3]). Murisi

---

eiusdem longitudo erat anno a. Chr. 300. = 1° 12′ 15″. Hanc autem longitudinem anno 300 a. Chr. Sol assecutus est Martii m. 26. 4^h 23′ medii temporis astron. Antiochiae in Syria.

1) Quod Vaillantius in opere de numis aereis Imp. in coloniis percussis pluribus locis scribit, arietem hunc in numis conspicuum anni Antiocheni initium significare, id non recte facit. Constat enim annos hos inchoatos esse auctumni tempore, vel ab Hyperberetaeo sive Octobri m. (quae est Scaligeri et Petavii et Norisii Ann. Syrom. III, 6. et Corsinii Fastis Att. II. p. 463. opinio), vel a Dio sive Novembri m. (haec est sententia Valesii in Annot. ad Euseb. de martyr. Palaestin. p. 173. ed. 1659. et ad Euagrii Hist. Eccl. II, 12. p. 72., atque Clintonis Fastis Hell. T. III. p. 365 sqq.), vel a Gorpiaeo sive Septembri m., quod probat Usherus et Idelerus Enchir. Chronol. T. I. p. 459 sq. Facilius ad Caesaris edictum, quo Antiochia libera ac sui iuris civitas pronuntiata est, quod Artemisio mense promulgatum est (v. diss. II. §. 1.), arietis signum referre possis, nisi eo tempore, quo Fasii Iuliani recipiebantur, Artemisius Maio Romanorum eique Zodiaci parti, quam Taurus obtinet, respondisset. — Begerus Spicileg. p. 8. arietem in numis inde repetit, quod Syriae gentes, Manilio teste (v. I. IV. p. 103, 7. ed. tert. Scal. arietem coluerint. Verum eam ipsam religionem ab Antiochenis ad ceteras Syriae civitates propagatam esse existimo.

2) ἐν τῇ πεδιάδι τοῦ αὐλῶνος Malal. p. 200. ἐν τῷ λεγομένῳ αὐλῶνι p. 347. Cf. etiam p. 233.

3) Haec omnia Malalas tradit, ex Annalibus, ut puto, Antiochenis. Sed quae de virgine caesa, hoc et aliis locis, ubi de condendis urbibus dicit, ab hoc homine narrantur, ea profecto incredibilia sunt. Quanquam etiam Eusebius Praepar. Evang. IV, 16. p. 97. ed. Steph. apud Laodicenos Syriae Minervae caesas esse virgines scribit. Nimirum a Christianis hominibus conficta ea esse videntur, ut urbium Fortunae, nam has caesarum

extruendis praeerat Xenaeus architectus [1]). Eos muros, intelligitur ex iis quae dicta sunt, aquilonem versus Orontis ripas praetexuisse, versus notum montis radices, sed magno distantes intervallo, spectasse. Nondum enim Seleuci urbs omne illud spatium complebat, quod postea Antiochia occupavit: sed quartam tantum, a Strabone [2]) docemur, magnae Antiochiae partem fuisse hanc Seleuci urbem, earumque partium unamquamque peculiaribus muris instructam, ita ut quattuor essent in una urbes. Incolas autem continebat Nicatoris urbs pristinae urbis Antigoniae. Haec enim urbs funditus tum deleta, omnisque, cuius usus erat, materia secundo flumine ad Antiochiae situm devecta est: unde intelligitur, eam Antigoniam, quae Crassi temporibus his locis stabat, postea denuo conditam esse [3]). Cives autem Antigonenses, qui partim Graeci partim Macedones erant, omnes Antiochiam simul traducti sunt [4]). Quae ut incolas illos in se recipere posset, vetere urbe minor esse non poterat. Atqui Antigoniam septuaginta stadiorum ambitu fuisse novimus. Sequitur, ut Seleuci Nicatoris urbem, cum X tantum stadiorum latitudinem habuisse videatur, in XXV vel plurium stadiorum longitudinem porrectam fuisse statuendum sit. Sed praeter Antigonenses illos etiam Iopoleos et Casi aliorumque pagorum circumiacentium incole Antiochiam collecti sunt, quanquam in ipsa etiam Iopoli, tanquam in Arce novae urbis, pars pa-

---

virginum imagines dicebant, dirae superstitionis detestanda monimenta esse viderentur. De hoc fabularum genere quaedam composuit I. V. Franke Inscr. Richter. p. 469. Nomen *Αἰμάθη*, quod huic virgini indidit Malalas p. 200., nescio au mutandum sit in *Ἠμαθία*. Cf. supra §. 7.

1) Dignissimus hic homo qui addatur Artificum Catalogis Iuniano et Silligiano. Obscuriora sunt, quae Tzetzes Chil. VII, 117. v. 176., Seleucum *κτισμάτων ἐπιστάτας* fecisse Attaeum Perittam, Anaxicratem, eosque de eadem re scripsisse.

2) XVI. p. 750.

3) Dio Cassius XL, 29.

4) Non Seleuciam, sicut Diodorus XX, 47. narrare videtur (nam locus Diodori perturbatus est, ita ut quae scriptoris mens fuerit non satis constet). V. Wesseling. ad I. p. 441, 98. Numerus Antigonensium, qui legitur apud Malalam p. 201. ,ετ', i. e. 5300, sine dubio corruptus est.

ganorum relicta est [1]). Denique etiam Iudaei, Iosepho teste [2]), a Seleuco Nicatore in civitatem Antiochiae recepti sunt, eodemque iure, quo Graeci et Macedones, et tum habiti esse et postea mansisse dicuntur. Alio loco [3]) reges Syriae, idem scriptor narrat, post Hierosolyma ab Antiocho Epiphane deleta sacra templi utensilia, quae ex aere facta erant, omnia Iudaeis ad synagogen, quae Antiochiae erat, ornandam concessisse, et ut aequo iure essent ac Graeci iussisse. Et extabant iura ac privilegia Iudaeorum consignata in aereis tabulis, quas cum Antiocheni a Tito ut deleret, cupidissime flagitarent, ille populi, quem patria spoliaverat, in aliena urbe vindicem et patronum se exhibuit [4]). Haec varia hominum turba alteram quasi urbem, priori illi adiectam sed muris tamen propriis segregatam, tenebat [5]), quae fortasse ex suburbiis paulatim ad hanc amplitudinem excreverat. Iudaeis, ut Alexandriae, sic in hac urbe certas regiones attributas fuisse, vix dubitari potest. Ad hanc alteram urbem trahendum puto, quod Domnus s. Domnius chronographus [6]) tradit, Antiochiam urbem absolutam esse trigesimo ex quo prima fundamenta iacta erant anno, id est a. Chr. 270, undecimo Antiochi Soteris, qui Seleuco patri successerat. A quo Antiochio etiam nomen Antiochiae a multis urbi inditum esse traditur [7]): sed veriora

---

1) De his omnibus Malalas p. 347. (16 V.)

2) Antt. Iud. XII, 3. c. Apionem II, 4. Consentit Syncellus Chron. p. 274. Par. 520. Bonn.

3) de bello Iud. VII, 3, 3.

4) de bello Iud. VII, 5, 2. Civitatem Iudaeis concessam fuisse Iosephus Antt. Iud. XII, 3. inde evincit, quod gymnasiarchi, qui ceteris civibus oleum praestabant, Iudaeis, qui *ἀλλοφύλῳ ἐλαίῳ* uti religione prohibebantur, pecuniam pro oleo pendebant. Quod emolumentum ne Iudaeis a plebe Antiochena eriperetur, Mucianus atque Titus pervicerunt.

5) Sic Strabo l. l.: *τὸ μὲν οὖν πρῶτον αὐτῶν* (*μερῶν*) *ὁ Νικάτωρ συνῴκισε, μεταγαγὼν ἐκ τῆς Ἀντιγονίας τοὺς οἰκήτορας.., τὸ δὲ δεύτερον τοῦ πλήθους τῶν οἰκητόρων ἐστὶ κτίσμα.*

6) Apud Malalam p. 208. Cf. de nominis ambigua forma Bentleius ad Millium p. 73. Ox. 735. Bonn.

7) Iulianus Misopogone p. 347. ed. Spanh. Malalas p. 200. (84.) Lucianus ap. Tzetzam Chil. VII, h. 118. v. 170. Cedrenus p. 166. Par., qui scribit: Seleucum Antiochi pa-

tradere videntur, qui Seleucum patris sui honori hoc nomen tribuisse narrant [1]).

11. Cives Antiochiae vidimus plerosque fuisse Graecos et Macedones, id est homines, qui illis temporibus, quibus civilis vita et conditio cum ipsis nationibus quasi cognata existimabatur, multo meliore iure haberi deberent, quam Syriae pagani, qui agros vicinos incolebant, barbaramque maiorum linguam etiam Ioannis Chrysostomi tempore retinuerant [2]). Hinc Antiochenis et sub Regibus et a Romanis imperatoribus species quaedam libertatis relicta [3]). Cives omnes divisi in XVIII tribus, quae, sicut tribus urbanae Romanorum, urbis certae partes erant [4]). Huius populi sive *δήμου* [5]) erant comitia, quae Graecorum more in theatro habebantur:

---

trem, Antigoniam denuo condidisse (*ἐπικτίσαι*, quod ex Syncello sumptum est) et Antiochiam dixisse.

1) Pausanias Chronogr. apud Malalam p. 204. Idem Pausanias ap. Tzetz. Chil. VII. h. 118. v. 167. Appianus de reb. Syr. 57. Iustinus XV, 4, 8. Dionys. Per. 918. et Eustath. commentar. p. 281. Bernh., qui *τοὺς παλαιοὺς* testes advocat. Alii ab eodem excitati de matre Antiochide narrant. — *Ἀντιόχου ἄστυ* Themistius Or. IV. in Constant. leg. Pers. p. 68, 22. Dind., Antiochi muros Claudian. in Eutrop. II, 579.

2) V. Io. Chrysost. Homil. 19, 1. T. II. p. 189 a. de sanctis martyr. I. p. 651 a. *Συρίων δῆμος μεθύων καὶ κορδακίζων*, dicit Iulianus Misopogone p. 350. Spanh. Cf. Theodoret. hist. relig. 14. de Maesyma Syro Antiocheno. Etiam pagi Antiochiae vicini (*κώμας μεγάλας καὶ πολυανθρώπους* dicit Libanius p. 348.) plerique barbara nomina habent, velut pagus *Charandama*, non multum dissitus a Daphne (Vita S. Marthae in Act. Sanct. Maii T. V. p. 409. 414.), pagus *Gandigora* sive *Gandigura* eiusdem tractus (ib. T. V. p. 415. 416.), pagus *Ghisira* in agro Antiocheno (Assemanni Biblioth. V. II. p. 323.). Alius eius regionis vicus dicitur *Apate* (V. S. Simeonis iun. Act. Sanct. Maii T. V. p. 383.); alius *Thracon* (Stephan. Byz. s. v.).

3) *Antiochia libera,* Plin. N. H. V. c. 21. s. 18.

4) De tribubus Antiochenis Libanius Artem. p. 236. Antioch. p. 354. ad Theodos. p. 651. Libanii tempore singulae tribus singulos pugiles ad Dianae solennia Meroae celebranda mittebant. Etiam Alexandriae civitas in *φυλὰς* divisa erat. Ioseph. c. Apion. II, 4. Tribuum partes fortasse erant *γειτονίαι*, velut Ostracine (Euagr. II, 12.), Scepine (diss. II. §. 8.).

5) Libanius p. 321.

etiam Romanorum temporibus Antiochensibus hic consultare mos erat; ubi et Mucianus, Syriae praeses, cum milites in verba Vespasiani adegisset, Antiochenos allocutus est, satis decorus ille etiam Graeca facundia [1]). Etiam Titus, post Hierosolyma expugnata Antiochiae cum subsisteret, ut concioni populi interesse dignaretur, scilicet ut populi in adulationem effusissimi acclamationes audiret, magno studio nitebantur *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος* [2]). Senatum autem sive decuriones Antiochiae constat, Iuliani certe temporibus, CC virorum fuisse [3]), lectum ex gentibus, quae iam per plures aetates eundem statum civitatis et fortunarum conservassent [4]). Ne dignitatem eam nimis appeterent, munera, quae Graeci *λειτουργίας* dicunt, iis erant imposita [5]). Praeerant his inferioribus temporibus Antiochiae, sicut aliis municipiis, duumviri, qui in ludis edendis, quorum non alius populus amantior, non raro paternam omnem hereditatem profundebant [6]). Hi etiam agros publicos, qui Antiochenae civitatis erant,

---

1) Tacitus H. II, 80.

2) Iosephus de bello Iudaeo VII, 5, 2. De plebis iudiciis in theatro idem VII, 3, 3.

3) Iulianus Misopogone p. 367. Spanhem.

4) Hoc multis verbis dicit Libanius p. 315. Zosimus III, 11. p. 140. ed. Bonn. narrat Iulianum Antiochenorum senatum multum auxisse, cum omnes ad eum ordinem admitteret, qui vel a patre vel ab avo materno senatore oriundi essent. Habetur ea lex a. 362. lata in Theodos. Codice l. XII. t. 1. l. 51. V. Gothofredus amplius de ea re disserens, ad Theod. Cod. l. l. T. IV. p. 414. ed. Ritter. Ipse tamen Iulianus Misopog. p. 361. queritur, hunc Antiochenorum senatum quaestionem in auctores incendii, quo Daphnaea aedis consumpta fuerit, negligere et omittere. Cf. Iulianus Epist. ad Libanium p. 399. Spanh. Libanius pluribus locis orationis *περὶ δεσμωτῶν*, Antiochicae, aliarum orationum hoc collegium amplissimum magnis laudibus effert.

5) Libanius *περὶ τῶν δεσμωτῶν* p. 455. Cf. Malalas p. 295. (126.)

6) Hinc magistratus Antiocheni donis Principis iuvantur, ut sumptibus illis sufficere possint. V. Theodosii iun. Constitutionem, Theodos. Cod. l. XII. t. 1. l. 169. et cf. Gothofredus T. IV. p. 529. ed. Ritter.

maiores ipsi inter se diviserant et possidebant, minores civibus aliis, quos sublevare vellent, arandos concedebant [1]).

12. Non retineor hoc loco, quanquam alia iubet ratio operis mei, quominus praeter ostenta superstitiose credita etiam veras fati leges, quibus urbs hoc loco, his civibus condita, regi deberet, explicare studeam. Mixta erat Antiochena civitas ex Graeca comitate et eruditione [2]) atque barbaris moribus, quorum a contagio caveri vix poterat [3]), locoque sita terrarum amoenissimo et fertilissimo, caelo denique mitissimo. Hinc nusquam effusior luxuria, aucta illa Syriae religionum molli furore, quo populorum eius regionis mentes attonitae tenebantur. Hinc Daphnaea sacra quanquam Graecis numinibus, Apollini et Dianae, dicata erant', spirabant tamen eo in delubro omnia animum fervidius aestuantem et impotentius furentem. Hinc sambucistriarum et *Ambubaiarum collegia* [4]), quorum gratissima sedes erat Antiochia, hinc orchestrae antiquus honor ad mimorum lascivas facetias aliosque thymelicos lusus translatus [5]), et Romae mores tum primum insanabili ulcere sauciati, cum — ut satirici poëtae verbis utar — *Syrus in Tiberim influxisset Orontes.* At non sic tamen animos irretiverat et fregerat ea morum mollities, quominus interdum etiam saevo et cruento exardescerent furore, et Antiocheni magna turba ruerent in discrimina tanquam ad convivia. Hinc crebrae seditiones, bella ab urbe Regibus suis mota; post animus etiam in Imperatores Romanos procax et faceta quadam dicacitate lasci-

---

1) Libanius pro rhetoribus p. 211. R.

2) Cf. Cicero pro Archia poëta 3. Elegantia Antiochenorum de saltationibus iudicia laudat Lucianus de salt. 76.

3) Urbem semibarbaram dixit propheta Tyanensis. V. Philostratus Apoll. Vita I, 16. p. 19. De sacris Graecis et barbaris mixtis Idem p. 20. ed. Olear.

4) Nota haec ex Livio et Horatio. Cf. Libanius p. 363., qui Antiochenos dicit ad lucernarum, quibus urbs noctu collustrabatur, lumina pervigiles alios fabrilem operam navare, alios saltare et cantare, Vulcanoque et Veneri sic noctem communem haberi.

5) Quantopere mimis et thaumatopoeis gavisus sit Antiochus Cyzicenus, narrat Diodorus Exc. de Virt. et Vit. L. XXXIV. p. 606. (148. ed. Dindorf.)

viens [1]); et Imperatores civitati modo ambitioso operum publicorum splendore blandientes modo propter iniurias acceptas infesti. De lascivia illa atque hilaritate aliquid etiam ad rhetorum quae in Syria florebat sectam manavit [2]). Inerat tamen huic animorum temperamento etiam stimulus quidam ad altiora excitans. Inde postquam meliorum religionum igniculus mature huic civitati medullitus insedisset: gliscens earum savor, magna probitatis et sanctitatis exempla, ingens Chrictianae fidei martyrum caterva. Ne tamen credas plebis mores cum sacris esse mutatos: etiam Iuliani tempore eadem in Maiumae ludicro, quod ex antiqua Syrorum religione superfuisse puto, apparebat lascivia, quam olim fuerat paganorum [3]); pluresque, teste Imperatore, Antiochiae mimi quam

---

1) Turbidum et Antiochiae et Alexandriae vulgus dicit Ausonius Clarar. Urb. II. De facetis Antiochenorum dictis, quae ii ἀπὸ τῆς ἱπποδρομίας καὶ τῶν ἔξω θεάτρων etiam in ecclesiam transferebant, Io. Chrysostomus de Lazaro I, 11. T. I. p. 723. ed. Montfauc. Sic Verus Imp. risui fuerat omnibus Syris, i. e. Antiochenis et Laodicenis, quorum multa ioca in theatro in eum dicta extabant. Capitolinus Veri V. 7. Iisdem armis, id est facete dictis, pro Cassio pugnaverant. Capitol. M. Aurel. 25. Nulli rei idoneos esse Antiochenos nisi ἐπὶ τὸ χαριέντως καὶ μετὰ παιδιᾶς ἀποσκῶψαι, Severus imperator dicit apud Herodian. II, 10. Cf. Casaubon. in Spartiani Hadrian. 14. De εὐτραπελίαις et σκώμμασι Antiochenorum in Iulianum coniectis ipse Imperator Misopogone p. 344. et saepe; ἀναπαίστους appellat p. 365.; sicut alii Alexandrinorum ioca, quae significat Lucianus Lapith. 18. ἀνάπαιστα συγκροτῶν διεξῆλθε αἰγυπτιάζων τῇ φωνῇ. Cf. Ioannes Antiochenus in Exc. Vales. p. 844. Sed etiam Iovianum prosciderunt iidem homines dicteriis et parodicis versibus passim in viis sparsis parietibusve affixis. V. Suidas v. Ἰοβιανός. Etiam Iustiniani temporibus Ἀντιοχέων ὁ δῆμος (εἰσὶ γὰρ οὐ κατεσπουδασμένοι, ἀλλὰ γελοίοις τε καὶ ἀταξίᾳ ἱκανῶς ἔχονται) πολλὰ ἐς τὸν Χοσρόην ὕβριζόν τε ἀπὸ τῶν ἐπάλξεων καὶ ξὺν γέλωτι ἀκόσμῳ ἐτώθαζον, scilicet contumelias mox sanguine suo expiaturi. Procopius de bello Pers. II, 8. Ὑβρίζουσαν dicit Antiochiam Apollonius Tyan. apud Philostr. III, 58. p. 139. ed. Olear.

2) Syrophoenicas omnes, Eunapius scribit, habere in sermonibus ἡδὺ παὶ κεχαρισμένον τι, quod ab Atticis μυκτὴρ (irrisionis sanna) et ἀστεϊσμός appelletur, p. 133. Steph. p. 98 sq. Boissonad.

3) Maiumae ludicrum tertio quoque anno Artemisio sive

cives. Sed quo maiore aestu horum hominum animi urebantur: eo acrius etiam pugnatum est cum infirmitate humanae naturae. Et monebant dirissima ostenta de sorte humana et suppliciis divinis. Hinc Antiochiae imprimis renovata Gymnosophistarum Indorum crudelis palaestra; hinc strenuissimi illis locis fanaticae superstitionis athletae, Simeones illi Stylitae; et quo mollius in urbe vivebatur, eo severior erat diaeta anachoretarum, quorum cellis rupes urbi impendentes refertae erant, et qui duro montium solo tenuem, qui sufficiebat, victum surripere laborabant [1]). Omnino animus huius nationis ad omnem superstitionem propensior; et praeter magicarum caeremoniarum incantamenta (quibus etiam Germanicus

Maio mense per XXX dies, secundum Graecorum persuasionem Baccho et Veneri, pervigilio multis cum facibus et lampadibus magna laetitia et luxuria celebrabatur. Haec de Antiochena Maiuma Malalas p. 284. (101. C. D.) Libanius περὶ τῶν ἀγγαρειῶν p. 555. R., cum de inhonestis solennibus loquitur, quae nonnulli Daphnen introduxissent, a bono principe sublatis, sed a luxuriosis hominibus restitutis, haec sine dubio intelligit. Cf. idem περὶ τῶν δεσμωτῶν p. 455. ad Timocratem p. 385. Aliis in oppidis ad mare agebatur; atque etiam in Maiuma Antiochenorum natantes meretrices in theatro spectabantur, si ad Maiumam spectant quae Io. Chrysostomus refert homil. VII. in Matth. T. VII. p. 113. ed. Benedict. Hinc Maiumas Gazaeorum portus. Cf. Iulianus Misopog. p. 362. Spanh., Arcadii et Honorii edictum Theodos. Cod. XV, 6. Iustin. Cod. XI, 45. (a. 396. civitati redditum, denuo tollebatur hoc ludicrum a. 399.), et de Ostiensi atque Constantinopolitana Maiuma Suidas s. v. Multa de hac re Gothofredus in Theodos. Cod. l. XV. tit. 6. T. V. p. 404 sqq, sed non omnia diligenter examinata; nam quod Maiumam Loo mense per VII dies celebratam dicit (ex Iuliano p. 361. Theodoreto III. 14.): ea ad Apollinis Daphnaea sacra pertinent. Vocem ex orientalibus linguis repetendam duco, quanquam antiqui ipsi eam ad Maium mensem transtulerant. Rivini dissert. de maiumis, maicampis, roncaliis (in Graeviano diss. syntagmate) aliena inter se miscet. Cf. etiam Müller de genio saeculi Theodos. p. 41. Lobeck Aglaoph. p. 1023.

1) De his Theodoretus Eccl. Hist. IV, 28. *Καὶ τὸ ὄρος δέ τὸ τῇ μεγίστῃ παρακείμενον πόλει λειμῶσι* (sanctitatis) *ὡραΐστο.* De vita monachorum in montibus Antiochiae Chrysostomi Vita ap. Montfauc. T. XIII. p. 95. et ipse Chrysostomus in Ep. ad Ephes. hom. VI. 4. T. XI. p. 44. Hinc Macedonius post turbas sub Theodosio Magno motas descendit, et Principis Lega-

devotus esse ferebatur) inferioribus temporibus genethliologorum studium, ex Chaldaea et Babylonia illatum, mentes ita tenuit ut nusquam magis [1]); ac si orientalibus scriptoribus fides est, etiam Graecanicorum deorum templa, ut Saturni et Martis, pro delubris planetarum stellarum habita sunt [2]). Quas res in Gnosticam Saturnini haeresin, quae ex Antiochia maxime progressa est, non exiguam vim habuisse apparet. Sed redeo unde digressus sum.

13. Nunc quaerenti de forma et figura urbis a Seleuco Nicatore conditae, nulli dubium videbitur, iam tum ad regulam quasi et normam extructas esse plateas et fora et aedificia, eamque habuisse et aequalitatem et magnificentiam speciei, qua inter omnes urbes insignem fuisse Antiochiam, si ad Seleuci Callinici et Antiochi Epiphanis tempora devenerimus, apertius demonstrare licebit.

Eodem iure sumi poterit, multis et splendidis operibus conditorem urbem suam auxisse. Verumtamen paucorum tantum memoria extat. Bottii Iovis delubrum ab Alexandro conditum esse supra memoravimus; quare quod Malalas [3]) scribit, a Seleuco constitutam esse eam aedem eodem tempore, quo fundamenta Antiochiae iacta essent, de amplificato potius delubro intelligemus.

---

tos acerbe castigavit. Nicephorus XII, 44. *Οἱ τὰς ἀκρωρείας τῶν ὀρέων οἰκοῦντες μοναχοὶ* in eadem re commemorantur a Glyca p. 477. Bonn (257. Par.). A Libanio eremitae traduntur e spelaeis descendisse ac per plateas urbis hymnos decantasse, *περὶ τῶν δεσμωτῶν* p. 458.

1) Etiam Christianos genethliaca superstitione laborasse et incantamentis multos operam dedisse queritur Io. Chrysostomus in Epist. ad Cor. hom. IV, 6. T. X. p. 32. Montf. Cf. in Ep. ad Ephes. hom. VI, 4. T. XI. p. 44. Sub Iustiniano Amantius Comes in Orientem missus Antiochiae astrologiam e mentibus evellere multa cum violentia, etiam librorum concrematione, intendit. V. Nicephorus Vita S. Simeonis iun. in Act. Sanct. Maii m. T. V. p. 372. De acerbissima magicorum librorum conquisitione a. 374. facta, qua ipse Io. Chrysostomus in vitae discrimen adductus est, v. Chrysost. T. IX. p. 293. et Vitam eius T. XII. p. 96. De alchymisticis Antiochenorum studiis v. Theophanes (sub Anastasio) p. 103. Malalas p. 395. (39.)

2) Hadschi-Chalifa *Gihan-Numa* p. 344.

3) p. 200. (84.)

14. Plura de Fortuna Antiochensium dicenda habeo. Ac primum quod ad nomen huius numinis, *Τύχη Ἀντιοχείας* s. *τῆς πόλεως* [1]) attinet, id non Fortunam omnium rerum gubernatricem ab Antiochensibus cultam, sed ipsius Antiochiae sortem divinitus constitutam, sive quod ipsi civitati numen inesset, significabat. Itaque recte Romani hoc nomen in suum sermonem convertentes Tychen eam Genium Antiochenum dixerunt; sic enim Ammianus [2]) nuncupat, et sic etiam in numis [3]) adscriptum videmus eidem speciei muliebri, qua *Τύχην* illam repraesentari mox videbimus. Denique numis illarum regionum et scriptorum testimoniis inter se collatis apparet, eas species, quas archaeologi nunc urbium deas ipsasve urbes appellant, ab antiquis tum temporis *Τύχας* urbium dictas fuisse. Haec igitur Antiochiae Fortuna statuam habebat aeream auratamque. Fecerat eam, quod Pausanias refert [4]),

---

1) Sic Malalas p. 201. (85.) 276. (117.)

2) Hic Iulianum narrat Antiochiae Kalendis Ianuariis adscendisse gradile Genii templi. XXIII, 1, 6. Non recte Wagnerus P. R. Genium hic significari scripsit. Rectius multo Valesium Euagrium I, 16. conferri iubet. In ea notione, quam superiore loco proposui, puto litem tolli diversarum de hac Fortuna VV. DD. opinionum. Has nuper prolixo commentario recensuit I. V. Francke Inscript. Richter. p. 126. 468., ubi de Aeresiorum Tychaeo dicit. Cuius signum *Τυχαία* (i. e. *στήλη*) appellatur, sicut a Malala p. 58. D. Ven. statua Tyches Nyssaeae. Quod autem Francke p. 470. secutus Lobeckium Aglaoph. p. 595. contendit, Tychaea Graecarum urbium Romani moris imitatione orta esse: id falsum esse hoc ipsum Antiochiae Tychaeum fateri cogit.

3) V. Mionnet *Description de Médailles* T. V. p. 214 n. 515. Beger, Thesaur. Brandeb. III. p. 185. Herculani erutum est sigillum Fortunae cum titulo: *Philemonis Secu. Mag. Gen. C.* i. e. Genio Coloniae. V. Antiqq. Herculan. T. VI. tb. 28. explicationem Academicorum p. 109.

4) Pausaniae VI, 2, 4. verba sunt: *Εὐτυχίδης Σικυώνιος παρὰ Λυσίππῳ δεδιδαγμένος· ὁ δὲ Εὐτυχίδης οὗτος καὶ Σύροις τοῖς ἐπὶ Ὀρόντῃ Τύχης ἐποίησεν ἄγαλμα μεγάλας παρὰ τῶν ἐπιχωρίων ἔχον τιμάς.* Esse hanc statuam in numis expressam, vidit Viscontius Mus. PioClem. T. III. ad tab. adi. A, 8. p. 72., quem sequitur Gerhardus in Descr. Romae T. II, II. p. 265. Viscontius si Malalam adhibuisset, nihil mihi dicendum reliquisset. De sacrificiis huic Fortunae oblatis scribit etiam Malalas p. 201.

Eutychides, Sicyonius, Lysippi discipulus [1]): quae artificum secta tunc omnium maxime florebat, et regum Macedonicae stirpis desideriis satisfacere valebat. Sedisse hanc statuam supra Orontem fluvium, Malalas significat [2]) quod quemadmodum intelligendum sit, ex numis Antiochenis intelligitur, quos eandum statuam referre dubitari non potest. In his habemus mulierem stolatam velatamque, turrita corona ornatam, saxo insidentem, quo Silpium montem significari verissima est opinio [3]). Sinistra manu saxo huic inniti videtur (quanquam hoc in numis non satis apparet), dextra spicam frumenti tenet, quae quidem saepe cum palma commutata est, quod victoriae vel imperii caussa factum esse videtur, quae Antiocheni principi cuidam gratulabantur [4]). Sub pedibus denique huius mulieris iuvenis attollitur, dimidio fere corpore ex undis eminens; hunc iuvenem Orontem esse fluvium, iam apertum est [5]) Deam sic figuratam conspicimus in numis, qui Antiochiae sub Tigrane Armeniae rege tum Syriam obtinente [6]), et deinde

---

1) De Eutychide nuper dixit Raoul-Rochette *Lettre à Mr. Schorn* p. 73. 74. Idem V. D. l. l. p. 32. Fortunae Antiochenae caput, coniectura probabili sed non plane certa, agnoscit in gemma scalpta ab eodem Aspasio, qui capite Palladis ornatissime caelato Inclaruit. V. illud caput corona murali insigne in Museo Worseyano tab. ad p. 43. n. 6. Cf. annot. 12.

2) p. 276.

3) Vaillantii, Num. aerca Imp. in colon. percussa T. II. p. 24. 25., et Begeri Thes. Brandeb. T. I. p. 734. Viscontius (Mus. PioClement. T. III. ad tab. 46.) quod Tiapezontem hunc montem dixit, non recte fecit. Trapezon enim in campo Antiocheno, ab urbe versus aquilonem dissitus erat. Strabo XVI. p. 751.

4) In numis Tigranis et Imperatorum plerisque dea dextra palmam tenet; spicas humum versus porrectas in numis Antiochiae coloniae, in quibus non ad dextram sed ad levam spectantis conversa est.

5) Fluvios iuvenum specie exhiberi, notissimis demonstrant exemplis Hipparis, Aesarus, Acragas, Melas, Cydnus, Hermus, Pyramus, alii.

6) V. prae caeteris Mionnet T. V. p. 108. n. 939 sqq. Cf. Eckhel. D. N. I. III. p. 247. Numus huius formae ex forma sulphure expressa adumbratus est in tab. adi. d. Cf. Van Damme Numi regum tb. 69. Pellerin *Médailles de Rois* pl. 13.

Augusto et Tiberio imperantibus [1]), postea sub Traiano, Commode, Elagabalo, Severo Alexandro aliisque signati sunt [2]); atque in aliis, qui quod Imperatorum nominibus non signati sunt, autonomi apellantur; eiusdem autem deae caput velatum turritaque corona insigne maxime in numis urbis extat, qui ultimis Seleucidarum temporibus provenerunt, sed postea in numis sub Imperatoribus cusis sexcenties recurrit [3]). Sed superest etiam statua Vaticani Musei, quae Fortunam illam Antiochenam perinde ac numi proponit. Quae quanquam rudiore opere facta est, post Septimium Severum ut videtur, quo tempore Syriacorum sacrorum Romae summus erat honos [4]): inest tamen in positura membrorum et vestium dispositione aliquid, quod Lysippi discipulo non indignum vi-

---

1) Ab a. XXV. usque ad XLV. Actiacae computationis (v. Mionnet p. 156. n. 74 sqq. 157. n. 83 sqq.), interdum cum titulo *Ἀντιοχέων μητροπόλεως* (a. XXXVI. XLII.). Notissimus, etiam propter Christianam annorum computationem, numus sub P. Quintilio Varo Syriae praeside (cuius in Syros acerbitatem nostri populares ulti sunt) ap. Gessnerum Num. Pop. X, 19. et in Mus. Sanclement. tb. 6. n. 12. 13 in tab. adi. b. Cf. de eo Norisius Ann. Syromaced. diss. III. c. 7. p. 247. Vaillant in Hist. Acad. Inscript. T. II. p. 534.

2) Mionnet p. 175. 177. (de argenteis); p. 205. 206. (de aereis). Cf. Vaillant Num. aerea Imp. in col. perc. II. p. 33. 107. et pluribus locis. Numus qui est apud Vaillant p. 161., repetitus est in tab. adi. c. Alium v. apud Viscontium Mus. PioClem. III. tv. agg. A, 8.

3) Extat hoc caput in numis *ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ*, Seleucidarum a. 225, et sequentibus signatis quo tempore Antiochia monetae feriendae ius regulis suis extorsisse videtur; v. Eckhel. D. N. I, IV. p. 268. Mionnet p. 149. n. 17 sqq. et in numis inter a. 104. et 207. Antiochenae comput cusis, Mionnet p. 159. n. 101 sqq. Cf. aerei sud Philippis signati, apud eundem p. 208. n. 485. 210. n. 496 sqq. — V. hoc Antiochiae caput apud Beger. Thes. Brandenb. T. I. p. 510. Gessner. Num. pop. X, 18 sqq. Pellerin *Recueil de Méd. de peuples* V. III. pl. 67. n. 8. 9. et in tab. adi. a. In postica horum numorum saepe ara (Tychaei, puto), saepe aries, neque raro cum stella (v. §. 9.) conspicitur. Idem Antiochenae Fortunae caput, subiecto ariete, iaspidi rubro insculptum vidi inter cimelia Vindobonensia.

4) Observavit hoc Viscontius Mus. PioClement. T. III ad tab. 46.

deri possit. Sed ut in describendo hoc Eutychidis opere progrediamur; Antiochiae urbi additae erant statuae regum Seleuci et Antiochi, caput illius corona redimientium [1]): quemadmodum his temporibus saepe et civitatis et reges ab aliis populis principibusque aut a Virtute coronati fingebantur. In numis tamen statuarum sic compositarum nullam invenio imaginem, nisi quod Severi Alexandri aereus numus Antiochenum illud numen ab hoc ipso Imperatore coronatum, adstante Fortuna repraesentat [2]). Illud autem de Antiocho et Seleuco aut ad Antiochum Seleuci Nicatoris filium cum patre coniunctum referendum est [3]); aut statuendum (quod minus probabile), statuas eas postea, eo fortasse tempore quod Seleucus Callinicus et Antiochus Hierax coniuncti Syriae imperium restituerant, Antiochiae imagini additas esse.

15. Etiam hoc de hac statua traditum habemus, positam eam fuisse *ἐν τετρακιονίῳ*, id est in aedicula ex quatuor columnis composita, undique perlucente [4]). Malalae tamen de ea re verba fortasse aliter interpretaremur, nisi numi iterum commentarii vice adessent, in quibus mulier illa turrita quasi intra templum tetrastylum, Ionicis columnis et tecto singulari ratione fastigato insigne, posita conspicitur [5]). In quibus qui

---

1) Malalas p. 276.

2) Vaillant Num. aerea Imp. in coloniis percussa V. II. p. 162. Mionnet p. 207. n. 479. Itidem in onyche caeruleo et nigro, qui in thesauris Caesarei Musei servatur, Antiochena dea insculpta est, Oronti insidens, laeva cornu copiae tenens, coronata ab Imperatore laeva adstante; dextraque parte adstans Fortuna, cornu copiae et gubernaculo insignita. — Fortuna Antiochiae sola extat in iaspide rubro Musei Berolinensis. V. Tölken *Erklärendes Verzeichniss* 1837. p. 237.

3) Antiochia cum conderetur, Antiochus hic iam XXV annorum erat, quod intelligitur ex Porphyrio apud Eusebium, Armeniaci contextus p. 185. Cf. Clinton Fasti Hellen. T. II. p. 309 sq.

4) Malalas p. 276., quo loco obscurius dicitur *στήσας ὑπεράνω τεσσάρων κιόνων — στήλην*.

5) Numi huiusmodi signati sunt inde a temporibus Philippi maioris ad Valerianum usque. Mionnet T. V. p. 209. . . 214. Vaillant Num. aerea Imp. in colon. percussa T. II. p. 278. 289. 296. et al. locis. Museum S. Clement. tb. 34. n. 376 sq.

supra hanc aediculam fictus est, aries, sicut superiore loco cum augurio illo, ita cum numine urbis tanquam faustum eius sidus coniunctus est. Horum autem τετραχιονίων non dubitandum quin usus fuerit eo tempore pervulgatus, atque ab Antiochia ad barbaras Syriae urbes, quarum opera publica ad exemplar Antiochiae extructa fuisse pluribus documentis ostendam, translatus. Nam etiam Palmyrae in magna illa platea, quae per mediam urbem dirigebatur, tetracioniorum extant rudera [1]), quae non sedentibus quidem, sed stantibus signis accommodata fuisse, forma eorum cum tetracionio Antiocheno comparata, apertum fit; idemque structurae genus Gerasae in magna platea columnata observatur [2]).

De loco, quo haec Antiochiae statua posita fuerit, supra fluvium eam collocatam fuisse, relatum legimus [3]). Postea eadem cum tetracionio suo translata est in Nymphaeum theatri, in quo Traiani temporibus erecta esse traditur [4]). Hoc Nymphaeum ubi et quale fuerit, alio loco declarabitur. Inferioribus temporibus Tychaeum s. Genii templum Antiochenorum memoratur [5]), quod Theodosio iuniore imperante in tem-

---

1) Wood Palmyra tb. 42. Cf. tb. 1, l. o. 2, 10. Cassas tb. 53., in qua tabula praeter quattuor tetracionia, quae in media fere porticu tetrasticho composita sunt, aliud indicatum est idque maius propius ad Neptuni quod vocant templum, a magna porticu septentrionem versus.

2) Burckhardt *Travels in Syria* p. 255. 262., qui notat, etiam hic quaterna tribunalia sive podia sic plane, ut in Palmyrae ruderibus, in platea illa disposita esse. Statuarum in iis repositarum vestigia agnoscit Buckingham *Trav. in Palestina* p. 379. Tetracionii exemplum Du Cangius in Glossario med. Graec. ex Epiphanio de locis SS. affert p. 1551. Nescio ad idem aedificii genus sit tetrastylum, quod Antoninorum tempore in Actis fratrum Arvalium memoratur. V. Marini Act. fr. Arvalium P. I. p. 277 sq., et quae idem ex aliis titulis affert p. 301.

3) *ὑπεράνω τοῦ ποταμοῦ*, Malalas p. 201. De nomine *Αἱμάϑης* supra §. 10. p. 27. n. 3. dictum est.

4) Malalas p. 276. Non eo loco de eadem statua dici, quanquam ab ipso Malala ut videtur non intellectum, apertum tamen est.

5) Iulianus in Misopogone p. 346. Spanh. Ammianus XXIII, 1, 6. Libanius *ὑπὲρ τῶν ἱερῶν* T. II. p. 201. R.

plum S. Ignatii, martyris Antiocheni, conversum est [1]. Id Tychaeum nescio an simile fuerit illi, quod a Sophista quodam, sive Libanio sive Nicolao [2], descriptum habemus, quod a Pantheo Agrippae specie et distributione partium non multum diversum fuisse crediderim [3].

Praeter hanc Antiochiae Fortunam etiam Antigoniae Tyche pristinis ex sedibus avecta Seleuci urbi ornamento fuit. Etiam haec statua aerea erat et tetracionio imposita. Ara ei addita erat, ipsa cornu copiae tenebat. Quod cum in simulacrum Fortunae cadat, quod in numis Demetrii Soteris conspicitur; fere adducor ut hac Antigoniae Tychen significari existimem [4]. Quanquam, cum rationes afferre ne-

---

1) Euagr. Hist. Eccl. I, 16. Nicephorus XIV, 44. Act Sanct. Febr. mens. T. I. p. 34.

2) Libanius T. IV. p. 1113. ed. Reiske. Nicolai Progymnasmata in Rhetor. Graec. ed. Walz. T. I. p. 408.

3) Erant enim in muro, nisi fallor, totum aedificium ambiente et in orbem circumducto duodecim semicirculi, binis utrinque columnis exornati, in quibus duodecim dii stabant. Summum locum tenebat statua Soteris *τοῦ οἰκιστοῦ* (Ptolemaei Soteris, i. e. primi, puto), qui omnia frugum genera, quibus civitas nutriebatur, manibus tenebat. In media aede collocatum erat Fortunae simulacrum, a qua Terra coronabatur, quae Alexandrum corona ornabat. Persuasi mihi, hoc Tychaeum Alexandriae fuisse in acropoli (nam Museum non longe dissitum fuisse traditur) extructumque esse a Philadelpho, qui patrem suum Soterem consecravit. Adiectae erant etiam ceterorum regum, Ptolemaeorum ut puto, aereae imagines. Cf. Aphthonii Progymnasm. c. 12. p. 108., 1. ed. Walz., et quae de ea quaestione (cui expediendae hic non vacamus) scripsit Heffter in Zimmermanni Ephemer. 1839. p. 388.

4) V. de his numis, Seleucidarum a. 158. et in sequentibus signatis, Mionnet T. V. p. 43. n. 364. Viscontii Iconogr. Graeca tb. 46. n. 26. cf. Van Damme Num. regum tb. 37. Mulire ibi conspiictur solio insidens, quod Tritonidis (s. ut vulgo dicunt Sirenis) figura sustinetur, dextra scipionem, sinistra cornucopiae tenens. Quae si pro Antiochensium Fortuna habetur: id aperte cum iis quae supra attuli. (Quanquam etiam haec non raro in numis Tigranis cornucopiae sinistra tenens fingitur. Eckhel. D. N. I, III. p. 247. Mionnet T. V. p. 108. n. 944: sed reliqua omnis Antiochensium Fortunae species differt.) Quod autem Malalas p. 201. scribit, Antigoniae Tychen a Demetrio Poliorcete

queam, quae hunc potissimum regem adduxerint, ut veteris Antigoniae honorem instauraret, praestabit fortasse hanc mulieris figuram Syriae terrae appellatione distinguere. Ceterum plurimae Syriae, Euphratensis maxime, et Asiae minoris, maxime Ciliciae, urbes Fortunas suas simili specie coluerunt, quarum innumera documenta in numis supersunt [1]).

16. Cetera signa et monumenta, quae a Seleuco Antiochiae posita fuisse memoratur, in margine subnotasse sufficiet [2]): cum omnium maxime hoc loco postulari videatur, ut de Daphnes delubro dicam, quod ab Antiochiae antiquitatum memoria omnino seiungi non potest.

Hic locus terrarum facile amoenissimus et qui mox tan-

---

post Seleuci obitum Rhosum in Cilicia translatam esse: id non potest non esse falsum, cum Demetrius Seleuci hospitio exceptus ante hunc regem obierit. Fortasse hoc de Demetrio Sotere acceptum ad Poliorcetam imperite transtulit scriptor ille.

1) Quid quod Seleucidarum regum potentia latissime patente diffusus hic typus etiam ultra fines regnorum Macedonicorum manavit. Certe Indus fluvius in numis regis AZOY eodem modo quo hic Orontes repraesentatur. V. Rad. Rochettius *Deux. Supplément.. sur q. méd. Gr. de la Bactriane et de l'Inde (Journ. des Savans* 1836) p. 45.

2) Memoratur statua aerea Minervae *φοβερὰ* a Malala p. 201; fortassean haec eadem sit, quae in numis Seleuci I elephantorum curru vecta dextra hastam vibrans, laeva scutum protendens conspicitur. Eckhel. D. N. I, III. p. 212. Mionnet *Descr.* V. p. 4. n. 20—22. Hanc Minervam *φοβερὰν* cum Iove Ceraunio (et hoc Seleuci opere) Malalas narrat Pompeii temporibus a Byblo quodam Antiochia avectam et Romae in Capitolio dedicatam esse, p. 212. (89.) Certius definio, eos numos, qui equi frenati et cornuti protomen exhibent (Eckhel. D. N. I, III. p. 211. Mionnet. *Descr.* V. p. 2. n. 1. p. 4. n. 23.: in opere Van Dammii Num. regum tb. 20, 3. et Viscontii Iconogr. Graeca tb. 46, 1.) ad eum equum, quo vectus Seleucus Antigoni manus effugerat, respicere. Huius enim caput, pone adiecta casside aurata, ex marmore posuerat Seleucus in regione suburbana trans Orontem, Malal. p. 202. Equi frenati caput et cassidem iuncta videre est in sarda, cuius ectypum vulgavit Instit. Archaeol. *Impronte Gemmarie dell' Instit. Cent.* II, 73. Etiam Amphionis sacrificuli marmoreum signum tum ad eam portum, quae postea Romanesia dicebatur, erectum esse traditur, p. 202.

tam celebritatem adeptus est, ut ipsa magna urbs, tanquam delubri additamentum, Ἀντιόχεια ἡ ἐπὶ Δάφνῃ sive πρὸς Δάφνην appellaretur [1]), iam a primo rege, Seleuco Nicatore, eximie ornatus esse traditur. Hic enim, cum omnino loca occidentem versus urbi subiecta arbustis nemoribusque laetius florerent quam caetera [2]), locum nativa pulcritudine, convallium amoenitate (τέμπεα Δάφνης dicit Dionysius Perieget a [3]) et perennibus aquis lucorumque umbra omnium maxime conspicuum elegit, quem Pythio [4]) Apollini dedicaret [5]), ei scilicet deo, quem Seleucidae ambitiosa semper veneratione colebant, et quem Seleuci ipsius genitorem fuisse, adulatrice fama percrebuerat. Narrabatur etiam, Apollinem cum Daphnen

1) In numis, Antiocho IV regnante cusis (Mionnet T. V. p. 36. n. 316 sqq.), legitur Αντιοχεων των προς Δαφνῃ (cur in his potissimum, causa ostendetur §. 24.); postea sic saepius. E scriptoribus Ἀ. ἐπὶ Δάφνῃ scribunt Strabo XVI. p. 750. Iosephus Ant. XVII, 1. B. I. I, 12, 5.; ἡ πρὸς Δάφνην Hierocles Synecd. p. 711. Wessel.; *Epidaphne* Plinius V, 21. V. etiam Dionys. Perieg. v. 918.

2) Libanius Antioch. p. 356. *οἱ δ' αὖ πρὸς δυσμὰς τό τε πολύδενδρον καὶ καθαριότητα πλείω καὶ τὸ ἥδιστον γειτόνημα τὴν Δάφνην (παραφέρουσιν).*

3) Dionys. Per. 916 Iulianus Epist. ad Libanium p. 400. Spanh. Daphnen comparat cum Ossa, Pelio, Olympique cacuminibus et Thessalicis Tempesi.

4) Pythium Apollinem dicit Theodoretus Eccl. Hist. III. 10. 11. (Etiam Pythiorum nomine Daphnaea sacra dicta esse censet Boeckh Corp. Inscr. T. I. p. 821. Sed retractat idem V. D. hanc coniecturam per se satis probabilem propter alius tituli similitudinem, in quo Daphnenses ludi intelligi non possunt, Corp. Inscr. T. II. p. 659.) Hinc fabula de Daphne et Castalius fons et alia translata. Etiam septem dies solennium (Theodoret. III, 14.) a Pythiis Delphorum sumpti esse videntur. Splendidissima haec solennia Loo mense, i. e. Augusto, celebrabantur. V. Iulian. Misopog. p. 361. Spanh. Norisius Ann. Syromaced. III, 6. p. 237.

5) *Seleucus campos vicinos urbi Apollini dicavit.* Iustinus XV, 4, 8. Consentit Sozomenus V, 19. Nicephor. H. Eccl. X, 28. De ostentis, quae Seleucum, ut hic Apollinis delubrum strueret, permoverint, Liban. p. 302. Fuit inter ea etiam oraculum a Didymaeo Apolline acceptum (p. 303.), quem quantopere Seleucidae coluerint, ex titulis notum est.

virginem non assecutus esset, antequam ea in laurum arborem mutaretur (quae ipsa laurus in Daphnaeo delubro visentibus monstrabatur) [1]), hoc loco sagittas omnes humum proiecisse, uniusque earum auream cuspidem his locis delituisse, donec Seleuci equus ungula humum feriens eam detegeret inscripto titulo *ΦΟΙΒΟΥ* notabilem. Ad hanc fabulam nescio an applicanda sit imago illa in numis Seleucidarum sexcenties reperta, imago dico Apollinis, vel sedentis vel stantis, dextraque manu sagittam tenentis, quam in terram proiecturus esse videtur [2]). Sed ut ad locorum descriptionem revertar, Daphne ab urbe spatio XL stadiorum dissita [3]), et, Libanio teste, occidentem versus sita erat, sed ita ud magis ad meridiem vergeret: nam ad montes, qui ab urbe ad mare usque protenduntur, admotum fuisse hoc delubrum, inde apparet, quod supra Antiochiam situm fuisse dicitur [4]) et aquae inde in urbem deducebantur [5]). Qua cum re convenit, quod Itinerarium Hierosolymitanum [6]) Daphnen V. m. p. ab Antiochia, in ea via ponit, qua per montes versus meridiem urbi adiacentes Laodiceam itur. Eaque in via etiam Anvillius hoc delubrum fuisse statuit, quo loco nunc *Beit-ul-Mei* (i. e. do-

---

1) V. de ea maxime Arrianus apud Eustath. ad Dion. Per. 918. p. 280. *Phoebeae lauri domum* hacpropter Antiochiam dicit Ausonius Clar. Urb. II.

2) Quod ea Apollinis figura sinistro latere tripodi innititur, etiam hoc ad Castalium fontem et ad cognomen Pythii in Daphnaeo delubro trahendum puto. Notandum, quod etiam Tyche illa, de qua §. 15. extr. dictum est, scipionem eodem cum gestu dextra tenens fingitur. — Si autem de primario huius *σχήματος*, quod in numis non raro reperitur, significatu quaeris, mihi persuasum esse affirmo, sagittam sic prona manu et cuspide ad terram directa prehensam iram dei mitigatam significare.

3) Strab. XVI. p. 750. Consentit Sozomenus cum Nicephoro, qui Babylae martyris ossa Daphne in urbem per XL stadia a Christianis perducta esse narrat.

4) Strab. l. l. *Ὑπέρκειται δὲ τετταράκοντα σταδίους ἡ Δάφνη.* Hinc Eustath. ad Dion. Per. 918. p. 280.

5) Libanius p. 353. Cf. infra p. 45. n. 1 et diss. II. §. 9. Willermus suo tempore aquarum ductus a Daphne ad Antiochiam superfuisse testatur, IV, 10.

6) p. 581. apud Wesselingium.

mus aquarum) pagus extat: ubi duo rivi fracto et praecipiti cursu a montium arduis decurrentes Orontis convallem petunt [1]). Hunc fluvium, constat, praeter depressiora Daphnaei delubri loca non multa spatio disiunctum cursum tenuisse [2]). Cum Antiochia urbe Daphne coniuncta erat suburbio, quod Heraclea sive Heracleis dicebatur [3]). Quae Heraclea, moneo, ne cum Heraclea oppido, cuius Strabo et Ptolemaeus mentionem iniiciunt, commutetur; hoc enim in Cyrrhestide, id est orientem versus ab Antiochia, situm erat [4]). Via, qua per Hera-

---

1) Hunc locum describunt Kinneir p. 158. et Richter p. 284. qui per eum Laodiceam iter fecit altos campos et confragosas valles permensus. Ab urbe V vel VI m. p. dissitus esse dicitur (duarum horarum via, a Richtero). Inter rudera multorum aedificiorum aquaeductus est, idem haud dubie, de quo dictum annot. 10. Rousseau in tabula hunc aquaeductum appellat *Beit-il-Ma*, locum, unde proficiscitur, *Doueir*; Poujoulat, *Corresp. d'Orient* T. VII. p. 203., locum, unde aquae nascuntur, *Beit-el-Moié (maison de l'eau)*, hortos circumjectos *Doueir*. Hic etiam prope ad amplissimum fontem antiqui aedificii reliquias extare tradit. — Alius locus est, Babylae dictus, ex quo fluvius *Kersasu* Oronti medio fere loco inter urbem et ostia iungitur, VII m. p. ab urbe dissitus, amoenissima in convalli eaque plurimis fontibus irrigua, quem Kinneir p. 155. ante coniecerat Daphnen fuisse. Id hac propter minus probabile, quod Babylae ossa, postquam a Iuliano Daphnaeo delubro eiecta erant, quantum novimus, nunquam reposita sunt. V. diss. II. §. 15.

2) *Cupressi, quales non divite ripa lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.* Claudianus de raptu Pros. II, 373.

3) V. Malalas p. 204. (86. V.), ex quo Minervae templum in Heracleïde fuisse discitur. De eodem suburbio Libanius p. 290., qui id h. l. et p. 301. ab Heraclidis quibusdam primum cultum esse narrat. Cf. Wernsdorf. in Avien. 1078. Daphnen et Heracleam miscet Malalas l. l. Eustat. in Dionys. Per. 916: *Δάφνη ἐπὶ Αντ. ἥ ποτε πόλις Ἡρακλείας* (scribe *Ἡρακλειάς*), non perperam, si Daphne cum Heraclea continuis villis coniuncta erat. Atque ipsa Daphne *προάστειον* dicitur a Cassio Dione LI, 7., Libanio p. 301. et Iuliano, ac Procopio B. P. II, 8. 11. *Amoenum illud et ambitiosum Antiochiae suburbanum* dicit Ammianus XIX, 12, 19. Aliud suburbium Platanon fuisse videtur, quod ab Antiochia in Ciliciam euntes permeabant. Procop. de aedif. Iustin. V, 5.

4) Neque ea Heraclea, quam Stephanus Byz. *ἐν Πιερίᾳ* collocat, hoc Antiochiae suburbium erat, sed Heraclea ea non longe ab Orontis ostiis dissita.

cleam Daphnen ibant, laeva fontibus, lavacris, deversoriis magnisque hortis et lucis, dextra splendidis domibus, vineis rosetisque et rivulis ea irrigantibus amoenissima erat [1]), Hac parte Orontis flumen a via non longe aberat [2]). Ipsius Daphnaei luci circuitum octoginta stadiorum fuisse narrat Strabo [3]). Quo ingenti ambitu quot fontes [4]), balnea, aedes, porticus, deversoria, hortuli continerentur, nemo quasi subducta ratione tradere conatus est, sed omnes qui de eo narrant, quasi de Veneris et Gratiarum horto, suavissimoque terrarum angulo, memoriae iucunditate paene abrepti et instincti locuntur. Inter recentiores antiquitatis sensum nemo ore rotundiore interpretatus est quam Eduardus Gibbo Britannus [5]), cuius laudes aemulari, praesertim in hac antiquariae opellae tenuitate, insipidi esset hominis. Hoc loco, nam infra ad alia aedificia Daphnae extructa revertendum erit, aedes deorum memorare sufficiet, qui principes hoc in luco colebantur.

---

1) Libanius p. 349. *πάντα μὲν οὖν (τὰ προάστεια) τῆς αὐτῆς ἰδέας, τὰ δὲ δὴ πρὸς δυσμὰς, ἩΡΑΚΛΕΙΣ. ὡς πάντα μὲν ἄλλα, πάντα λόγον νικᾳ*, et quae secuntur, quibus via Daphnen usque continuata describitur. Qui locus multo magis perspicuus fiet, si scripseris *ἩΡΑΚΛΕΙΑ*. Nam asseveratio illa hoc loco vix ferenda est.

2) Libanius pro rhetor. p. 213. R. *ἀγρὸν .. τῆς πόλεως κάλλιστόν τε καὶ πολυοινότατον, ἐν δεξιᾷ χωροῦντι πρὸς Δάφνην, παρ' αὐτὸν τὸν ποταμόν.* — Etiam ultra Daphnen in litore Antiocheno horti erant cum lavacris iucundissimi. V. Anthol. Palat. IX, 680.

3) Strabo p. 750. Eustath. l. l. Tot stadiorum ambitum fuisse puto, ex quo Pompeius delubrum agro spatioso addito auxerat. Eutrop. VI, 14. Cf. Tzschuckius. Non recte Pompeium Daphnaeum lucum consecrasse scribunt Sext. Rufus Brev. c. 16. et S. Hieronymus ad Ezechiel. 47, 18. T. V. p. 599. ed. Vallars. et in Chron. a. 1949.

4) Libanius p. 352. Inter hos erat, qui Castalius dicebatur, de quo fonte Daphnaeo Ammianus Marcell. XXII, 12, 8. Euagrius I, 16. Sozomenus V, 19. Nicephorus Eccl. Hist. X, 28. Erat hic Castalius, credo, inter eos rivos, qui Apollinis aedem utrinque cingebant. Libanius p. 353.

5) Gibbonis *History of the Decline and fall of the Roman empire* c. 23. T. II. p. 396. (1781.)

17. Medium locum tenebat asylum Temenos, in quo erant aedes Apollinis et Dianae [1]), consitum id cupressis altissimis et pulcerrimis, quae a Seleuco rege primum plantatae esse ferebantur [2]): in quo quotannis, decimo die Loi, id est Augusti mensis, diis sacra solennia celebrabantur, summa cum frequentia et Antiochensium et vicinorum populorum [3]). Apollinis aedis, quae instaurata a Diocletiano [4]), eo tempore, quo Iulianus Antiochiae sedens bellum Parthis inferendum parabat, incendio iterum vastata est (quod caelitus immissum an a Christianis illatum an aedituorum incuria ortum esset, summa cum invidia tum contendebatur [5])), qua fuerit specie et figura

---

1) Strabo XVI. p. 750. (De asylia cf. Maccab. libr. II, 4, 33.) Dianae templum si a Traiano extructum dicit Malalas p. 277., de refecto dicere volebat, ut in multis. Nam idem, de quo Strabo, intelligit, *τὸ ἐν μέσῳ τοῦ ἄλσους*. Vastaverat autem etiam Daphnen terrae motus anni p. Chr. 115.

2) Malalas p. 204. Eustath. ad Dion. Per. 918. p. 280. Cf. de his cupressis Libanius Antioch p. 351. Sozomenus V, 19. Avienus v. 1078. Procop. bell. Pers. II, 14. p. 215. ed. Bonn. 122 b. Paris. Nicephorus Hist. Eccl. X, 28. et Edicta Honorii et Arcadii atque Theodosii et Valentiniani in Cod. Iust. XI, 77. de cupressis ex luco Daphnaeo non excidendis. *Μὴ ἐπιφέρειν κυπαρίττοις σίδηρον*, Libanius suasisse se praefecto, ut videtur Christiano homini, ipse narrat de fortuna sua p. 153. Cupressos Apollinis aedem orbe circumdedisse, Philostratus narrat V. Apoll. I, 16. p. 19 Ol. Quae ab eodem refertur fabula de Cyparisso iuvene Assyrio, ea sine dubio ex hac regione manavit; neque ex ea fabula, quae extat apud Serv. ad Aen. III, 680. Cyparissum Cretensem ad Orontem pervenisse ibique in cupressum mutatum esse, cautior quisquam historiam rerum gestarum eliciet: quibus fabulis non maior fides debetur, quam Antiochensibus asseverantibus Paridem a Priamo missum esse, ut Daphnaeo Apollini piacularia faceret sacra. V. Io. Tzetz Exeges. Iliad. p. 771. ap. Bachmann. Schol. Iliad Cyparissum Aegyptium in puteum (Daphnaeum fontem opinor) cecidisse, narrat Tzetz. Schol. in Exeges. liad. p. 833. ed. Bachmann. e. Pausania historico.

3) Srabo l. l. Diem solennium prodit Iulianus in Misopogone.

4) Malalas p. 307. qui eam aedem eodem tempore *διαφόροις μαρμάροις* exornatam esse adiicit, cf. p. 48 n. 2.

5) Ammianus Marcell. XXII, 13, 2. 3. Sozomenus V, 20. Theodoret. III, 9, 10. Cassiodor. Hist. eccl. VI, 31. Theophanes p. 33.

diserto quidem non traditur, sed inde intelligi potest, quod Chrysostomus, Libanii querelas mendacii arguens, nil nisi signum dei et tectum aedis igne deletum esse affirmat; mansisse autem incolumes cellae parietes et columnas lacunaria sustinentes atque prostyla sive propylaea utrinque addita, excepta una columna, quam tum fractam et concussam esse sed nihilominus etiam viginti annis post cum caeteris locum suum obtinuisse testatur [1]): ex quibus eam aedem non peripteron, sed amphiprostylon columnarumque ordines etiam intra cellam dispositos fuisse perspicitur. Parietes vario marmorum splendore oculos percussisse, lacunaria autem tecti lignea fuisse (cupressina puto, quae ligni species ab hunc usum aptissima erat), Libanii eiusdem cladis narratione compertum habemus [2]). Deinde quod ad ipsius dei imaginem Bryaxidis Atheniensis arte factam [3]) pertinet, Libanius et Theodoretus quae narrant, sufficiunt ad imaginem huius signi adumbrandum [4]). Erat

---

1) Io Chrysost. de Babyla contra Iulianum c. 17. 21. T. II. p. 564. 573. Montf. Eademque fere Sozomenus l. l. Quod Ammianus narrat XXII, 13, 2., Christianos non sine invidia vidisse Daphnaeum Apollinis fanum a Iuliano ambitioso circumdari peristylio: id non intelligo de pteromate aedis, sed de porticibus aulae templi adiectis sive de peristoo, quod operis genus tum temporis peristylium dictum esse constat.

2) Libanius in Monodia p. 335. Ephesiae aedis lacunaria constat fuisse cupressina.

3) Cedrenus p. 242. B. ed. Ven. Hic Bryaxis cum etiam Seleucum regem ex aere fuderit, et maxime in Asia artem exercuerit; nam extabant opera eius Rhodi, Cnidi, Halicarnassi et Pataris in Lycia (de his narrat Clemens Alex. Protr. §. 47. p. 41. Pott.; de caeteris v. Sillig. Catal. artif. p. 110.): omnia suadent, ut Cedrenum vera tradidisse censeamus.

4) Libanii verba, quae huc pertinent, sunt in Monodia de Daphnaeo templo, Or. LXI. T. III. p. 334 sqq. R. Exerpo haec: *τὴν φιάλην, τὴν κίδαριν* (*κίθαριν* puto), *τὸν ποδήρη χιτῶνα — ἁπαλότητα δέῤῥης ἐν λίθῳ, ζωστῆρα περὶ τῷ στήθει, συνάγοντα χιτῶνα χρυσοῦν, ὡς αὐτοῦ τὰ μὲν ἐνιζάνειν τὰ δὲ ὑπανίστασθαι. — ἐῴκει ᾄδοντι μέλος — καί πού τις αὐτοῦ καὶ ἤκουσεν, ὥς φασιν, ἐν μεσημβρίᾳ κιθαρίζοντος, τὸ δὲ ᾆσμα ἦν ἔπαινος τῆς γῆς· ᾗ μοι φαίνεται καὶ σπένδειν ἀπὸ τῆς χρυσῆς κυάθου, ὅτι τὴν κόρην ἔκρυψε ῥαγεῖσα καὶ συνελθοῦσα. — δοκοὶ δ' ἐφέροντο κάτω φέρουσαι πῦρ, ὅτῳ πελάσειαν φθείρουσαι,*

signum colosseum, ita ut capite prope abesset a tecto templi, et acrolithum, id est e materia lignea et e marmore sic confectum, ut nuda omnia marmore essent candicantia, veste autem contectae corporis partes e ligno factae et auratae. Sic factum, ut, cum Iuliani tempore lacunaria incendio correpta essent et ardentes trabes deorsum ferrentur, dei signum cito flammam ad se traheret brevique tempore in favillam concideret. Species autem dei Daphnaei eadem fere erat, quae Apollinis Palatini a Scopa facta, desumpta illa ab agonistis musicis Pythiorum ludorum, nam Pythius etiam Daphnaeus Apollo dicebatur [1]). Nunc solent hunc Apollinem Musagetam dicere. Talaris stola, ex qua candidae cervices exsplendescebant, cingulo circa pectus continebatur, partim tumide se attollens, partim pressule corpori adhaerens. Ab humeris pendebat cithara, sine dubio auro gemmisque insignis, qui citharoedorum erat ornatus; ipse eam digitis tangere, et semihiante ore carmen fundere videbatur. Altera autem manus auream tenebat pateram (*φιάλην, κύαθον*), sic ut deus libare videretur. Hoc ipsum cum citharoedi Apollinis habitu coniunctum saepe in operibus anaglyphis et vasculis pictis [2]) reperitur,

---

τὸν Ἀπόλλω μέν εὐθὺς, ἅτε καὶ μικρὸν διέχοντα τοῦ τέγους. Theodoret. Hist. eccl. III, 11. haec habet: *Σκηπτὸς γὰρ οὐρανόθεν καταπεμφθεὶς τὸν σηκὸν ἐνέπρησεν ἅπαντα, καὶ αὐτὸ τὸ τοῦ Πυθίου ἄγαλμα κόνιν λεπτοτάτην ἀπέφηνε. ξύλινον γὰρ ἦν, ἔξωθεν ἀλλ' ἠλειμμένον χρυσῷ.* Aureum et Apollinis et Dianae simulacrum dicit Malalas p. 234. De la Bleterie, *Vie de l'Emp. Julien* p. 211., Theodoretum erroris arguit, quod marmoreum illud signum fuisse ex Libanii verbis appareat; scilicet acrolithorum signorum rationem non intellexit. Sed Gibbo unde Daphnaeum deum in genibus sedisse, *in a bending attitude* fuisse sumpserit (p. 397.), non potui extricare. Alios eiusdem errores nunc non elevo.

1) v. §. 16. p. 43. n. 4.

2) Apollo *σπένδων* et *Νίκη οἰνοχοοῦσα* in iis anaglyphis coniungi salent, quae prisco decore insignia primis temporibus ad musici agonistae victoriam celebrandam templis dedicata esse videntur. Ex picturis vasculorum unam memoro, Agrigentinam, editam a Politio et Ed. Gerhardo (Antiq. Monum. Cent. I. tab. 58.), qua eodem modo Apollo *Πυθίῳ σχήματι* decorus et Victoria sive Iris componuntur. Apud eundem Gerhardum Cent. I. tab. 9. pro Victoria Diana est, Pythiorum sacrorum consors, neque illa musici muneris expers. Ampliorem horum operum commentarium

neque dubium victorem Apollinem sic notari; unde apparet, ineptam esse coniecturam Libanii, ea patera Terrae deae ab Apolline libari, quod illa Daphnen in sinum suum receperit. Haec, quam modo descripsi, Apollinis species conspicitur et in numis Antiochi Epiphanis [1]) et in moneta Antiochiae imperantibus Philippo et Decio et sub Iuliano II. signata [2]): quibus Daphnaeum simulacrum nobis restitui, nunc satis intelligitur. Praeter hoc dei signum in aede inerant regum et principum statuae, qui *οἰκισταὶ* dicebantur, id est eorum, qui delubrum aut condiderant aut auxerant [3]).

18. Haec dicenda habebam de operibus, quibus Antiochia ab ipso conditore aucta est. Huius filium Antiochum Soterem, cum urbem non amplificaverit, exornasse tamen eam cum templis, velut Dianae Eleusiniae [4]), tum aliis operibus constat. Sic ex iis, quae postea disputabimus, Omphalum s. Umbilicum urbis ab eo constitutum et Apollinis simulacro insignitum esse probabile fiet. Sed cum ad liquidum id non possit perduci antequam de Epiphanis regis operibus expositum fuerit, hic verbo de ea re monuisse sufficiat.

Antiochum secundum s. Deum constat, post Ioniam pace a Ptolemaeo Philadelpho receptam, Ephesi, quae urbs tum Asiae splendidissima erat, sedisse ibique obiisse, Bereni-

---

praestat Welckerus in Annal. Instit. Archaeol. T. V. p. 147., quocum velim conferas quae scripsi in Ephemer. liter. Halensibus 1835. N. 102. p. 190.

1) Pulcherrima huiusmodi numi effigies extat ap. Mionnet *Description des Médailles, Suppl.* T. VIII. pl. 12, 13.

2) Vaillant Num. aerea Imp. in coloniis percussa T. II. p. 226. (in tab. adi. h.) 277. In numis Iuliani, quos in Museo Caesareo vidi, vinum ex patera effusum liquido cernitur. Eadem Apollinis species est in numo aeneo Romano Antonini Pii apud Pedrusium Museo Farn. T. VII, 4, 6.

3) Libanius Monodia p. 335.

4) Nomen Eleusiniae Dianae inde derivatur, quod Dianae egregium simulacrum, a Ptolemaeo Philadelpho in Aegyptum abductum, Dea ipsa monente, Antiochiam relatum sit. Liban. p. 306 (Eodem sub rege simulacra Cypriorum deorum Antiochiam delata esse narrantur; quod quo astu effectum sit, narrat Liban. p. 307.) Erat Antiochiae Eleusinius angiportus, utrinque hortis circumdatus. Liban. Epist. 1329. p. 619. Wolf.

cen autem, regis Aegypti filiam, a Laodice, Achaei filia, e regis toro depulsam, Antiochiae habitasse, donec post Antiochum veneno necatum Berenice, exercitu a Laodice misso Antiochia pulsa, in asylum Daphnaeum confugere cogeretur, omnique eius loci sanctitate contempta interficeretur [1]). Iterum, cum Seleucus Callinicus, is qui Antiocho II successit, ad Babyloniam satrapiam a Ptolemaeo Euergeta Syriae regibus ereptam imperio suo restituendam in superiore Asia abesset: Stratonice, Antiochi primi filia Demetriique secundi, Macedonum regis, antea uxor, quae tum marito relicto in Syriam reserva, neque eo favore excepta erat quo exspectaverat, Antiochenses, ut a Seleuco rege deficerent, permovit. At revertitur Seleucus, Antiochiam expugnat, Stratonicen Seleuciae capit et interficit [2]). Quae fieri non poterant sine clade et Antiochensium et ipsius urbis. Postea tamen idem Seleucus Callinicus Antiochiam praeter fanum Iseum, quo simulacrum deae Memphide acceptum statuebatur [3]), etiam nova urbis parte adiecta amplificavit et auxit [4]). Haec Strabo rettulit [5]), qui quattuor Antiochiae partes quasi singulas urbes fuisse narrat, duas quas iam memoravimus, tertiam Seleuci huius, quartam Antiochi Epiphanis. Libanius contra novam Antiochiae partem Antiocho tertio sive Magno assignat. Quae adiecto cum ea urbis pars esse non possit, quam Ma-

---

1) V. Niebuhrius de Eusebio Armen., p. 274. Scriptorum minorum. Polyaenus VIII, 50. Berenicae narrat pacto *τῶν βασιλείων τόπον ὀχυρώτατον* promissum, sed pacti leges non servatas esse. Quod iis addo, quae Niebuhrius de his rebus docte et ingeniose disputavit.

2) Niebuhrius in comm. laud. p. 255. cf. p. 281 sq. In transitu moneo, quod Niebuhrius se nescire profitetur, quae sit illa Coloe, ad quam Antiochus, Callinici frater et tum hostis, cum Attalo conflixit (teste Porphyrio ap. Euseb. Armen.): intelligit sine dubio *Κολόην λίμνην*, quae olim Gygaea dicebatur, XL stadiis a Sardibus urbe dissitam, Lydorum religionibus sanctissimam. Ab hac nomen nacta est *ἡ Καλοητῶν πόλις* ad Tmolum montem et Caystri fontes, unde Leo Diaconus se oriundum profitetur, Hist. I, 2. p. 5. ed. Bonn.

3) Libanius p. 308.

4) Froehlich. Annal. Syriae hoc Seleuci opus anno a. Chr. 240. Seleuc. 73. tribuit.

5) XVI. p. 750.

lalas Epiphani tribuit, nam haec ad montem erat, Libanii autem nova urbs ad fluvium: sequitur, ut de tertia Antiochi parte Libanium loqui statuendum sit. Itaque hanc partem a Seleuco illo in inchoatam, absolutam autem statuemus ab hoc Antiocho, qui post breve fratris, Seleuci Cerauni, regnum patri successit. Nam etiam hic rex Antiochiae sedere solebat, eaque in urbe Laodicen, Mithridatis filiam, in consortium regiae sedis assumpserat [1]). Quos autem in hanc novam urbem incolas deduxisse narratur Antiochus, Aetolos, Cretenses, Euboeenses [2]) : eos sine dubio ex Graecia, cum bellum contra Romanos pararet et has gentes sibi socias haberet, abstraxerat, ut tuti a Romanorum vindicta in Syria habitarent. Hinc efficitur, hanc Antiochiae partem non absolutam ante annum a. Chr. 190., Seleucidarum CXXIII.

19. Ut hanc urbem etiamnunc describere et eius magnificentiam et elegantiam aestimare possimus, debemus Libanio rhetori et Euagrio Scholastico, qui, quid ea urbis pars Leone Magno principe terrae motu passa sit, diligenter indicat [3]), Nam nunc nullum eius vestigium: quid quod ne solum quidem superest quo steterat. Fuit enim in insula [4]), quae nunc his locis vel nulla vel perexigua est, altero Orontis alveo, ut

---

[1]) Polybius V, 43. Anno a. Chr. 221. Seleuc. 92.

[2]) Libanius p. 309.

[3]) Libanius eam Antiochicae orat. p. 309. *τὴν νεωτέραν τῆς πόλεως μοῖραν* appellat, p. 356. *τὴν νέαν*; antiquiorem *τὴν ἀρχαίαν* p. 339. *Τὴν καινὴν* dicit Euagrius Eccl. Hist. II, 12., opponitque *τὴν παλαιάν*. In Palaea Athanasii temporibus orthodoxa Christianorum factio sacris operabatur. Athanas. ad Antiochenos 3. T. II. p. 771. ed. Bened. Act. Sanct. Febr. T. II. p. 588.

[4]) Libanius Antioch. p. 339. Hinc Polybius V, 69. Orontem per Antiochiam fluere, Plinius N. H. V, 21, 18. Antiochiam Oronte dividi, recte scribunt. Hunc exscribit Martian. Capella VI. §. 680. Orontem Antiochiae interlabi urbem dicit Avienus v. 1093., cuius verba neque corrigenda sunt, neque urbs pro agro habenda. Sic etiam Dionys. Per. 920. et Hegesippus III, 5.; contra qui illum commentatur, Eustathius Orontem praeter, non per Antiochiam fluere dicit, et recte, si de suis temporibus dicit. Iuxta Antiochiae muros decurrere Orontem dicit Isidor. Origg. XIII, 21, 17. Similiter Vibius Sequester p. 15. ed. Oberlin.

videtur, plane exsiccato [1]). Orbiculari fere erat figura, suoque peculiari muro tanquam corona cingebatur [2]). Omnibus haec urbis partibus praestabat simplici et eleganti dispositione [3]). In medio loco, qui tanquam scuti umbo erat, quattuor arcus compositi et inter se iuncti erant [4]), quod genus aedificii Tetrapylum dicebatur [5]). Hinc quaternae porticus orientem et occidentem, septentrionemque et meridiem versus dirigebantur. Tres earum, quae ad murum illum pertinebant, longiores; quarta brevior, quippe quae ad Regiam ducebat et Regiae ipsi propylaeorum loco erat. Nam Regia haec, quae quartam fere novae urbis partem occupabat, ex altera parte, ad meridiem, tetrapylum illud fere attingebat, ex altera, septentrionem versus, Orontis exteriori flumini proxima, muro urbis insistebat, ita ut hic murus tanquam ingens stereobata columnarum longos ordines suspensos teneret, quibus Regia hac parte ornata erat [6]). Haec porticus, quae du-

---

1) Cf. supra §. 4. dicta.

2) Libanius p. 309. 340. 356.

3) Miror, Reiskium, optimum et doctissimum virum, non vidisse, apud Libanium p. 356. scribendum esse: *οἱ δ' ἐν τῇ Νέᾳ (παραφέρουσι) τὸ τεῖχος, τὴν νῆσον, τὰ βασίλεια, τὴν τῆς ὅλης εὐθημοσύνην*, sed explicare studuisse corruptam lectionem *εὐθυμοσύνην*.

4) Libanius p. 340.

5) Euagrius II, 12. cum Nicephoro XV, 20. De hoc genus aedificio Orbis descriptio, sub Constantio Constantini filio scripta (Mai. Class. auct. e Vat. codd. edd. T. II.) c. 17. p. 394. (p. XI. ed. Bode): *In Caesarea — tetrapylum nominatur ubique, quod unum et novum spectaculum praebet.* Magnificum tetrapylum Laodiceae Augustus extruxisse dicitur a Malala p. 223. (94.) Tetrapylum aureum (Augusteum) Constantinopoleos memorat Descr. urbis Cpoleos. Cf. de tetrapylis Ducangius Gloss. Graec. p. 1552.

6) Haec illis ex Libanio p. 340. sumptis addidimus ex Theodoreto Eccl. Hist. IV, 26. p. 189. Val: *Βόρραθεν μὲν Ὀρόντης ὁ ποταμὸς παραῤῥεῖ τὰ βασίλεια. ἐκ δὲ μεσημβρίας στοὰ μεγίστη διώροφος τῷ τῆς πόλεως ἐπῳκοδόμηται περιβόλῳ, πύργους ὑψηλοὺς ἑκατέρωθεν ἔχουσα. μεταξὺ δὲ τῶν τε βασιλείων καὶ τοῦ ποταμοῦ λεωφόρος ἐστὶν ὑποδεχομένη τοὺς διὰ τῶν τῇδε πυλῶν ἐκ τοῦ ἄστεος ἐξιόντας καὶ εἰς τοὺς προαστείους ἀγροὺς παραπέμπουσα.* Apparet hanc viam extra muros

plici contignatione assurgebat, et utrimque turribus altissimis munita erat, Regia porticus appellabatur, et magnificus profecto inde Regibus prospectus erat in viam flumentanam proxime subiectam, Orontis flumen et ripas, suburbia amoenissimamque Syriae partem late patentem. Ipsa Regia, si Libanio credimus [1]) nullo eius generis aedificio vincebatur pulcritudine, magnitudine omnes vincebat, et ut Theocriti verbis utar, quibus architectorum sui temporis fastum castigat, Giganteam Eurymedontis domum referebat. Porticuum enim, thalamorum, magnorum oecorum quasi labyrinthum quendam continebat [2]). Omnis autem nova urbs cum vetere quinque pontibus coniuncta erat [3]).

20. Nunc cum de Seleuci Philopatoris operibus Antiochiae structis nihil compertum habeamus, iam celeri cursu devenimus ad octavum Seleucidarum, Antiochum Epiphanem. In quo Rege mirum, quam discordi temperamento mala cum bonis mixta fuerint. Ac si iste Antiochus a sacrae historiae scriptoribus maxime culpandus erit: archaeologi sibi ipsi hostes essent, si eum plane contemnerent. Nam aedificator erat hic rex, et aedificiorum magnitudine et elegantia nulli secundus. Qui si Athenis Olympio templo Pericleorum operum magnificentiam vicit: quanta opera putabimus eum ad suam urbem augendam et exornandam esse molitum. Horum operum, quibus regni vires iam fractas plane eum attrivisse non diffiteor, famae nunc officit hoc, quod Malalas Antiochenus, quanquam permulta egregia fide ex optimis fontibus sumpta tradiderit [4]), in eo tamen saepissime erravit, quod regum antiquiorum opera iis Romanorum principibus

---

novae urbis fuisse, et per pontes coniunctam cum agris ultra Orontem sitis. Porticus autem illa, quae infra βασίλειος στοὰ dicitur, eadem est, quam Libanius describit.

[1]) p. 340. 341.

[2]) Euagrius, cum Nicephoro, scribit, illo terrae motu τῶν βασιλείων τὸν πρῶτον καὶ δεύτερον οἶκον cecidisse, ceteros σὺν τῷ παρακειμένῳ βαλανείῳ stetisse, quod lavacrum tum unum usibus novae urbis incolarum suffecisse.

[3]) p. 341. cf. Strabo p. 750.

[4]) Actis urbis vel ipsum Malalam, vel Domninum, episcopum Antiochiae, qui sub Iustiniano scripsit (v. Bentlei: Epist. ad Millium p. 73.), usum esse, postea demonstrabitur.

attribuit, qui ea incendiis terraeve motibus vastata instauravere tantum et refecere. Itaque Tiberii maxime Imperatoris nomini ea aedificia adscribit, quibus Seleucidarum et Epiphanis nostra memoria ornanda erat. Quid quod eo usque a via aberravit, ut Orontem fluvium a Tiberio primo hoc nomine apellatum esse crederet, tanquam ex *oriente* fluvium [1]). Hunc errorem si a nobis depulerimus, et Malalae narrationem ad antiquiorum scriptorum testimonia correxerimus: assequemur spero Epiphaneorum operum notitiam ipsis operibus quodammodo dignam.

Primum ex Strabone tenemus, hunc Antiochum quartam urbi partem addidisse Antiochiamque effecisse Tetrapolin [2]). Atque eodem teste refellimus Malalam sive Domninum chronographum: qui ab Antiocho Epiphanium quidem suburbium adiectum esse narrat, urbis autem partem hinc factam muroque inclusam statuit a Tiberio [3]). Falsa haec esse confidenter affirmamus, quod iam ante Tiberium quamque quadrurbis Antiochiae partem cum communi omnium, tum singulari muro circumdatum fuisse constat [4]). Sed recte ab Antiochenis illis scriptoribus docemur, Epiphanum sitam fuisse inter planitiem atque montem [5]). Haec enim acclivia loca, qua ab arduis Silpii montis verticibus ad Orontis convallem descenditur, sola tum relicta erant, quibus nova urbis pars inaedificaretur, cum Seleucus torrentium impetum vitans urbem suam intra planitiem coercuisset. Nunc illa loca ab Antiocho muro circumsaepta sunt, in quibus etiam Iopolis cum aede Iovis Ceraunii

---

1) p. 230. Item Eustath. ad Dionys. Per. 919. eodem fonte usus.

2) Strabo XVI. p. 750. Cf. Eustath. ad Dionys. Per. 918. p. 280. Bernh.

3) Malalas p. 205. 233. et 234. 346.

4) *Ἔστι δ' ἡ μὲν Ἀντιόχεια καὶ αὕτη τετράπολις* (ut Seleucis provincia) *ἐκ τεττάρων συνεστῶσα μερῶν· τετείχισται δὲ καὶ κοινῷ τείχει καὶ ἰδίῳ καθ' ἕκαστον τὸ κτίσμα.* Strabo XVI. p. 750. *Διόδωρος ὁ ἱστορικὸς τετράπολίν φησι Συρακούσας, ἐν οἷς ἀφομοιοῖ Ἀντιόχειαν τὴν πρὸς τῷ Ὀρόντῃ ταῖς Συρακούσαις,* in Scholiis Strabonis cod. Paris. ed. Falcon. T. I. p. 390. Diodorus ed. Dindorf. V. II. P. II. p. 247.

5) p. 205. 233 sqq.

et cum Acropoli inerat [1]): quae Acropolis vix alio loco stare poterat atque illo, quo etiam Francorum tempore Antiochiae Arx s. Castellum stabat [2]), i. e. in alto et praecipiti vertice a Silpio monte orientem versus vergente, quem ex urbe uno tantum calle adiri potuisse supra narravimus [3]). Infuisse in hoc muro praerupta montium, rupesque et saxa et torrentes, etiam Procopius scribit, de eo tempore narrans, quo, Iustiniano regnante, muri in arctius spatium contrahebantur atque ea tantum loca moenibus comprehendebantur, quae curru equove adiri possent [4]).

21. Nunc dicam de publicis operibus, quibus Epiphanis haec urbs exornata est. Curiam, in qua senatus Antiochensium consuleretur, et sacras aedes tum structas esse, refert Malalas [5]). In his primum locum tenet Iovis Capitolini templum: quod cum ex imitatione Romanae in Capitolio aedis factum esset, dubitari non potest, fuisse in monte Silpio, in eo puto cacumine, quod cum Arce proxime coniunctum erat. Id templum, Livio teste, tanta magnificentia ornabatur, ut non tectum solum aureis lacunaribus fulgeret, sed etiam toti parietes lamina inaurati essent [6]). Sed Antiochus, cum intra breve regni spatium tot et tam magnifica opera suscepisset, nullum fere perfecit; et Capitolinum templum, intelligitur ex

---

1) Malalas p. 233., quo loco de Tiberio dicitur: *ἀποκλείσας διὰ τοῦ ἰδίου αὐτοῦ τείχους καί τὴν ἀκρόπολιν καὶ τὴν Ἰώπολιν.* In narratione p. 347. *οἱ ἀκροπολῖται* iidem sunt qui Ionitae.

2) De Acropoli hac Hegesippus III, 5. Willermus VI, 1.

3) §. 3.

4) Procop. de aedific. c. 10. Antea muris imminebat rupes, ex qua Chosroes Antiochiam ceperat; ab hac muri tum in remotiora dimovebantur.

5) p. 205. 234. De curia ab uno ex Seleucidis structa etiam Libanius p. 312. Curiam Epiphanis a Daphne non longe dissitam fuisse, dicit scriptor ap. Eustath. ad Dion. Per. 918. p. 280. Sed hoc aperte falsum, nam Malala p. 233. (99. V.) teste novimus, curiam cum Museo in superiore urbis parte sitam fuisse. Haec Tiberio regnante incendio vastata esse dicuntur. Cf. infra §. 26. Neque dubito, quin hoc idem fuerit *βουλευτήριον*, cuius in aula quattuor porticibus circumdata tabulas pictas vidit et descripsit Libanius p. 1048. 1057.

6) Livius XLI, 20.

Malala, a Tiberio demum esse absolutum, nisi forte et hoc terrae motu concussum et ab hoc imperatore instauratum est 1).

22. Splendidissimum autem Epiphaniae urbis ornamentum cum haud dubie dicenda sit porticus tetrastichos, quae per totam urbis longitudinem porrigebatur: non possum quin etiam hoc opus, antequam ad Romanorum Impp. tempora devenerim, commemorem, et quae de eo etiamnunc sciri possunt hoc loco colligam. Per totam urbem ab oriente ad occidentem 2) recta 3) pertinebat platea, quae ex quattuor columnarum ordinibus composita erat. Horum ordinum bini porticum efficiebant tectam; inter medios binos erat via sub dio relicta 4). Longitudinem XXXVI stadiorum fuisse, scribit Dio Chrysostomus 5), IV millium passuum Malalas 6), quod

1) Malal. p. 234. (99. Ne forte Ζεὺς Καπιτωλιεὺς Ἀντιοχέων huc referatur: verbo moneo, Cariae esse Antiochiam, cuius in numis M. Aurelio principe percussis imago et nomen eius dei extent. Vaillant Num. Imp. Graeca, ed. alt. p. 293.

2) Libanius p. 337.

3) ἰθυτενής dicit idem scriptor.

4) Liban. p. 337. Malalas p. 232. ubi dicit ἐμβόλους δύο μεγάλους — ὑπορόφους.

5) ὧν ἡ πόλις ἓξ καὶ τριάκοντα σταδίων ἐστὶ τὸ μῆκος καὶ στοὰς ἑκατέρωθεν πεποιήκασιν. Or. XLVII. p. 527, 15. (T. II. p. 229. R.) Quod Iulius Valerius eo loco, quo maximarum antiqui orbis urbium spatia inter se confert, de reb. gest. Alexandri I, 24. dicit: Antiochiae diametrum (nam hunc intelligit) fuisse VIII stadiorum et LXXII pedum, id vel de urbe in insula sita vel de latitudine antiquae urbis intelligendum esse videtur.

6) p. 337. Libanius p. 337. tantum dicit huius viae spatium, ut non sine equo permetiri id liceat. Idem p. 342. scribit, hanc plateam, si addatur ea, quae inde ad flumen ducit, duaeque illae novae urbis, quas supra descripsimus, effici σταθμοῦ stadiorum longitudinem. Hic si σταθμὸν dicit 150 stadiorum, incredibilia narrat; sed ad centum stadia ea spatia coniuncta accessisse, facile crediderim. Quae idem p. 339. dicit: τῶν τοίνυν στοῶν ἐξ ἀνίσχ. ἡλίου πρὸς δυσμὰς τεταμένων καὶ τοσοῦτον μῆκος ἀπεχουσῶν, ὅσον ἂν καὶ τρισὶν ἀπέχρησεν ἄστεσι, ea nonnisi de distantia terminorum porticus huius sive spatio inter orientalem et occidentalem portam interiecto intelligi possunt. Sic iam Strabo ἀπέχειν posuit. V. XVII. p. 711. Ἐπὶ τέλει τῆς οἰκοδομίας ταύτης πλέον ἢ στάδιον ἀπεχούσης, id est: plus quam stadium occupantis.

paulo minus est spatium. Omnis operis dispositio ea erat aequalitate, ut a pictore in tabula delineatam crederes [1]), et quanquam in inaequali solo ducta, nam praeter Silpii montis radices pertinebat [2]), omne tamen fundamentum substructione erat exequatum. Antonini Pii temporibus platea, quae inter porticus erat, cum magna urbis parte lapide molari ex Thebaide advecto, id est saxo pyrrhopoecilo, quod nunc Granitum appellant, constrata est [3]). Hanc in plateam multae dirigibantur viae, cum in superiora urbis loca hortis et lucis consita, tum in inferiora ad flumen ducentes: quae ubi in ordines columnarum incidebant, arcuationes illae, quae tetrapyla dicuntur, structae erant [4]). Medium autem horum tetrapylorum, cum urbis totius quasi centrum esset, dicebatur umbilicus; eoque loco Omphalos lapidi excisus, eadem sine dubio specie, qua Delphicus ille, positus erat [5]). Credibile est, hoc in Omphalo etiam Apollinis, patrii Seleucidarum dei, imaginem insidentem fictam esse, sicut Delphis hic deus *ἐν μέσῳ*

---

1) *ὥςπερ ἐν γραφῇ* Libanius p. 338.

2) *πρὸς τῷ ὄρει τῷ λεγομένῳ Ξιλπίῳ* Malal. p. 232.

3) Malalas p. 280 sq. cf. Liban. p. 337.

4) *τετράπυλα διὰ εἰλημάτων* Malalas p. 232. (98 V.), qui adiicit, ea Tiberii temporibus exornata fuisse marmoribus et musivo opere.

5) Malalas p. 233. — *κατὰ τὸ μέσον τῶν ἐμβόλων τῶν ὑπ' αὐτοῦ κτισθέντων — ὅςτις τόπος κέκληται ὁ ὀμφαλὸς τῆς πόλεως, ἔχων καὶ τύπον ἐγγεγλυμμένον ἐν λίθῳ ὈΦΘΑΛΜΟΥ.* Apertum est, huius vocabuli loco ponendum esse *ΟΜΦΑΛΟΥ.* Etiam Alexandria urbs columnatis duabus plateis in rectum et transversum deductis, sic ut Antiochia, in quatuor partes dividebatur (Strabo XVII. p. 795. Diodor. XVII, 52. Achilles Tatius V, 1. p. 103. ed. Jacobs, cf. Bonamy *Mém de l'Ac. des Inscr.* T. IX. p. 420.), et eo loco, ut videtur, quo eae plateae decussatim concurrebant, umbilicum suum habebat, quod intelligitur ex loco Iulii Valerii de reb gest. Alexandri I, 27: *Aedificandi Alexandriam constat principium ex meditullio esse factum, idque etiam nunc nomen in ea urbe retinere, quod Mesonpodio vocatur:* quam vocem mutandam censeo in *Mesomphalion.* Etiam Constantinopolin et Nicaeam habuisse Mesomphalion docet Ducangius in Lexico Med. Graecit. s. v. Haec omnia Delphis tanquam e communi umbilico orta sunt. Nam *Μεσομφαλία ἡ μέσος τῶν Δελφῶν πόλις* scribit Hesychius s. v.

τῆς γῆς ἐπὶ τοῦ ὀμφαλοῦ καθήμενος (quae verba Platonis sunt), fingebatur [1]). Eoque spectare videntur innumeri Seleucidarum numi, quibus Omphalos, taeniis plerùmque redemitus, et Apollo sedens in eo proponitur [2]). Quos quanquam ex religionibus Delphicis per totum terrarum orbem celebratis et a Seleucidis quoque sancte habitis repetere possis: magis tamen placebit caussa propius ex principe Seleucidarum urbe petita. Sic eadem Apollinis Omphalo insidentis imago Paphiorum regis Nicoclis in numis extans [3]), non propter Delphorum honorem, sed quia etiam Paphus terrarum umbilicus dicebatur, impressa est [4]). Tetrapyli eius, in quo hic Omphalus erat, etiamnunc cognosci poterit situs, inde quod eo loco Tiberius imperator quaedam mystice consecrata deposuisse traditur, quibus torrentium, maxime Parmenii, vim et pericula a porticibus illis arceret [5]). Quae quanquam ab homine superstitiosissimo narata sequioris saeculi ingenium sapere videntur: hoc tamen inde intelligitur, urbis umbilicum ferme e regione Parmenii torrentis fuisse. Hoc igitur loco cum maxima illa platea altera coniuncta erat, quae ex tetrapylo illo quasi communi urbis centro progredi videbatur [6]). Etiam haec, illa sine dubio multo brevior [7]), quae septentrionem

---

1) De hoc Omphalo in operibus artis conspicuo cum iam dudum eadem mihi insit persuasio, quam Passovius aliique docte stabiliverunt: non assentior Rathgebero, qui (Encyclop. Hal. III, IV. s. v. *Orakel in Bildwerken*) idem quod nos Omphalon dicimus, se pro alveo apum habere declaravit.

2) De sagitta, quam humum versus protendit, superiore loco §. 16. dixi. In numo Antiochi I, in Museo Caesareo, hic Apollo Omphalo insidens tres sagittas dextra dispergere videtur.

3) V. Eckhelius Num. vet. anecd. tb. 14. n. 3. p. 238. Mionnet *Descript. Suppl.* T. VII. p. 310. Apollo in hoc numo Omphalo insidet, dextraque sagittam humum inclinat, sinistra arcui innititur.

4) *Γῆς ὀμφαλὸς ἡ Πάφος καὶ Δελφοί,* Hesychius s. v.

5) Malalas p. 233.

6) Libanius p. 339. scribit: *κατὰ μέσην μάλιστα τὴν δεξιὰν (στοὰν) ἀψῖδες πανταχόθεν τετραμμέναι μίαν ὀροφὴν ἔχουσαι λίθου παρέχουσιν ἀρχὴν ἑτέραις στοαῖς πρὸς ἄρκτον ἄχρι τοῦ ποταμοῦ προϊούσαις.*

7) Antiochiam in longitudinem porrectam fuisse testatur Hegesippus qui dicitur III, 5.

versus ad flumen usque excurrebat, porticibus exornata erat, et cum multis angiportis iuncta. Quibuscum coniunctum erat Nymphaeum, splendidissimum aedificium, altissimo tecto testudinato, columnarum et parietum marmoribus et, quod propriorum Nymphaeorum erat, aquarum continuo manantium iucundo frigore et murmure insigne [1]), Idem ni fallor Trinymphum appellatur, aedificium signis splendide ornatum et ad nuptias celebrandas accommodatum [2]). Quod structurarum genus ex his terris, quibus maxime erat idoneum, etiam Romam et in Italiam translatum est, ubi inde a Severi temporibus multa earum mentio extat [3]).

23. Has igitur porticus tetrastichos, cum facile intelligatur, cum tota urbis dispositione artissimo nexu coniunctas fuisse,

---

1) Libanius p. 339. *Τὸ δὲ* (sic Bavar. codex, recte) *περὶ αὐτὰς Νυμφῶν ἱερὸν οὐρανόμηκες, λίθων αὐγαῖς καὶ κιόνων χροίαις καὶ γραφῆς αἴγλῃ καὶ ναμάτων πλούτῳ πάντα ὀφθαλμὸν ἐπιστρέφον.* Euagrius Eccl. Hist. II, 12. de terrae motu sub Leone: *Καὶ τῆς γε Ὀστρακίνης οὕτω καλουμένης γειτονίας τινὰ συγκατέβαλε σὺν ταῖς στοαῖς καὶ τὸ καλούμενον Νυμφαῖον ῥίψας.* Hinc colligitur, vicum urbis, in quo Nymphaeum erat, Ostracinum dictum, puto a conchis, quibus Nymphaea exornata fuisse credibile. Idem Euagrius VI, 8. Psephium, de quo ante se dixisse affirmat (v. I, 18.), et regionem Brysia atque Ostracinen terrae motu sub Mauritio Imp. turbatam esse scribit.

2) V. Malalas p. 244., qui hoc Trinymphum cum Vario lavacro, a fluvio non longe dissito, iungit; idque sub Gaio extructum narrat. Puto tum post terrae motum refectum esse. Tetranymphum ab Hadriano conditum esse in Aelia Capitolina narrat Chronicon Pasch. p. 474. Bonn. (P. 254.) cf. Ducangius Gloss. Graec. p. 1552.

3) V. Valesius in Ammianum XV, 7, 3. p. 141. ed. Wagner. Nymphaei Nicomediensis casum deplorat Libanius. Gordiani tertii opera Romae fuisse quaedam nymphaea et balneas scribit Capitolin. c. 32. Zonaras Ann. XIV, 1. p. 20. ed. Ven. et Cedrenus p. 348. ed. Par. (cf. p. 310.) Nymphaeum, quod Cpoli in Tauro sub Valente conditum Leone Imp. combustum et instauratum est, eo consilio factum esse dicunt, ut tenuiores nes hominuptiasi bi celebrarent. Etiam inter Pompeiana aedificia illud, quod fontibus et concharum ornamentis insigne est (*house of the fountains* dicit G. Gellius in Pompeianis rec. p. 169 sqq.) Nymphaeum appellaverim. Nymphaeum Corinthium memorat Plinius N. H. XXXV, 12, 43. §. 151. ed. Sillig. In Regionario Einsidlensi (v. Iahnii Seebodiique Annal. Supplem. T.

vix credibile videbitur a Tiberio primum eas condita esse. Neque autem regibus Epiphane antiquioribus tribui possunt, cum extra Nicatoris urbem, et intra eam muri partem fuisse perspicue tradantur [1]), quam Tiberium adiecisse Malalas, Epiphanem rectius scripsit Strabo [2]). Habemus igitur magnam illam plateam Epiphaniae urbis splendidissimum ornamentum. Apollo autem Omphalo insidens quod iam ante Epiphanem in numis Antiochi Soteris conspicitur [3]): sic videtur explicandum, ut iam in antiquiore urbe locum quendam, qui Omphalus dicebatur, fuisse sumamus, donec urbe ab Epiphane aucta porticuum illarum concurrentium iunctio Antiochiae umbilicus constitueretur.

His autem plateis et porticibus, quae propter splendorem et fortasse columnarum ornatum etiam aureae appellabantur [4]), cum nihil magis ad urbis ornatum facere videretur: omnes fere Syriae urbes, quae magnificentius struebantur, ad easdem rationes dispositae esse videntur. Palmyra certe et in Decapoli vicinaque Gaulanitide [5]) Gerasa et Gamala porticus ha-

---

V. fasc. 1. p. 120) titulus est: *Nimpheum sordium squalore foedatum et marmorum nuditate deforme* etc.

1) V. Malalas p. 233.

2) Refecisse has ἐμβόλους post terrae motum narratur etiam Claudius, Malal. p. 246.

3) Eckhel. D. N. I, III. p. 215. Mionnet *Descr. d. M.* T. V. p. 8.

4) *Χρυσαῖ στοαὶ* appellantur Antiochiae porticus a Dione Chrysost. Or. XLVII. p. 527, 32. (T. II. p. 232. R.) In arce Alexandriae, in porticibus Musei ut videtur, columnarum capitula aerea et inaurata erant. Aphthonius *Ἐκφρ.* p. 107. in Walzii Rhet. T. I. In navi Ptolemaei Philopatoris columnae Corinthiae erant, quarum scapus ex cupresso, capitula ex auro et ebore facta erant. Eodem sine dubio artificio ornata erant capitula columnarum in pteromate magni Palmyrae templi, quorum media tantum pars, quae crater s. calathus dicitur, saxo excisa est, crispa autem folia cum volutis et caeteris ornamentis ex aere aurato apposita fuisse credibile fit. Luxum hunc auratorum et argento exornatorum capitulorum etiam Sabaeis Arabibus tribuit Diodorus III, 47.

5) Memorabile imitationis exemplum ex urbibus Gaulanitidos etiam hoc adducere licet, Daphnen locum fontibus irriguum et

bent plateae vicem obtinentes, sicut Antiochiae [1]), quae porticus cum in Palmyra tetrastichos sit, non dubito quin media via sub divo, utrinque autem porticus tecta fuerit [2]). Latitudo huius viae est LXXX pedum, longitudo MMMD, ita ut vix sexta pars sit operis Antiocheni. Spatium millenorum pedum LXXXV continet columnas una serie dispositas: quibus si Antiochenae magnitudine et intercolumniorum rationibus respondebant: magna illa platea sex millia fere et octingentas columnas habebat: sed credo Antiochenas grandiores fuisse et laxiori ordine positas, pro magnitudine aedificiorum vicinorum. Non desunt Palmyrae tetrapyla, quorum arcuatione et artificiosa dispositione etiam hoc efficitur ut ibi platea a recta linea declinat, id visum minus offendat [3]). Singulis columnis, quae Corinthii generis omnes sunt, mutuli adhaerent ex scapo prominentes, quibus statuas impositas fuisse constat. Quod quanquam porticuum nativae pulcritudini mirum quantum nocuit, vereor tamen ne etiam hoc ab Antiochenis mutuati sint Palmyreni. Certe Tiberium legimus Antiochiae illam plateam aereis operibus signisque exornasse [4]).

24. Minoris moliminis opera, quibus Epiphane imperante

---

luxuria notabilem prope ad Seleuciam Gaulanitidos fuisse, manifestum imitamentum celebrioris Daphnae. V. Ioseph. de B. I. IV, 1. Hegesipp. IV, 1.

1) De Palmyra v. Wood *the Ruins of Palmyra otherwise Tedmor in the Desart. Lond.* 1753., in quo opere hae porticus minore cura adumbratae sunt, quam a pictore Franco-Gallico Cassas, *Voy. pittor. de la Syrie* tb. 53. De Gerasis Burckhardt *Trav. in Syria* p. 255. et Buckingham *Trav. in Palestina* p. 376. cum tabulis utrique operi adiectis. Idem de simili platea, qua Gamala urbs (quae aliis Gadara est) divisa erat, p. 418.

2) Etiam ex comparatione tabularum ap. Cassas 54. 81. et aliarum intelligi videtur, mediam viam inter binos columnarum ordines fuisse sub divo; nam hac parte coronae supra zophorum integrae supersunt, eodemque conversae sunt proiecturae mutulorum, qui ad signa sustentanda columnis adaptati sunt.

3) Hoc efficitur tetrapylo illo miro artificio composito, quod arcus triumphalis dicitur, cuius ichnographia est apud Cassas tb. 65. Aliis tetrapylis, quorum singuli supersunt arcus, qui quidem quaterni iuncti erant, iunguntur tantum aliae plateae ex transverso incidentes cum media illa.

4) Malalas p. 232.

Antiochia exornabatur, verbo memorare satis habeo, sicut Charonium illud caput, in monte, qui Antiochiae imminet, vivo saxo excisum, quo Leius quidam mystagogus pestem ab urbe defendisse traditur [1]), et statua Regis taurum domantis ex aere posita in memoriam Tauri montis latronibus liberati [2]). Multo digniora memuratu sunt, quibus Epiphanes Daphnaeum delubrum non condidit quidem, ut sunt qui tradant [3]), sed auxit tamen magnopere. Hic enim fuit, qui cum Apollinaribus sacris Olympii Iovis cultum iunxit, cui omnium maxime favebat. Cuius dei aedis, quae cum Daphnaeo stadio coniuncta et colossea Iovis imagine insignis erat, quanquam a Ioanne Malala ad Diocletianum auctorem refertur [4]), multo tamen rectius ad Epiphanem revocabitur. Ammianus enim Marcellinus [5]) ab hoc Rege in Daphnaeo delubro positum esse dicit simulacrum Olympiaci Iovis imitamenti aequiparans magnitudinem. Quae verba obscuriora videri variisque ten-

1) Malalas p. 205. Tzetzes Chil. II. h. 59. v. 920. Scholia in Exeges. Iliad. ad v. 36. p. 803. Bachm. Charontis hic eadem significatio, quae in Charoneis theatrorum et Etruscae artis operibus. Cf. Ambrosch de Charonte Etrusco p. 53.

2) Libanius p. 311. Statuam Antiochiae fuisse vix dubitari potest. Fortasse hinc Tauriana porta dicta.

3) Ammianus Marcellinus XXII, 13, 1.

4) Malalas p. 307. de Diocletiano: *ἔκτισε δὲ ἐν αὐτῷ τῷ σταδίῳ Δάφνης ἱερὸν Ὀλυμπίου Διός, καὶ ἐν τῇ σφενδόνῃ τοῦ αὐτοῦ σταδίου ἔκτισεν ἱερὸν τῇ Νεμέσει.* Hoc Nemeseos delubrum intelligo fuisse ad metam stadii, circa quam corona quaedam sedilium extruebatur, quod in Ephesio stadio aliisque etiamnunc videre licet; hic cum praecipuo loco agonothetae sederent, in umbilico huius semicirculi, qui *σφενδόνη* dicebatur, Nemeseos signum (quod sublatum queri videtur Liban ad Theodos. p. 628.) cum aedicula, quae monopteros et orbicularis fuisse videtur, erigebatur, scilicet ut Iustitiam semper respicerent iudices illi. Non dissimili ratione cum Panathenaico Atheniensium stadio, ab Herode Attico extructo, Fortunae delubrum coniunctum erat. V. Philostrat. de Vit. Sophist. II, 1, 5. p. 550. ed. Olear. *τὸ δὲ ἐπὶ θάτερα τοῦ σταδίου νεὼς ἐπέχει Τύχης καὶ ἄγαλμα ἐλεφάντινον, ὡς κυβερνώσης πάντα.* Olympium autem anteriori stadii muro adiunctum fuisse crediderim. Ipsum stadium *Ὀλυμπικὸν* dicitur a Libanio Antioch. p. 351.

5) XXII, 13, 1.

tari possent rationibus, nisi etiam Epiphanis numi, et posthac multa et regum moneta et quae ab Antiochena civitate ultimis Seleucidarum temporibus (anno CCXXI. et sqq.) signata est, Iovis speciem offeret plane geminam eius, quam Phidias Olympiae posuit [1]). Etenim solio insidens, pallioque circa femora amictus altera manu sceptrum erigit, altera Victoriolam protendit; propter quam haec Iovis forma *Νικηφόρου* nomine notari solet [2]). Atque libenter admiserim, hoc simulacro non pietatem erga deum, sed insanam aegrae mentis superbiam demonstrasse Epimanem illum, quippe qui in numis ipse *θεὸς Νικηφόρος* nuncupetur. Sicut Phidiacum signum, etiam hoc Daphnaeum ex auro et ebore compositum, non statuariorum, sed caelatorum opus erat, cuius generi generis artificum totos greges Antiochus convocaverat, qui etiam sermonibus eorum gaudebat [3]). Victoria, quam manu tenebat, aurea erat; hanc Alexander ille Zebinas, qui Syriae regnum astu et mendaciis affectaverat, cum ab Antiocho octavo sive Grypo proelio victus Antiochiam profugisset, ad stipendia militibus paranda abstulisse fertur, facetis iocis sacrilegium circumscribens, nam a Iove commodatam sibi esse dicebat [4]), Quod cum eius aviditatem non expleret, ipsius Iovis aureum

---

1) De numis Iove Nicephoro insignibus, qui Seleuco Nicatori tribuuntur (v. Mionnet T. V. p. 3.), dubitare licet, num recte primo Seleuco tribuantur. Cf. Eckhel. D. N. I, III, p. 210 sqq.

2) Eckhel. D. N. I, III. p. 214. cf. p. 268 sqq. Mionnet T. V. p. 31. n. 270 sq. cf. p. 148 sq. *Suppl.* T. VIII. pl. 12, 4. Pellerin *Recueil de Méd. de peuples* T. III. pl. 67. n. 3. *Méd. de Rois* pl. 9. Museum Sanclementinum tb. 3. n. 46. Victoria in numis Antiochiae urbis, cum annis Seleucidarum, conversa est ad Iovem; in aliis, regiis, tum a Iove avolatura esse videtur, tum Iovem ipsum coronatura. — Notabile est etiam alterius Phidiaci operis, Palladis in Parthenone positae, imitamentum in numis extremae Seleucidarum aetatis conspici. V. ex. gr. Mionnet *Descript. Suppl.* T. VIII. pl. 14, 1.

3) Polybius XXVI. Vol. IV. p. 353. Schweigh. apud Athenaeum V. p. 193 d. Quantum eboris idem rex comparaverit, apparet ex eodem Athenaeo p. 194. Cf. Quatremère de Quincy *Iup. Olymp.* p. 339.

4) Iustinus XXXIX, 2. Froehlich. Annal. Syr. p. 94.

simulacrum infiniti ponderis evellere voluisse, sed multitudinis concursu prohibitus et in fugam versus esse dicitur [1]). Alii Antiochum Cyzicenum, Sidetis filium qui Grypum devicit, scribunt, aureum Iovem quindecim cubitorum ex delubro sustulisse et ex aere bracteolis substituisse fucatum [2]). Qui cum aperte de eodem simulacro loquantur, apparet hunc Antiochenorum Olympium ingenti fuisse magnitudine, sed aliquanto tamen minorem Olympico Phidiae colosso. Hoc sacrilegium sive agitabatur tantum sive absolutum est: manebat tamen dei signum et sacrorum eius honor usque ad Iuliani et Chrysostomi tempora; sub Romanis principibus etiam Olympicis ludis celebratus, qui inde a Pisa huc translati sunt. Ludis autem iam Epiphanes Iovis ea sacra auxerat; nam ad Iovem praecipue colendum eos institutos esse, numi quidam cum Regis, tum civitatis Antiochenornm sub eo rege signati ostendunt, in quibus dei huius simulacrum extat, dextra protensa coronam ostentans, proinde ac si athletas ad certamina alliceret et invitaret [3]). Quae illorum ludorum fuerit magnificentia, augurari licet ex ludis Daphnaeis, ab Antiocho circa annum 167 a. Chr. celebratis, quos a Polybio descriptos habemus [4]). Nondum tamen ea aetate Olympii ludi certa lege

---

1) Iustinus l. l. Diodorus Exc. de virt. et vit. XXXV, p. 604 Wess. p. 145 Dind. *συλᾶν* dicit *ἐπιβαλέσθαι* Alexandrum *διά τινων βαρβάρων τὸ τοῦ Διὸς ἱερόν.*

2) Clemens Protrept. p. 15. Sylb. p. 46. Potter. Arnob. adv. gent. VI, 21.

3) Mionnet T. V. p. 215. Froehlich. Ann. Syr. p. 51. n. 20. Pellerin *Recueil des Méd. de peuples* T. III. pl. 67. n. 16. *Méd. de Rois* pl. 9. Hunc Iovem viri docti, qui de numis scribunt, Olympium appellare solent. Rectius diceretur Iuppiter brabeuta. Non sine caussa in numis his, sub Antiocho IV signatis, *Ἀντιόχεια πρὸς Δάφνῃ* dicta est. (Unde qui fieri potuerit ut Eckhelius colligeret eos numos extra Antiochiam signatos esse, D. N. I, III. p. 305., parum intelligo. Cf. tamen Buttmann. Mythol. I. p. 244.) Tripode, qui Iovi in his numis appositus est, victoriae praemia indicantur.

4) Polyb. XXXI. (Vol. IV. p. 495.) apud Athenaeum V. p. 194 sqq. X. p. 439. De panegyricis solennibus a Grypo Daphnae magno sumptu celebratis Athenaeus XII. p. 540. ex Posidonii l. XXVIII. De eadem re dici ab Athen. V. p. 210. ob-

redeuntes instituebantur, quod constat non ante Commodum imperatorem factum esse.

25. Insequentibus temporibus, cum regum Syriae potentia discordia et mollitie in dies magis frangeretur, Antiochiae tamen opes et splendor haud imminuebantur. Scilicet et agrorum fertilitate et commerciorum frequentia non mutata durabant etiam opes et luxus civitatis. Itaque cum urbs eo terrae motu, quem supra (§. 5.) primum recensuimus, anno p. Chr. 148. vastata esset, tota instaurata est [1]). Quod quanquam Malalae vel potius Domnino, ad quem provocat, credimus: splendidiorem tamen urbem ex ruina resurrexisse [2]), non credemus, si Syriae regni vires sub Antiocho tertio et quarto cum eo rerum statu comparamus, qui tum obtinebat, cum Alexander Balas, ab Aegyptiis in regnum Syriae missus, auctoritatem vixdum inter Syros stabilitam mollitie et ignavia in dies frangeret. Alia clade, interno bello et seditione regnante Demetrio eo, qni Nicator dicitur, Antiochenorum urbs vastata est. Quae Antiochenorum seditio eo creverat, ut Demetrii regia, puto eadem quam supra descripsi, oppugnaretur. Defendebant eam milites mercenarii, inter quos multi Iudaei fuisse dicuntur, inde a tecto regiae, quae arcis instar erat, prepugnantes. Hinc cum faces proximis tectis iniectae essent, urbs quae ligno magna ex parte extructa erat, fere tota incensa esse dicitur [3]). Dicuntur regni incolae huic regi infesti fuisse etiam propter patrem (Demetrium Soterem),

---

servat Bake Posidon. p. 146. *Περὶ τῶν ἐν Δάφνῃ πανηγύρεων* laudatur ab Athenaeo Protagorides Cyzicenus.

1) V. Malalas p. 207. 208. (V. 88.) Antiochus *ὁ ἔκγονος Γρύπου* (*Γλαυκοῦ*) puto, v. p. 207.), *υἱὸς Λαοδίκης θυγατρὸς Ἀριαράθου,* quo IX annum regnante hoc accidisse Malalas scripsit, ab historia horum temporum non agnoscitur, qua, Alexandrum Balam Syriam obtinuisse eo tempore, quod inter Demetrium Soterem Seleuci IV filium et Demetrium Nicatorem Soteris filium intercedit, notissimum est. Sed credibile est, Antiochenos, qui Alexandrum illum in odio haberent (Ioseph. Antt. Iud. XIII, 4, 7.), in fastis suis alium nescio quem Seleucidarum stirpis nepotulum pro genuino Rege habitum hoc loco inseruisse.

2) *βελτίων ἐγένετο,* Malalas p. 207.

3) Liber de Maccabaeis I. c. 11, 45. Iosephus Antiqq. Iud. XIII, 5, 3. De eadem re narrat Diodor. Exc. de V. et V. XXXIII. p. 132. Dind.

qui cum sibi arcem quatuor turribus munitam (*τετραπύργιον βασίλειον*) non longe ab Antiochia extruxisset, ibi deses neque regni neque urbis curam habebat [1]). Insequentibus temporibus Syriae reges deorum delubra, quae ab eorum maioribus tanto sumptu ornata erant, etiam spoliare coepisse: exemplo Alexandri Zebinae, quem Ptolemaeus Physcon in regnum Syriae subornaverat, et Antiochi Cyziceni, qui Sidetus filius erat, vidimus. Nunc perventum ad cruenta illa et dira tempora, quibus Cleopatrae et Tryphaenae sororum infestissimis odiis Syrorum regum res in ultimum discrimen adductae sunt. Tum Antiochia, in qua erat Cyziceni uxor Cleopatra, ab Antiocho Grypo obsessa: qua capta Tryphaena, uxor Grypi, nihil antiquius habuit quam ut Cleopatra requireretur, et cum in delubro, Daphnaeae puto Dianae, inventa esset, ut a militibus praecisis manibus deae simulacrum amplexantibus confoderetur [2]). E filiis Grypi etiam memorare opus est Antiochum et cum eo coniunctissimum Philippum, qui devicto fratre Demetrio, qui tertius numeratur, anno a. Chr. 88, Antiochenorum CCXXV. Antiochiam occupavit Syriaequae regno potitus est [3]). Huius frater, quem diximus, Antiochus, qui eodem, quo ille, cognomine appellatur Epiphanes Philadelphus, miro modo extollitur a Malala, quod praeter alia opera, quibus Antiochiae suburbia ornaverit, etiam Daphnae duas aedes, Apollinis et Dianae, condiderit [4]): quae nisi ficta sunt, cum in breve regnum huius

---

1) Iosephus Antiqq. Iud. XIII, 2, 1. Cf tamen Polyb. XXXII, 4, 1. Contra Antiochi Sidetae exercitus, qui cum ipso Rege a Parthis caesus est (a. Chr. 131.), magnam partem ex Antiochiae incolis conscriptus erat: quo factum ut cum nuntius eius cladis Antiochiam allatus esset, per omnes fere domos summus cooriretur luctus. Diodorus Exc. l. XXXIV sq. fragm. 9. (Mai, Script. Vet. Nova Coll. V. II. p. 106.)

2) Iustinus XXXV, 3.

3) Iosephus Antiqq. Iud. XIII, 14. 3.

4) Malalas p. 234. *ὡςαύτως δὲ καὶ Ἀντίοχος ὁ βασιλεὺς πάλιν ὁ λεγόμενος Φιλάδελφος ἔκτισεν ἔξω τῆς πόλεως πολλά· ὅςτις καὶ ἐν Δάφνῃ ἔκτισεν ἐν τῷ ἄλσει ἱερὰ δύο, Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος κ. τ. λ.* De cognomine Epiphanis Philadelphi v. Eckhel. D. N. I, III. p. 244. Cf. Froehlich. Annal. Syr. ad a. Seleuc. 220. a. Chr. 93.

Philadelphi non quadrent, eum in modum aucta sunt, ut quid veri subsit, nunc intelligi nequeat. Ad Philippum autem, cui Barypodi cognomen inditum est, Qu. Marcius Rex (idem, ut videtur, qui an no u. c. 685. a. Chr. 68. consulatum gessit) Roma missus venisse dicitur, ad tributum, ut tradit Malalas, irrogandum, idemque ex sumptibus struxisse Antiochenis veterem Circum et vetus Palatium [1]). Quae fama quanquam et ipsa in maius aucta videri potest: agnoscimus tamen Romanos civitatis opulentae ac suis ipsius regibus nimiae et formidolosae animos tentantes et ambitus illecebris dominatum sibi struentes.

26. Paucis annis post (a. Chr. 83.) Tigranes, Armeniae rex, in regnum Syriae accitus est, vel se ipse accivit: quem non totam quidem Syriam, sed Antiochiam saltem obtinuisse, numi capite Regis et simulacro urbis ornati ostendunt. Quo rege barbaro Antiochenorum mores et sacra et artis ingenium magnopere mutata esse non credibile; potius Graecos barbarum mores induisse statuemus. Graecorum autem religiones cum Chaldaica superstitione in Syria iam ante Tigranem misceri coeptas esse crediderim, quanquam ab eo demum tempore etiam in numis themata genethliaca observantur [2]). Tigranes autem Syria excedere coactus est a Lucullo; regnumque avitum redditum Antiochi Cyziceni nepoti, Eusebis s. Pii filio Antiocho, qui quanquam nil nisi umbra regis Romanorumque ludibrium, in numis tamen ma-

---

1) Sic Malalas p. 225. (291): *Ἔκτισε δὲ πρώην τὸ αὐτὸ παλαιὸν ἱππικὸν καὶ τὸ παλαιὸν παλάτιον ἐκ τῶν ἰδίων Κοΐντος Μαρκιανός ῥὴξ Ῥωμαίων, κατελθὼν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας πρὸς Φίλιππον τὸν βαρύπουν τὸν Μακεδόνα τὸν βασιλεύοντα ἐν Ἀντιοχείᾳ, τυπῶσαι φόρους διδόναι αὐτὸν Ῥωμαίοις.* Quem Malalas Qu. Marcianum regem Romanorum dicit, erat Qu. Marcius rex, idem opinor, qui L. Metelli in cos. collega fuerat a. u. 685. Hippodromus ille sive Circus, quem postea Agrippa instauravit, erat in Campo, *ἐν τῇ πεδιάδι* p. 307. et vel in nova urbe vel prope eam (Euagr. II, 12.). Traianus plures dies ibi degit, ut tutus esset a terrae motu, Dio Cass. LXVIII, 25. Anterior eius pars turribus instructa erat, sicut oppidum quod dicitur in circis Romanis, Euagr. II, 12. Cf. Libanius p. 345., locus mutilus quo de venationibus in Circo dixisse videtur; posthaec de magno sedilium numero sermo est.

2) V. supra §. 12.

gnificis gloriatur nominibus *Διονύσου Ἐπιφανοῦς Φιλοπάτορος Καλλινίκου*. Hic igitur Antiochus, qui a Romanis Asiaticus dicitur, Philopator ille Antiochus est, quem Malalas narrat ex bonis a Marone Antiocheno, cum ille Athenas migraret, civitate relictis Musarum aedem et, ad imitationem Alexandrini Musei, bibliothecam extruxisse [1]: puto ad iuvanda eruditorum hominum studia, quorum frequentia Antiochiam tum cum maxime floruisse, Cicero testatur, eorum temporum aequalis [2]. Quod Museum cum eodem incendio, quo curia et fori maior pars, Tiberio imperante absumptum sit, in eadem urbis parte, id est in Epiphania, haud longe a Silpio monte situm id fuisse statuemus. Quae autem eius Musei condicio inferioribus fuerit temporibus, tum quaeremus, cum ad ea pervenerimus [3].

27. Nunc quoniam ad id tempus pervenimus, quo Pompeius [4] Syriam provinciam P. R. esse iussit: subsistamus paulisper, et ad quem statum sub Regibus pervenerit, consideremus. Ac primum quidem quod ad magnitudinem attinet, urbs tum iam ad eos fines excreverat, intra quos se sub imperatoribus Romanis continuit, donec a Iustiniano in augustiorem multo ambitum contracta est. Longitudinem supra diximus fuisse XXXVI stadiorum, latitudinem si ab dextro Orontis flumine ad scopulos illos, quos Epiphaniam comprehendisse vidimus, computaveris, vix XXX stadiis minorem invenies, unde efficitur, si urbem rectanguli figura fuisse ponimus, spatium eius MLXXX quadratorum stadiorum fuisse, a quo si demuntur quae demenda sunt, apparebit tamen, inter urbes nostrorum temporum Lutetiam magnitudine Antiochiae non multum antecellere. Haec de Quadrurbio dixi, cui accedunt suburbia longe lateque patentia, maxime ultra dextrum Oron-

---

1) Malalas p. 235.

2) Cicero pro Archia poëta 3, 4: *Archiae .. Antiochiae .. celebri quondam urbe et copiosa atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit.*

3) Dissertat. II. §. 16.

4) Pompeii quae apud Antiochenos fuerit gratia et auctoritas, clariore non potest demonstrari testimonio, quam ridiculo illo Catonis introitu, de quo narrant Plutarchus Caton. min. 13. et Iulianus Misopogone p. 358. Spanh. ex Damophilo Bithyno.

tis flumen [1]), et occidentem versus, qua regione Heracleis urbi, Heracleidi Daphne continuabatur [2]). Ex ingenti aedificiorum numero quibus ea area superstructa erat, quorum memoria superest, eam diligenter instauravimus, sed quota pars eorum, quae oblivionis caligine opprimuntur! **Deorum aedes**, praeter Appollinis Dianaeque et Iovis Olympii templa Daphnaea, in ipsa urbe haec memoravimus: Iovis Bottii et Ceraunii Saturnique (§. 6.) delubra, Tychaeum Eleusiniumque et Iseum et Museum et Nymphaeum et Capitolium Antiochenum. Constat autem, quemque ex Seleucidarum gente regem, neque reges solum sed etiam reginas, auram popularem captantes sacris aedibus extruendis deorum honori suaeque satisfecisse vanitati; aliumque Cereri, alium Herculi, alium Minoi, alium alii deo aedem vovisse, Libanius testis est [3]), ita ut

---

1) **Libanius** p. 340.

2) Supra §. 16.

3) Apposui **Libanii** locum totum, quo in proximis etiam uterer, ex Antioch. p. 311. 312. R. *Πάντες δὲ (οἱ βασιλεῖς) ἓν ἐκεῖνο ταὐτὸ φρονήσαντες, τὸ ἣς ἕκαστος παρελάμβανε μείζω παραδοῦναι τὴν πόλιν. ὁ μέν τις Μίνωος ἱερὸν ἐποίησεν, ὁ δὲ Δήμητρος* (cf. *Πρεσβευτ.* p. 480. **Iulianus** Misopogone p. 346. Spanh.), *ἄλλος Ἡρακλέους* (hoc cecidit sub Claudio, cum templo **Dianae** et **Martis**; v. Malal. p. 246. et de Martis delubro diss. II. §. 2.; Dianae et Martis solennia coniuncta fuisse dicitur ex Malal. p. 285.), *ἕτερος ἑτέρου. καὶ τῷ μὲν ἐδημιουργεῖτα θέατρον, τῷ δὲ βουλευτήριον* (v. supra §. 21.). *ὁ δὲ ὁδοὺς ἐλέαινεν, οἱ δὲ τὰ Νυμφῶν ὀχετοῖς ἐκόμιζον. οἱ μὲν ἐκ προαστείων εἰς τὴν πόλιν, οἱ δὲ εἰς τὸ νεώτερον μέρος ἐκ τῶν πηγῶν αἷς ἡ παλαιτέρα βρύει. νεώς τε ἐπὶ νεῷ κατεσκευάζετο, καὶ τὸ πλεῖστον ἦν τῆς πόλεως ἐν τοῖς ἱεροῖς. τὸ γάρ αὐτὸ κόσμος τε τῇ πόλει καὶ φυλακὴ τῶν θεῶν τὰ ἀνάκτορα.* Et idem infra p. 313. *ἀλλὰ καὶ τῶν ἐκείνων γυναικῶν, αἳ τοὺς ἱστοὺς ὑπερβᾶσαι κρείττους ἐγένοντο τῆς φύσεως εἰς τὴν πόλιν φροντίδας ἀνδράσι προσηκούσας ὑπομένουσαι, αἱ μὲν βοηθοῦσαι τοῖς περὶ τὰς ταφὰς νόμοις, αἱ δὲ τοὺς μὲν θεοὺς ἱεροῖς τιμῶσαι τὴν δὲ πόλιν τιμῇ κοσμοῦσαι.* De templis adiungo **Libanii** locum ad Iulianum Leg. p. 480. *ἱκετεύει σε πόλις, πολλούς σοι θεοὺς παρασχομένη συμμάχους οἷς ἔθυσας, οὓς ἐκάλεσας, μεθ' ὧν ἐστρατεύου, τὸν Ἑρμῆν* (cf. Liban. p. 405., ea aedis eo loco erat, quo postea Rufini basilica, diss. II. §. 16.), *τὴν Δήμητρα, τὸν Ἄρη, τὴν Καλλιόπην, τὸν Ἀπόλλω, τὸν Δία τόν τε ἐπὶ τῆς Κορυφῆς καὶ τὸν ἐν*

magna urbis pars ex deorum constaret delubris. Inter templa, quae modo diximus, maxime nos advertit Minoium: quod haud dubie honori Cretensium debetur, qui ex Casio monte Antiochiam traducti esse ferebantur (v. §. 6.). Nimirum ea aetate, quae Graecarum et Asiaticarum fabularum facta est commixtio, proclive erat, Cretensium heroum stirpem quaerere in Syria et Palaestina. Tum Gaza Minoia appellata est [1]), et, sicut Antiochia, Ione [2]); et Gazaeorum deus Marnas ab aliis Iuppiter Cretagenes dictus [3]), ab aliis, ut barbarus quidam et obscurus deus, in inferiorem multo dignitatem depressus et Asterii Cretensis servus habitus est. Id autem aegre ferimus, quod a nullo scriptore certiores facti sumus, quo nomine Asiani illi dii culti fuerint, quorum imagines inde a Demetrio II. in numis Seleucidarum inveniuntur, modo Iovem Belum, modo deam quandam Dianae Ephesiae similem, modo alia barbarae superstitionis figmenta referentes [4]).

28. Etiam theatrum Antiochenis a regibus iam structum esse, ut statuamus, vix opus est Libanio teste: quanquam Malalas ante Caesarem nihil de theatro Antiocheno.

ἄστει. De Calliopes delubro in media urbe cf. Libanius Monod. p. 336. Iulianus Misopog. p. 357. Spanh. Hoc ad delubrum etiam ea pertinent, quae Libanius in extr. orat. ad Theodosium *ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς* dicit p. 677. R. Recte Gothofredus statuit, illa quoque Libanii, *ὑπὲρ τῶν ἱερῶν* p. 201. *εἰπέ μοι, διὰ τί τὸ τῆς Τύχης* (cf. §. 15.) *τοῦτο σῶν ἐστὶν ἱερὸν καὶ τὸ τοῦ Διὸς καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τὸ τοῦ Διονύσου,* ad Antiochiam spectare. De Bacchi delubro v. diss. II. §. 4. De Minervae aede cf. diss. II. §. 12. Nescio, quantum tribuam Arabibus, qui narrant, Martis (planetam intelligunt) templum, Esseieda dictum, fuisse in media urbe, non procul a thermis; Saturnique mirabile templum ad pontem *Kantara essamak,* balneo vicinum, situm fuisse. V. *Gihân Numâ* p. 343. et cf. diss. II. §. 22. ann. Certe hoc Saturni templum distinguendum ab illo, quod §. 6. memorabatur.

1) Stephan. Byzant. s. vv. *Γάζα* et *Μινώα.*

2) Idem s. v. *Γάζα.*

3) Idem l. l. Et v. Hoeckius Cretic. II. p. 368 sqq. Has opiniones Alexandriae viguisse, intelligi videtur ex interpretatione loci Sophoniae c. 2. v. 5, a LXX interprett. facta.

4) V. maxime Mionnet *Descr. Supplém.* T. VIII. pl. 13, 1. 4. 14, 2.

Hunc autem narrat Antiochenis theatrum struxisse in monte acropoleos [1]); alteram zonam additam esse theatro Antiocheno ab Agrippa [2]); tertiam zonam huic theatro, quod ad montem erat, addidisse Tiberium [3]); Traianum denique totum opus perfecisse [4]). Ex his, quae modo posui, intelligitur, theatri huius caveam, in qua spectatores sedebant, ut in Graeciae urbibus fere ubique etiamnunc videre licet, ad montem fuisse acclinatam et ex ipsa rupe excisam, in qua fortasse peritiores et diligentiores locorum investigatores cavum illud agnoscere et demonstrare poterunt. Et ita quidem montis summa impendebant theatro, ut cum Gallieni temporibus Sapores Persarum rex verticem illum ex improviso occupasset, populi Antiocheni magna pars in theatro sedens a sagittaris Persis configeretur [5]). Videtur autem prima tantum zona, id est infima cavea infra primam praecinctionem sive circuitum vivo saxo excisa fuisse (et sufficere poterat haec, cum etiam ex ipso monte quae in theatro agebantur spectari possent [6]); secunda et tertia zona, sive media et summa cavea, supra primam et secundam praecinctionem ex saxo quadrato superstructa esse. Haec pars theatrorum structurae satis nota est: accedo ad alium minus explicatam. Dico Nymphaeum Proscenii, in quo Traianus Fortunae Antiochiae statuam tetracionio circumdatam reposuisse dicitur [7]). Nymphaeum

---

1) p. 217. *Τὸ ὑπὸ τῷ ὄρει θέατρον* dicit Libanius *περὶ τοῦ πλέθρου* p. 273. Idem p. 345., ubi de variis theatrorum generibus, quibus amphitheatra comprehendit, loquitur, *τὰ μὲν ἀθληταῖς ἐναγωνίσασθαι πεποιημένα, τὰ δ' ἀνδράσι πρὸς θηρία* dicit, *πάντα ἐν μέσῃ τῇ πόλει, καὶ οὐκ ἀναγκάζονται προλυπηθῆναι τῶν ἡδέων τῷ μήκει τῆς ἐπ' αὐτὰ πορείας.* Io. Phocas p. 2. ed. Ven. Antiochiam olim splendidam fuisse dicit *μεγέθει θεάτρων, στοῶν καλλοναῖς καὶ ναῶν ἀφιδρύμασι.*

2) p. 222.

3) p. 234. 235 cf. Tacitus H. II, 80. Iosephus B. I. VII, 3, 3. 5. 2.

4) p. 276.

5) Eunapius Vit. Sophist. Aedes. p. 44. Steph. (29. Boisson.) de Sapore: *ὅς γε τὴν ἄκραν τὴν ὑπερκειμένην τοῦ θεάτρου καταλαβὼν ἀδοκήτως καὶ ἐξαπιναίως τὸ πολὺ πλῆθος τῶν θεωμένων ξυνετόξευσε καὶ διέφθειρε.*

6) Hoc intelligitur ex Libanio *περὶ τοῦ πλέθρου* p. 293.

7) Malalas p. 276. Hic scriptor cum has Fortunas omnes

antrum est Nympharum, atque, de quo supra (§. 22.) dicebatur, aedis rotunda et convexa antri similis; huic autem proscenii Nymphaeo principue comparanda Nymphaea, quae in tabernaculo Bacchico, a Ptolemaeo Philadelpho magnifice apparato, supra columnas et epistylium zophori locum obtinebant, alternatim composita cum antris Bacchicis, specie ut videtur leniter cavata et superne convexa [1]). Itaque etiam in theatro supra columnationem proscenii et infra fastigium, quo scenam putaverim coronatam fuisse, cava fuisse loca opinor artificiose exornata et satis ampla ad excipiendum signum cum tetracionio suo. Quanquam fortasse probabilius est, ipsum fastigium s. aetoma forma fuisse convexa eoque architecturae ornatu, ut Nymphaeum dicere potuerit [2]).

29. Amphitheatrorum structura ab his Macedonum temporibus aliena, nisi forte Antiochus Epiphanes, Romanorum morum ambitiosus affectator, etiam his ludis cives suos assuefacere coepit. Sed aquarum ductibus Antiochia iam ante Romana tempora cum Roma certasse videtur, siquidem Libanio teste cum ex suburbiis in urbem, tum ex vetere urbe altius sita in novam a regibus aquae deductae erant, quod fieri non poterat, nisi arcuatione supra Orontis flumen structa. Hinc intelligitur, etiam Graecis Asiae urbibus aequaeductuum usum et ornatum non defuisse. Miror Libanium cum aquis

---

virgines dicat ab iis immolatas, qui illas statuis decoravere: huc etiam facit, quod p. 235. Tiberius, cum secundam zonam theatro adderet, Antigonen virginem mactasse dicitur. Ornavit ni fallor theatrum Antigoniae Fortunae (v. supra §. 15. extr.) signo.

1) Callixenus apud Athenaeum V. p. 197. *κατὰ μέσον δὲ τῶν ἄντρων Νυμφαῖ* (sic Casaubonus, *νύμφαι* codd.) *ἐλείφθησαν, ἐν οἷς* (Casaub. *αἷς* codd.) *ἔκειντο Δελφικοὶ χρυσοῖ τρίποδες, ὑποστήματ' ἔχοντες.* Et antra et nymphaea erant supra columnas, quarum altitudo erat L cubitorum, et epistylium, in quo scuta aurea et argentea erant, infra fastigia, quae XV cubita alta erant, in zophoro quodam, cuius altitudo erat VIII cubitorum. Antra metoparum instar profundius excavata erant, quippe quae scenicarum personarum convivia ad naturam expressa continebant; Nymphaea, in quibus tripodes erant, altius extabant.

2) Fortasse Nymphaeum hoc erat coniunctum cum cava illa et semicirculari scenae parte, quae in theatris Asiae nonnusquam conspicitur, velut in theatro Laodiceno, cuius ichnographiam Antiquitates Ioniae exhibent.

non coniunxisse thermas, quas ante Romanorum tempora Antiochiae fuisse magnificas, etiam confidentius affirmaverim [1]. Thermae enim, quales Agrippa in Campo struxit, nihil Romanis moribus peculiare continent, sed quasi conflatae sunt ex balneis, quas ex Graecia Romam translatas scimus, et gymnasiorum palaestris, xystis, stadiis, porticibus. Quod temperamentum cum a liberis Graecorum rebus publicis alienum fuerit: cui tempori attribuemus, nisi Graecis regibus, maxime Asiae, in qua etiamnunc antiquarum thermarum ruderibus ad eandem calidae, tepidae, frigidae lavationis varietatem utuntur, caelo et moribus proinde ad hunc luxum homines invitantibus: quanquam Antiochenos ex immodico eorum usu non iuventutem, sed senectutem nactos esse, vere affirmasse videtur Apollonius Tyanensis [2]. Quid quod Posidonius in sexto decimo historiarum libro de luxu, quo Syriae urbes corrumpebantur, scribens [3] hos homines, dicit, gymnasiis pro balneis uti: quo thermarum illarum origo aperte indicatur. Sed satis habemus hinc thermas Romanorum repetere; quales illae a regibus Antiochenis structae fuerint, cognoscere non concessum: nisi fortasse quod Antiochiae hiberna lavacra ab aestivis distinguuntur, illa a frigido aere seclusa, haec in monte sita et altis, ut videtur, columnis suspensa, a regibus Seleucidis inventum esse statuere licet [4].

30. Ut finem faciam huius operae meae partis: etiam mortuorum sedes annotabo a regibus splendidius esse ex-

---

1) V. supra §. 3.

2) Philostr. V. Apoll. I, 16. p. 20.

3) Apud Athenaeum V. p. 210. f. VII. p. 527. e.

4) Euagrius Hist. Eccl. VI, 8. (cf. Nicephor. XVIII, 13.) duo commemorat Antiochiae lavacra *τὰ πρὸς τὰς ὥρας διῃρημένα*, i. e. Henrico Valesio interprete ea, quae secundum anni tempora sic divisa erant, ut alterum hibernum alterum aestivum esset. Idque confirmo teste Libanio, Antioch. p. 345. R., qui lavacra Antiochena dicit *τὰ μὲν ἁρμόδια χειμῶνι, τὰ δὲ συμβαίνοντα θέρει, τὰ μὲν ἔξω πνευμάτων σφοδρῶν, τὰ δὲ ὥςπερ μετέωρα καὶ οὐ κοινωνοῦντα τῆς γῆς. Θερινὸν λουτρὸν* Aphrodisiadis urbis extat in titulo Corp. Inscr. Graec n. 2804. Etiam Romae utrumque genus institutum fuisse, discitur e Capitolini Gordiano III, 32. Plato in Critia p. 117. in Atlantidis descriptione distinguit piscinas sub divo a calidis lavacris hibernis, quae sub tecto erant.

ornatas. Quod enim Libanius dicit, unam ex reginis Antiochiae monimentorum sepulcralium religioni providisse, id, praesertim cum locus ille universus ad aedificia urbis pertineat, significat, Necropolin quandam sumptibus et cura eius instructam esse. Quae Necropolis nullo alio loco esse poterat quam in rupibus et convallibus Casii montis supra Antiochiam, in quibus etiamnunc permulta sepulcra saxo excisa cellulaeque, quas postea anachoretae in hac necropoli degentes sibi inde paraverunt, conspiciuntur [1]), et diligentiore locorum perquisitione fortasse eiusdem generis monimenta apparebunt, quo rupium circa Cyrenas devexa omnia et anfracta nuper oculos peregre venientium in se traxerunt.

Commentatio altera

qua Antiochiae urbis forma quibus modis sub Romanorum imperio mutata sit, ostenditur.

1 8 3 9.

1. Perventum est ad ea tempora, quibus orbis terrarum, quae mare internum circumsepiunt, in Romanum cessit imperium, et pro Regibus Caesares cum cetero nationum agmine etiam Syriam obtinuere. Neque tamen haec tempora Antiochiae opes fregerunt: quid quod cum novo annorum computandorum ordine etiam novo publicorum operum et monimentorum seges ex ambitu et gratia principum in hac urbe crevit.

1) Sic Zeno monachus, qui circa a. 420 p. Chr. mortuus est, degit in sepulcro in monte Antiochiae imminente. V. Act. Sanct. Febr. T. II. p. 390. Plurima horum monachorum mentio in scriptoribus, qui de turbis Antiochenis dixerunt, quae Theodosio imperante motae sunt, in Chrysostomo, Theodoreto, etiam Libanio T. II. p. 199. R. V. supra §. 12. et cf. diss. II. §. 20. De hac Necropoli v. Buckingham *Trav. to the Arab. tribes* p. 565. Kinneir *Journey thr. Asia minor* p. 152. Richter *Wallfahrten* p. 281.

Nam cum iam Pompeius (Olymp. CLXXVIII, 4. ab u. c. 690 a. Chr. n. 64.) praecipue Daphnaeo delubro amplificato de Antiochenis bene meruisset [1]), eique autonomiam sive libertatem, quae vocabatur, concessisset [2]): Iulius Caesar, ne minor Antiochenorum εὐεργέτης videretur, quo tempore ad Pharnacen debellandum Alexandria in Syriam moverat, i. e. anno ab u. c. DCCVII, a. Chr. n. 47., Antiochiae libertatem tanquam integrum munus edicto ad Antiochenos misso tribuit. Hoc edictum Antiochiae publice recitatum est die XX Artemisii, sive Maii mensis, cum octo diebus ante, XII die eiusdem mensis, Caesarem dictatorem promulgassent Antiocheni. Caesar ipse die XXIII Artemisii urbem intravit [3]). Ab his igitur libertatis auspiciis annos computarunt Antiocheni, sed mutatis tamen, scilicet ut Caesari etiam magis placerent, rationibus huius computationis sic, ut non ab ipso Caesaris adventu, sed a pugna Pharsalia initium facerent, tanquam ea pugna non modo Caesaris dominatus, sed etiam suorum temporum felicitatis fundamenta iecisset. Itaque prima indictio sive primus annus Antiochenorum is est, qui a primo Septembris s. Gorpiaei, vel Octobris s. Hyperberetaei, vel Novembris s. Dii (nam sic Antiocheni anni initio sententiae differunt [4])) die anni u. c. DCCV, a. Chr. 49, usque

---

1) V. dissert. I, §. 16. — Daphnen Antonio et Octaviano triumviris magnum fuisse Antiochiae suburbium, intelligitur ex Dione Cassio LI, 7.

2) Porphyrius apud Scaligerum p. 227. Hoc usus est Norisius Ann. Syromaced. diss. III, c. 3. p. 157. Vaillant Numism. aerea Imp. in col. T. I. p. 33.

3) Haec ex Malala p. 216. B. (91. Ven.): quae sic intellecta bene concinunt cum Hirtio de bello Alex. c. 65. 66. *Commoratus fere in omnibus civitatibus* (Syriae) *quae maiores sunt dignitate, praemia benemeritis et viritim et publice tribuit etc.* Etiam in his rebus divina illius hominis ingenii acies cognoscitur, quia incredibilem rerum molem paucissimis diebus profligavit. Caesaris edicti prima verba sunt: Ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μητροπόλει ἱερᾷ καὶ ἀσύλῳ καὶ αὐτονόμῳ etc. Quibus appellationibus omnibus Antiochia etiam in numis suis superbit. Eadem, quae ex Malala hausimus, habet etiam Chronicum Paschale p. 187. a. Par. 354. Bonn., nisi quod Caesarem dictatorem Antiochiae promulgatum dicit die XXII Artemisii mensis.

4) v. diss. I. §. 9. p. 26. n. 5.

ad eundem diem anni u. c. DCCVI, a. Chr. 48. computatur [1]).

Quod horum edictorum, et actorum, ut multorum operum publicorum, incendiorum, terrae motuum, aliarum rerum, quae ad statum urbis Antiochiae spectant, tam plena memoria et accurata temporum notatio superest: id vix crediderim historicis illorum temporum scriptoribus deberi: cum nulli essent, quorum quidem nomen servatum est, qui res eius civitatis tam diligenter tractarent. Itaque non potest ea nisi ex monimentis commentariisve publicis ducta esse: quae qualia esse potuerint, non intelligo, nisi eandem formam habebant atque Acta diurna Populi Romani. Nam in his constat eadem plane consignata esse, Senatusconsulta, magistratuum edicta, aedificia, incendia, et quae sunt similia. Ac vero Antiochiae Acta ipse Malalas in rebus Iustiniani memorat [2]), nec quidquam obstat, quominus eadem vel similia commentaria iam sub Seleucidarum regno conscribi coepta esse credamus. Ex his autem Domninus sive Domnus, chronographus Antiochenus, quo solo teste Malalas in rebus patriae urbis utitur [3]), pleraque quae composuit sumpsisse videtur: cuius fides et auctoritas ex ipsis fontibus, quibus usus est, aestimari poterit. Nam in omnibus rebus, quas dixi, eam prae se fert certitudinem, quam monimenta publica prae-

---

1) Intellexerant id iam Petavius et Usherus; uberius demonstravit Norisius III, 4. p. 165. Cf. Eckhel. D. N. P. I. V. III. p. 268. 279. Ideler Enchirid. chronol. T. I. p. 459 sqq. Compend. chronol. p. 192 sqq. Belleius, Mem. Ac. Inscr. XXX. p. 272 sq. Graecos quidem ab a. 705., sed Syros ab a. 706. numerasse existimat.

2) V. Malalas XVIII. p. 443. (61. V.), ubi Antiochiam acclamatione populi dictam esse Theupolin, legi tradit *ἐν τοῖς χαρτίοις τῶν τὰ ἄκτα γραφόντων τῆς αὐτῆς πόλεως.*

3) Domninus s. Domnus a Malala, si unum de fabulis Graecis locum exceperis, p. 88. (36. V.). nonnisi in rebus Antiochenorum laudatur. V. p. 142. (60.) 208. (88.) 235. (99.) 266. (113.) 273. (116.) 287. (123.) 297. (127.) In fabulis, quas immiscet, explicandis hic Domninus facile vanissimum omnium allegoretarum agit. Cf. Lobeck. Aglaoph. T. II. p. 998. Io. Tzetz. Exeges. Iliad. p. 746. ap. Bachmann. Cephalionem, Palaephatum et Domninum eodem allegoricorum fabulatorum genere comprehendit.

stant: res imperii Romani ac principum saepe ex rumoribus, ut populi delectandi caussa in Acta relatos esse credibile est, incertis et fallacibus rettulisse videtur: quae de vetustis temporibus adiunxit, Asianarum civitatium fabulis corrupta et pragmatico studio artificiose composita, ea qualia fuerint, supra vidimus [1]).

2. Caesar cum statim intellexisset, Antiochenis placeri maxime splendidis operibus extructis: basilicam aedificari iussit, quae in memoriam conditoris Caesarium dicta est. Huius Caesarii cum et situs et forma ex Annalibus Antiochiae etiam nunc satis definiri possit: non iniucundum erit colligere omnia, quae de eo sciri possunt. Situm id erat eo loco, quo Parmenius sive Phyrminus terrens ex monte defluebat, exadversum Martis delubrum, quod postea in Macellum mutatum est [2]). Hic medius fere Epiphaniae urbis locus erat. Basilica cum esset, non poterat non esse aedificium rectangulare, oblongum, columnis disseptum et fultum. Sed propter amplitudinem, sicut in templis hypaethris, medius locus patulus sub divo relictus esse videtur: hic dicitur *τὸ τῆς βασιλικῆς ἐξάερον* [3]). Hemicyclium autem, quod in extrema basilica esse solebat, et apud Romanos tribunal appellatur, in hac Antiochenorum basilica concha dicitur, puto ab arcuationis genere. Haec concha, sub Valente principe, cum Caesarium sublatum esset et forum Valentis eius loco extructum, integra mansit, atque ex eo inde tempore haec Caesarii pars pro basilica erat [4]); In hac concha, ut videtur, Romae deae (*Τύχης*

---

1) Egregie de Malala Gibbo T. V. p. 326. n. 87. „*Whe may distinguish his authentic information of domestic facts from his gross ignorance of general history.*“

2) Haec colliguntur ex his Malalae locis, p. 216. (91. V.) 275. (117.) 287. (122.) 338. (13.) De templo Martis v. diss. I. §. 27. p. 70. n. 3., ubi id delubrum coniunctum fuisse cum Dianae aede, demonstratum est.

3) Malalas p. 287. (122. V.) *Ἐξάερον* esse locum sub divo, atrium, ostendit Ducangius Gloss. med. et inf. Graec. v. *ἐξάερον*.

4) Malalas p. 338. 339. (13. V.): *λύσας τὴν βασιλικὴν τὴν λεγομένην πρώην τὸ Καισάριον — καὶ τὴν κόγχην ἀνανεώσας αὐτῆς . . . καὶ στήλην δὲ μαρμαρίνην ἐν τῷ Σενάτῳ τῆς Κόγχης* (i. e. ut videtur, in ea conchae parte, in qua senatores Antiocheni considebant) *καὶ ἐν τῷ μέσῳ τῆς ἐν τῇ Κόγχῃ βασι-*

'Ρώμης) statua aerea erat [1]); Caesaris autem conditoris signum extra concham in Exaero illo quod dixi [2]). Simile fuisse puto Caesarium, quod Alexandriae fuisse traditur, et illud magnum, ni fallor, aedificium [3]): quanquam in Italiae municipiis Caesareum idem structurae genus, quod Caesarum aedis dicitur, Caesarum statuis protomisve ponendis destinatum, fuisse non negaverim [4]).

Caetera Caesaris opera in eo monte erant, qui Antiochiae acropolin sustinebat. Erat ibi lavacrum publicum, in quod Caesar aquam ex fontibus Laodicenae viae deduxerat [5]). Hoc igitur aquaeductu mons Casius superabatur, in quo fontes illos fuisse necesse; itaque veri non dissimile videtur, aquaeductum illum, quo etiamnunc partim montem perfossum, partim abrupta convallium inter se iuncta esse testantur, qui nuper eas terras videre [6]), huius Caesarei operis esse reliquias. Eadem in acropoli, quam Caesar exornandam sibi

---

λικῆς ἄλλην στήλην διὰ τιμίου λίθου ἀνέθηκε καθεζομένη ν τῷ αὐτῷ θειοτάτῳ βασιλεῖ Βαλεντινιανῷ. Chronicon Pasch. p. 528. B. (284. ed. Par.) Constantinum Byzantii scribit condidisse *βασιλικὴν ἔχουσαν κόγχην, καὶ ἔξω μεγάλους κίονας* erexisse *καὶ ἀνδριάντας, ἥνπερ ἐκάλεσεν Σενᾶτον, καλέσας τὸν τόπον Αὐγουσταῖον.* Quae minus plena leguntur ap. Malalam p. 321. (5. V.) In Christianis templis concha pars est hemicyclios, tecta hemisphaerio, eadem ferme, quam nunc Chorum dicunt. V. Ducangius v. *κόγχη* et maxime in descriptione aedis S. Sophiae §. 50. p. 109. ed. Bonn. (post Pauli Silentiarii carmen.) In titulo Aeresiorum Syriae apud I. V. Francke Inscr. Richter. p. 469. *Τυχαία*, i. e. Fortunae publicae statua, *σὺν τῇ κόγχῃ*, i. e. cum hemicyclio, in quo erat, auro ornatur.

1) Malalas p. 216. (91.)

2) Malalas p. 287. (122.)

3) Strabo XVII. p. 795.

4) De hoc Caesarei significatu dixit, illum non tetigit, Marinius *Atti dei fratelli Arvali* T. II. p. 383 sqq.

5) Malalas p. 217. (91. V.) 316 sq. (16. V.) Theodosius hunc aquaeductum cum amphitheatro Caesaris diruit, ut inde murum novum strueret. V. §. 20.

6) V. maxime Pococke p. 191. Kinneir p. 172. Eundem ductum tangere videtur Libanius, ubi de aquis scribit partim per montem excavatum, partim per pontes substructos in urb em deductis p. 353. De theatro a Caesare structo v. diss. I. §. 28.

sumpsisse videtur, tum extructum est amphitheatrum [1]). primum ut videtur, quo Antiochia aucta est, cum sub Regibus gladiatores nonnisi raro spectatos esse credibile sit. Hoc amphitheatrum postea Valens in venationem mutavit, destruxit Theodosius [2]).

3. Idem, qui Caesaris, Octaviani favor erat in Antiochenos, eademque eius gratia apud illos. Antonii [3]) ad Actium devicti nuntium cum accepissent Antiocheni, ab illo statim deficientes, eadem levitate, qua antea a Pompeio desciverant, Octaviani in partes concesserunt [4]); quo factum ut etiam ab Actiaca pugna annos computandi mos apud eos introduceretur, quem quidem non ultra primos Tiberii principis annos observari videmus. Ipse Caesar Octavianus, cum proximo anno Asiae Syriaeque circuitu Aegyptum peteret [5]), Antiochiam ingressus est et in ea urbe cum Agrippa triumphavit. Tum Agrippa maxime Antiochiae situ delectatus esse et lavacrum extra urbem ad montem [6]), ex quo adiunctis plu-

---

1) Malalas p. 217. (91. V.) Hocne est *τὸ πρόμηκες θέατρον*, quod a plethrio (de quo infra §. 12.) non multum afuisse dicit Libanius p. 273.? — Prope erat Veneris templum (Malalas p. 263. 112. V.), quod ab ipso Iulio conditum esse, probabile.

2) Malalas p. 339. (13. V.) 346. (16. V.) cf. p. 263. (112. V.). Valens *τὸ μονομαχεῖον* in *κυνήγιον* mutasse dicitur additis duabus *σφενδοναῖς*, easque arcubus instruxisse et sedilibus replevisse. Malal. p. 339. (V. 13. C.) De *σφενδονῇ* in stadio v. diss. I. §. 24., in Circo Malalas p. 340. (13.) et Ducangius in Lex. med. et inf. Graec. h. v. et in Constantin. Christ. II, 1, 9. p. 85. Ven., qui et ipse *σφενδονὴν* circinationem carceribus oppositam fuisse affirmat: sed inde nondum liquere fateor, qua ratione ea amphitheatro conveniat.

3) Antonius, quo tempore orientis provincias regendas suscepit (a. 714 ab u. c.), Parthi Labieno duce cum Pacoro Orodis filio Antiochiam et omnem fere Syriam obtinuerant, sed mox Ventidii armis pulsi sunt: quo Viscontius tetradrachma Parthorum Olympio Iove insignita refert, *Iconogr. Grecque* T. III. p. 82. Sed v. Tychsen de num. vet. Persar. IV. in Comment. Soc. Gotting. recent. T. III. cl. hist. p. 73 sqq.

4) V. Norisius Ann. Syrom. diss. III. c. 7. p. 250 sq.

5) Sueton. Octavian. 17.

6) Malal. p. 222. (94. V.) Postea Ampelinon dictum est.

ribus aedificiis Agrippinensis vicus crevisse videtur [1]), condidisse, idemque, cum Antiochiam iterum viseret, Circum veterem, a Qu. Marciano extructum, instaurasse ludosque in eo spectasse traditur [2]). Praeter Agrippam ex amicis Augusti etiam Herodes, Iudaeorum rex, Antiochiam ornavit via publica extra urbem in longitudinem XX stadiorum candido politoque marmore strata, ac porticu eodem spatio perducta [3]). Quo opere de civibus Antiochiae eo melius meruit, quod antea ea loca paludosa fuerant, et torrentibus simul arcendis ea structura provisum est. Crediderim, ab orientali urbis porta, in quam splendida illa platea, quam ab Epiphane structam scripsimus, incidebat, orientem versus, ad Orontem et lacum hanc viam fuisse directam [4]).

4. Tiberius, qui princeps Romae nulla opera magnifica fecit [5]), si chronographo Antiocheno incorrupta fides esset, Antiochiae tamen splendori omnium hominum maximum adiecisse augmentum statuendus esset, structis illis porticibus, quae magnam urbis plateam utrinque cingebant: sed errare illum scriptorem, neque quidquam tum factum esse, nisi ut reficerentur Epiphanis regis opera, supra (diss. I, 22. 23.) iam probabile visum est. Etiam hoc Malalas erravit, quod Tiberium principem post expeditionem contra Persas (qui Parthi dicendi erant) Antiochiam venisse et porticus illas struxisse novumque murum addidisse scribit [6]), nam Tiberium principem con-

---

1) Malal. p. 222. (94. V.) de ipso Agrippa: *κτίζει δὲ καὶ δίαιταν οἰκημάτων καὶ βανιάριν* (*βαλνιάριν* corrigit L. Dindorf.) *καλέσας τὴν γειτνίαν Ἀγριππιτῶν.*

2) Malalas p. 225. V. diss. I, 25. De Theatro aucto ab Agrippa diss. I, 28.

3) Haec Iosephus de B. I. I, 21, 11. Malalas p. 223. Quod autem Iosephus Antiqq. Iud. XVI, 5, 3. eam plateam, quae Antiochiam mediam secet, porticibus utrinque et, ubi sub divo est, polito saxo ornatam esse ab Herode affirmat: non possum non errori tribuere. Loquitur de eo opere etiam Moses Chrorenensis II, 24. p. 125. Whiston, Iosephum secutus, ut videtur.

4) De Sosibii testamento, quo Antiochia tum ditata est, sub Commodi nomine dicemus.

5) Sueton. Tiber. 47.

6) Malalas p. 232. (98.)

stat nullum exercitum duxisse. Sed poterat Antiochiam adire, cum post prima stipendia ad regnum Armeniae Tigrani restituendum in Orientem exercitum duxisset [1]), Augusto etiamtum vivo neque annis gravato (anno 20. a Chr.), nisi forte post magnum incendium, quod anno Antiochenorum LXXII, p. Chr. 23, cum Tiberius nonum annum regnaret, fori maiorem partem, curiam et Musarum templum, in superiore omnia urbe sita, vastavit, etiam porticus illas instauratas esse verisimilius videatur. An dicemus haec omnia a Germanico acta, cum hic Antiochiae bellum in Parthos pararet; certe hoc erroris genus non abhorreret a more huius chronographi, quem Vespasiano tribuere, quae a Tito illius auspiciis facta sunt, mox videbimus. Haec cum neque affirmare neque refellere in animo sit: hoc tamen tanquam indubitatum tenebimus, Tiberium de his urbis partibus egregie meruisse. Documento erat statua aerea in umbilico porticuum, de quo supra dicebatur, in magna columna Thebano, i. e. pyrrhopoecilo saxo, excisa (cuiusmodi columnam Romae Antonino Pio erectam esse constat) Tiberio Caesari a senatu et plebe Antiochenorum collocata et usque ad Malalae tempora superstes [2]). Tiberium ab Antiochenis etiam Olympii Iovis specie, qualem Phidias posuerat et Antiochus Epiphanes Daphnae effingi curaverat, cultum esse, numi Antiochiae urbis ostendunt [3]): ab his vilissima ea adulationis species ad alios populos manasse videtur, qui Tiberium eiusdem dei ornamentis instruxerunt. Mirum est, quot quantasque res in Tiberio cumulaverit adulatio Antiochenorum: a quo et ipsum Orontem eo nomine, quo multis ante ipsum annis dicebatur, appellatum esse ferebant [4]).

Etiam caetera opera, quibus Antiochia tum ornabatur,

---

1) Sueton. Tiber. 9. cf. 11. Tum Tiberium Antiochiam ornasse eo verisimilius, quod quae de Herode §. 3. narravimus, in idem tempus incidere necesse est, quo Tiberius Augusti eiusque amicorum gratiam maxime ambiebat.

2) Malalas p. 233. Sub hoc signo idem refert telesma ab Ablaccone mago factum conditum esse, quo Parmenii et ceterorum torrentium aquae arcerentur a porticibus.

3) teste Mionnetio, *Descript. des Méd.* T. V. p. 170. n. 197 *Suppl.* T. VIII. pl. 15, 4.

4) Malalas p. 234. (99.) Eustath. in Dion. Per. 919.

intelligitur omnia fuisse in Epiphania, monti quam fluvio propiora. De Capitolio et theatro aliis locis iam diximus. Huic vicinum[1]), certe ad montem, erat delubrum Bacchi, a Tiberio structum (nisi Malalas erravit), cuius ante aedem colosseae statuae erigebantur Dioscurorum Thebanorum, id est Amphionis et Zethi [2]). Horum heroum signa cur ante Bacchi aedem posita fuerint, non intelligitur, nisi sumitur, supplicium propter illorum matrem Antiopen vexatam a Dirce sumptum, coniunctum illud cum Bacchanalibus, his signis fuisse expressum. Sic verisimile fit, magni illius operis, quod Taurum Farnesianum vocant, ab Apollonio et Taurisco Trallianis artificibus facti imitamentum aliquod etiam Antiochiae positum fuisse: siquidem eo opere Dirce exhibita est in Bacchanalibus celebrandis a Zetho et Amphione oppressa. Qua autem urbs orientem spectabat, atque porticus illae per totam urbem porrectae terminabantur, portam Tiberius extruxisse narratur, in qua lupa Romana cum gemellis lac eius sugentibus ex marmore statuebatur. Sic Antiochenorum sacris et monimentis Romanae potentiae signa miscebantur [3]). Eadem urbis in parte supra narrabatur, fuisse Olympiadem fontem; iuxta quem Tiberius lavacrum extruxit, quod muro Epiphaniae urbis comprehendebatur [4]). Hoc quod ex Malala sumpsi nescio quomodo cum iis componam quae in Simeonis minoris vita narrantur, qnem in monte Mirabili, id est versus occidentem ab urbe, vitam degisse scimus. Narratur enim para-

---

1) Videntur enim in his rebus Antiocheni Graecos et maxime Athenienses imitati esse, quorum theatrum erat ἐν Διονύσου. Erat etiam Panis delubrum supra theatrum Antiochiae. Malal. p. 235. — Libanius orat. περὶ τῶν δεσμωτῶν p. 457. memorat πρὸ τοῦ Διονυσείου στοάν, ubi iudicia agitabantur. Conf. Gothofred. in eum I.

2) Malalas p. 234. (99.)

3) Malalas p. 235., qui ea omnia Domino chronographo accepta refert. Idem postea signum Traianus posuit in media porta (μέσῃ πύλῃ), quae prope templum Martis s. Macellum, ubi Parmenio ex monte defluebat, sita erat (Malal. p. 275.): scilicet post Iustiniani tempora, nam cum urbs hac parte latius pateret, v. §. 24., etiam porta illa a Macello Martisve templo longius fuerit necesse est.

4) Malal. p. 234.

lyticus ab hoc Simeone sanatus a Monte Mirabili XXII stadia usque ad balneum Tiberinum decurrisse [1]); neque dubium eodem loco fuisse vicum Tiberinum, III a Monte Mirabili millibus passuum dissitum [2]), non magno intervallo ut videtur seiunctum a Daphnaeo delubro. Quam difficultatem non expedio nisi ita, ut Tiberium hoc suburbium condidisse statuam, ibique fuisse lavacrum, diversum ab illo, prope ab Olympiadem fontem extructo. His addenda quae propter Germanicum, cum hic a. u. c. DCCLXXII, p. Chr. 19., Antiochiae tristissimam mortem obiisset, ibidem extructa sunt. Constat eius corpus in foro Antiochensium crematum et sepulcro conditum esse [3]), et tribunal ei Epidaphnae, quo loco vitam finierat, erectum esse [4]). Hoc autem tribunal quale monimentum fuerit, nemo dum explicuit, cum apud Romanos nusquam id nomen funebri monimento adhibeatur. Sed videor mihi intelligere, quid Tacitus tribunal dicat, adhibito monimento Philopappi Epiphanis, qui a Commagenes regulis oriundus, cum in civitatem Atheniensium transiisset, et Athenis mortuus esset, eo structurae genere in colle Museo extructo honoratus est [5]). In hoc aedificio media est statua Philopappi sedens in cellula quadam rotundata, cui adiunctae erant aliae cellulae atque parastatae, in quibus alia maiorum et cognatorum Syri illius signa posita erant. Hoc monimentum nescio quo nomine aptius dici potuerit quam tribunalis, cum omnia ita instructa et apparata sint, ut signum aliquod supra suggestum sedens tutum a caelo et tempestate et conspicuum simul esset; cuiusmodi tribunalia Antiochiae iam superioribus temporibus extructa esse facile crediderim.

5. Sub Gaio et Claudio principibus Antiochiam duobus terrae motibus vastatam esse, supra narravimus. Uter-

---

1) Nicephorus, Magister Antiochiae, in V. Simeonis iun. in Act. Sanct. Mai. V. p. 345. cf. 389.

2) Vita Simeonis iun. e ms. Florent., Act. Sanct. Mai. V. p. 412. 413. Nescio an eodem pertinuerit *Τιβερίνη χώρα, ἡ ὑπὸ τῇ γείτονι Σελευχείᾳ χειμένη* (ubi locus Pila erat) memorata a Nicephoro in V. Simeonis iun. p. 311.

3) Tacit. Ann. II, 73. 83.

4) Tacit. Ann. II, 83.

5) Diligentissime de eo egit Boeckhius Corp. Inscr. T. I. p. 432. n. 362.

que in reficiendis, quae diruta erant, sumptui non pepercisse narratur; Gaius etiam missis duobus senatoribus [1]), qui praesentes malis urbis mederentur: quorum alter Varium lavacrum condidit muro fluvium praetexenti vicinum [2]). Ab hoc diversum est lavacrum ab eodem principe curante Saliano praefecto, ut narratur, extructum, quod prope ad montem arcis erat, in quo Caesaris monimenta sita erant. Huc aqua deducta est inde a Daphne perfosso monte, qui inter Iopolin antiquam et suburbium illud obiectus erat [3]). Terrae autem motibus plebs Antiochena, ut erat superstitiosissima, non efficacius opinabatur remedium inveniri posse, quam telesmata et magicas praestigias. Itaque post hunc sub Gaio terrae motum Debborius quidam thaumaturgus (Domninus philosophum dixit) in media urbe columnam posuit purpuream et supra eam dimidium hominis simulacrum (*στηθάριν* Byzantii, nos *bustum* dicimus) marmore sculptum, cui inscripsit *Ἄσειστα ἄπτωτα* [4]). Sed terrae motus qui sequebantur, ipsum hoc simulacrum deiecerunt. Neque Apollonius Tyanensis, cum Domitiano regnante rogaretur, ut Debborii telesma restitueret, exorari poterat, quod praevidebat, bis vel saepius Antiochiam idem esse passuram: quanquam idem aliis Antiochensium precibus ita annuit, ut Aquilonem ventum, scorpios, imo omnes culices telesmatis factis et ridicula quadam caeremonia cum equestri certamine Grastensi coniuncta ab eo civitate depelleret [5]).

6. Nunc dicendum de temporibus Flaviorum principum, quorum in Antiochenses favor simul cum potentia eorum creverat [6]). Nam praeter legiones duo illa Orientis ca-

---

1) *Οὐάριον* et *Πόντοον* (sic) Malalas dicit p. 244. (103.) Eorum domus post fisco attributas (*τιτλωθῆναι*) narrat p. 245., quod seditionem circensem et Iudaeorum incursionem non cohibuerint. In qua re multa sunt incredibilia; certe Iosephus nihil scribit de expeditione illa Iudaica.

2) Malalas p. 244. De Trinympho v. supra diss. I, 22. p. 60. n. 2.

3) Malalas p. 243. (183.)

4) Malalas p. 265. (112. 113.)

5) Malalas p. 264. (112.) Cedrenus p. 246. ed. Par. De Aquilonis flatibus cf. diss. I. §. 3.

6) Vaillant Num. aerea Imp. in coloniis percussa T. I. p. 197.

pita, Antiochia et Alexandria, plurimum ad Vespasiani fortunam evehendam contulerant. Quo factum, ut Iudaeae gentis eversione Antiochiae splendor etiam magis augeretur, quam Romae: quanquam non ea facilitate Antiochensibus obsecutus est Titus, cum Hierosolymis expugnatis Antiochiam intrasset [1]), ut Iudaeos, quorum tum in ea urbe ingens multitudo, et magna erat invidia, aucta per incendium [2]), cuius illi rei insimulabantur, inde exturbaret [3]). Quae Titi constantia haud dubie etiam Christianis salutaris fuit, quorum nomen quanquam Antiochiae primum celebratum est [4]), dubitari tamen non potest, quin a plerisque etiam tum Iudaeorum pars et secta habiti sint, ne exceptis quidem iis, qui ab idololatria ad Christianam fidem transgressi erant [5]). Sed traditur Titus [6]) alatas illas figuras, quibus Hierosolymorum templi penetrale obumbrabatur, quas Cherubim vocant, inde translatas ad Antiochiae portam erexisse [7]). Certe multo posterioribus temporibus porta supererat, quae a signis illis cognominabatur [8]). Erat ea in exitu magnae plateae porti-

---

1) Titus expugnatis Hierosolymis (a. d. IV Non. Septembres anni a. u. c. DCCCXXIII p. Chr. 70.) Domitiani natales (a. d. IX Kal. Novembres) Caesareae, patris natales (a. d. XV Kal. Decembres) Beryti celebraverat (Ioseph. B. I. VII, 3, 1.). Postea Antiochiam se contulerat atque cum ad Zeugma movisset, illuc redierat. Tum illa acta, quae supra narrantur.

2) Cremata erant forum quadratum, archiva et grammatophylacium (in quo etiam aeris alieni a privatis hominibus contracti syngraphae erant) et basilicae. Ioseph. B. I. VII, 3, 4. De foro supra dictum diss. I, 26. p. 69. n. 3.

3) Ioseph. B. I. VII. 3, 2. 3. 4. VII, 5, 2.

4) Apostol. Acta 11, 26. Malalas p. 242. Petrum cum Barnaba (at Paulus, non Petrus, cum Barnaba eo venerat) in via ad Pantheum, quae vocabatur τῶν Σίγγωνος, verba fecisse narrat.

5) Apost. Acta 11, 20. cf. 15, 12. ad Galat. 2, 11.

6) Pro Tito Vespasianum appellat Malalas, quippe cuius auspiciis eae res gestae erant.

7) Malalas p. 261. (110.) Chronicon Paschale p. 462. (247 b. P.)

8) Malalas p. 281. (119.) Nicephor. in V. Simeonis iun. Act. Sanct. Mai. T. V. p. 311.

cibus illis ornatae [1]), ut puto, occidentem versus, qua Laodiceam et ad oppida in litore Palaestinae sita tendebatur; hanc enim per portam Titus Antiochiam intrasse videtur. Idem Lunae signum taurorum quadriga vectae [2]) in columna erexisse traditur, quod Lunae luce iuvante Hierosolyma ceperit [3]): qua de re a Iosepho nihil relatum invenio, quanquam Hierosolyma circa plenilunii tempus expugnata esse constat. Verumtamen multo probabilius est, Antiochenses in ea re morem a Graecis orientalibus frequentatum secutos esse, quem Nonnus, Aegyptius ἑλληνίζων, in antiquas Cadmi Thebas transtulit (ubi portam occidentalem Lunae bubus vectae ac nomine Minervae Oncaeae appellatae consecratam esse fingit [4])). Similiter Alexandrini duas portas alteram Soli alteram Lunae dedicaverant; illam in meridiem, hanc in boream conversam [5]). Atque etiam Antiochenis portam fuisse Taurianam accepimus, ad Orontem i. e. septentrionem versus sitam [6]), quam ab hac ipsa Luna tauris vecta appellatam esse probabile fit. Etiam theatrum in delubro Daphnaeo extruxit, quo loco antea Iudaeorum synagoge fuerat, tum in

---

1) Malalas l. l.

2) Taurorum biga Lunam vehentem etiam monumenta nunc extantia non raro ostendunt: sed archaeologi nostrorum temporum Dianam Tauropolon eam dicere malunt quam Lunam: velut Millinus in explicando diptycho, *Monum. ant. inéd.* T. II. p. 341. *Gal. myth.* I. p. 29. *Expl. des planches* 121. (XXXIV.). Cf. anaglyphum servatum in Museo regio Parisiensi, Clarac *Musée de sculpt.* pl. 166. n. 76. (437.) et gemmam scalptam, Tassie *Catalogue* pl. 28, 2039. Cf. Winckelmann. Opp. T. II. p. 525. ed. Dresd. Nullus poëta crebrius Lunam βοῶν ἐλάτειραν dicit quam Nonnus. V. Dionys. I, 331. V, 72. XII, 5. cf. VI, 336 Ἐπὶ ταύρῳ γεγραμμένη Σελήνη memoratur ab Achille Tatio I, 4.

3) Malalas p. 261. (110.) Chronicon Pasch. p. 462. (247 c. P.).

4) Nonnus Dionys. V, 69—73.

5) V. Achill. Tatius V, 1. et Malalas p. 280., qui, nescio an non recte, eas portas ab Antonino Pio extructas tradit. Cf. Bonamy de Alexandriae situ in Mem. Acad. Inscr. T. IX. p. 420.

6) v. §. 19.

contumeliam gentis sublata. Inscriptus illi titulus EX PRAEDA IUDAEA [1]); et positum ibi est Vespasiani signum marmoreum, quod Malalas etiam suo tempore superfuisse scribit.

7. Domitianus Antiochenorum gratiam meruit extructo lavacro publico, quod ad montem situm prope aberat a Caesaris amphitheatro et delubro Veneris, iunctumque erat cum delubro Aesculapii, quod ei deo propter aquarum salubritatem consecratum fuisse opinor. Postea cum Domitiani nomen ubique aboleretur, lavacrum hoc de Medea appellatum est, cuius pulcherrimum inerat signum [2]); idem, puto, quod a Libanio [3]) descriptum est et in Arelatensi signo [4]) ab artifice quodam inferioris aevi imitatione expressum esse videtur: signum mulieris Colchicae iam ensem in filios ex vagina trahentis, sed etiamtum cohibitae et repressae paulisper puellorum precibus proprioque dolore [5]).

8. Traiano principe Antiochiam in summa opulentiae et celebritatis luce dira invasit calamitas, cum Romano exercitu et ipso imperatore in expeditione Parthica, multisque ex orientali plaga hominibus, quos vel rerum publicarum cura vel proprii lucri cupido congregaverat, Antiochiae degentibus [6]), magno illo terrae motu, quem superiore tractatu indi-

---

1) Malal. p. 261. Chronicon Pasch. p. 462. (p. 247 c. P.)

2) Malalas p. 263. Idem ex Domnino multa narrat de Apollonii telesmatis, ex quibus praecipua supra iam posuimus.

3) Ἔκφρασις Μηδείας p. 1090. R. Huic signum marmoreum non erat dissimile, quod in Macedonia positum Callistratus stat. 13. describit. Illud Medeae signum ἐν περιφανεῖ χώρῳ τοῦ ἄστεος ἀναχεῖσθαι dicit. Idem fere significat de Neoptolemo Polyxenam mactante p. 1088.

4) Millin. *Voy. au midi de la France* pl. LXVIII, 2. *Gal. myth.* pl. CII. n. 427.

5) Hoc inferiori loco annotare satis habeo, ea quae de Paride pantomimo a Domitiano Antiochiam misso, ut ibi extra urbis moenia habitaret, narrantur, nullius plane esse fidei, quippe quae nullo documento confirmantur, nisi Paradisi nomine, quo secundum Persarum morem hortus quidam suburbanus ab Antiochenis dicebatur. V. Malalas p. 263. (111.) Quapropter abstineo a quaestione de Paridis tempore et Iuvenalis exilio hic redintegranda.

6) Malalas p. 271. (115.) sq. ex Domnino narrat, quod alio nulle teste firmari potest, ante Traiani adventum Persas iam te-

cavimus, urbs devastaretur. Quod eo magis perniciosum erat, quo latius patebat; nam etiam Casius mons nutasse ferebatur, et Daphne destructa est [1]), et Traianus omnium aedificiorum ruinam vitaturus plures dies in Circo degit, qui in campo extra urbem situs erat. Itaque quae tum struebantur, pleraque vetera erant aedificia restituta Imperatoris munificentia, cui etiam Adrianus, expeditionis socius, aliique Senatores Antiochiae degentes, domibus et lavacris aedificandis auxiliabantur [2]). Sic magnae illae porticus restitutae, sic Daphnaeum Dianae delubrum [3]). Addidit tamen Traianus his operibus lavacrum et aquaeductum, utrumque Ulpium dictum, aquas in eum usum convertens, quae ex fontibus Daphnaeis in locum, qui Agriae dicebatur, torrentibus et paludibus ut videtur foedum et informem, effundebatur [4]).

9. Hadriani opus, quo Antiochenses donavit, lavacrum erat in vetere urbe [5]) cum aquaeductu; quem aquaeductum facile ex omnibus, qui extra Latium erant, diligentissime de-

---

nuisse Antiochiam, sed eos ab ipsis civibus, Traiani per literas excitatis, confossos esse, quo in tumultu urbis partem ἐπὶ τὴν λεγομένην Σχεπινὴν γειτονίαν conflagrasse. Posthaec Traianum Andynaei s. Ianuarii d. VII. ingressum ac, cum a Daphne veniret, per Daphneticam portam, quae postea aurea dicta est, triumphum egisse.

1) Eustathius ad Dion. Perieg. 916. p. 280. Bernh.: ταύτην σεισμὸς ἐκάκωσε ἐπὶ τριαίνης (scribe Τραϊανοῦ), et quae secuntur corrupta, quae facile est emendare collato Malala p. 275. (117.)

2) Malal. p. 278. De Centenario lavacro, quod tum conciderat et sub Marco restitutum est, Malal. p. 282.

3) V. supra diss. I, §. 17. p. 47. n. 1. De theatro tum perfesto diss. II, 6.: de media porta §. 4. p. 83. n. 3. Quae Malalas narrat de virgine Calliope ad portam mediam mactata, et νυμφαγωγίᾳ ei consecrata, ad Nymphaeum aliquod spectare videntur, extructum prope aedem Calliopes, quae in media urbe fuisse dicitur. V. quae ex Libanio potissimum rettuli in diss. I, 27. p. 70. n. 3.

4) Malalas p. 275. cf. p. 278. et quae de Hadriano §. 9. narrabo. Balneum in vetere urbe fuisse, intelligitur ex Euagrio II, 12.

5) Euagrius II, 12.

scriptum habemus. Quae descriptio [1]), quantum intelligi atque comparatione Vitruvii et Frontini illustrari potest, haec continet. Daphnae aquarum castellum factum est, ex quo fontes collecti per aquaeductum Antiochiam deducerentur. Hoc castellum coniunctum erat cum aedis [2]) specie, quae Nymphis Naiadibus consecrata et magno simulacro aquilam tenente, ut puto Hadriani ipsius, qui tanti operis auctor fuisset, conspicuum erat. Simile monimentum sed multo minus splendidum prope Athenas ad montem, qui vulgo Anchesmus sed rectius Lycabettus dicitur, extabat, ex columnis Ionicis compositum et prostyli aedis non dissimile: quod ex titulo inscripto cognitum est, cum aquae castello et ductu coniunctum fuisse, quem ab Hadriano coeptum, Antoninus Pius consummaverat [3]). Hinc cum aquaeductus per valles confragosas, quae ab locorum natura Agriae appellabantur, deducendus esset, Adrianus eum pilarum obiectu emuniri, et torrentium vim aliorsum deverti curavit. Unum autem eorum fontium, qui in Agriis erant, Palladis appellatum, peculiari ductu Daphnen deduxit in usum suburbanorum ibi colentium. Contra Saramannam fontem per fistulas in idem castellum deduxit, quo aquae ex templo Naiadum influebant. Hoc castellum, quod Antiochia erat, dicitur Theatrum (*θέατρον, θεατρίδιον* [4]), puto quod cum cisternae modo aquam limpidam et frigidam servaret, gradibus undique circumdatum erat, in quibus homines otiosi et quales sunt in orientalibus maxime plagis aquarum murmuris et frigoris amantissimi, assidere poterant. Hoc si verum est, haud dissimile fuisse videtur ho.- aquarum receptaculum cisternis, quibus postea Constantinopo lis et Orientis oppida instruebantur, vasti ambitus et multa columnatione insigne, qua tectum tholi instar suspendebatur [5])c

---

1) **Malalas** p. 278. (118).

2) *Τὸν ναὸν τῶν αὐτῶν πηγῶν, ὅθεν ἐξέρχονται τὰ ῥεῖθρα ἐν τῇ αὐτῇ Δάφνῃ* dicit **Malalas** p. 278.

3) V. **Stuart.** *Antiq. of Athens* V. III. cap. V.

4) *ἔκτισε ἐν Ἀντιοχείᾳ .. καὶ... λουτρὸν καὶ ἀγωγὸν ... καὶ τὸ θέατρον τῶν πηγῶν Δάφνης αὐτὸς ἐποίησε*, et infra: *ἐποίησε .. ἐκχεῖσθαι εἰς αὐτὸν τὸν τῆς πηγῆς* (Saramannae) *ὁλκὸν ἐν τῷ θεατριδίῳ τὸ ἐκ τοῦ ναοῦ ἐξιὸν ὕδωρ.*

5) Cf. **Hirtii** Architect. Histor. T. III. p. 401.

Nec Nymphaeis dissimile habuerim, quae aliis locis cum aquaeductibus coniuncta fuisse accepimus [1]). Quod Malalas narrat de quinque meatibus aquae in hoc theatrum confluentibus, qui pentamodion, tetramodion, trimodion, dimodion et modion appellabantur, non intelligo, nisi de canalibus diversi moduli haec scripta sunt, quibus modo apertis modo clausis aqua ita temperari poterat, ut in theatro nunquam aut deficeret aut iustos fines superaret. Absoluto toto opere Hadrianus Nymphis sacra solennia fecit, Daesii sive Iunii mensis die XXIII.; nam annus non traditur. — Miror a Malala aliud aedificium non commemorari, quo Antiochiam ab Adriano ornatam esse apud Suidam legitur: divi Traiani aedem, quam cum Adrianus extruxisset, postea Iulianus bibliothecam fecit, Iovianus autem combussisse arguitur [2]). — Quibus operibus quanquam Antiochiam splendide excoluit, Antiochenos tamen ei non magis acceptos fuisse compertum habemus, quam plebem Alexandrinam [3]).

10. Antoninus Pius, quo opere de Antiochia meruerit, supra Diss. I. §. 22. narravimus. Marcus Imperator eo, puto, tempore, quo Antiochenis post Cassianum tumultum ignoverat [4]), praeter lavacrum Centenarium, quod sub Traiano terrae motu conciderat, refectum Museum et Nymphaeum cum illo coniunctum, quod Oceanum dicebatur, extruxit [5]). Id nomen ei inditum est, ex quo Probus Imperator, in hoc Nymphaeo, quod semicirculi forma erat (σιγματοειδές), mu-

1) De tali Nymphaeo Socrates Hist. Eccl. IV, 8. Cassiodor. Hist. Eccles. VI, 21.: *Cum enim aquaeductus in civitatem* (Constantinopolin, sub Valente) *fuisset inductus: Praefectus Urbis tunc Clearchus Nymphaeum maximum aedificavit in platea, quae Theodosii nunc vocatur, ubi aquae affluentia est emissa: in quo maximam festivitatem civitas habuit.*

2) V. Suidas v. Ἰοβιανός. Qui quae narrat, de Ioviani moribus, de bibliotheca illa a pellicibus imperatoris incensa, et alia ad eundem modum, Antiochenorum magis dicteria et rumores quam rerum memoriam referre videntur. Bibliotheca illa Theophili Eunuchi fuisse dicitur.

3) Spartian. Hadrian. c. 14.

4) v. Capitolin. Anton. 26. Vulcat. Cass. 9.

5) Malalas p. 282. (120.) Cf. Plin. N. H. XXXVI. 21, 42. §. 154. Hoc Museum ab illo differre videtur, quod I, 26. memorabatur. Cf. infra §. 16.

sivo opere Oceanum describi curaverat [1]). Quemadmodum Oceanus expressus sit, nunc clarissime perspicitur ex eo opere vermiculato, quod nuper in vico VII leucis a Tolosa dissito inventum olim aedificio Romano; quod Thermas fuisse putant, ornamento fuit. Medium in eo est caput Oceani, cui multae adiectae sunt deorum marinorum, Tritonum Nereidumque figurae, Graecis nominibus adscriptis [2]).

11. Commodi tempore novus splendor Antiochiae accessit Olympici ludicri celebratione. Ad quod quae pertinent, hoc loco complecti visum est [3]). Augusti tempore Sosibius, senator Antiochenus, cum patria relicta Romam se contulisset ibique diem obiret, per testamentum bona sua, quorum annuus reditus XV talentorum auri fuisse dicitur, Antiochiae donavit, ea lege ut sibi quinto quoque anno per XXX dies Hyperberetaei sive Octobris mensis ludi fierent commissis poetarum recitationibus, thymelicis sive musicis, et scenicis certaminibus, omnisque generis athletis atque equestri cursu [4]). Sub Claudii principatu anno Antiocheno LXXXXII Antiocheni se narrabant a Pisaeis, id est Olympiae in Peloponneso accolis, Olympiorum solennium per nonaginta annorum periodos celebrandorum ius redemisse, impensa parte bonorum a Sosibio legata [5]). Qua emptione, cuius nullae extabant literae (scilicet *ἀγράφῳ πάκτῳ* dicuntur Antiocheni cum Pisaeis haec sancivisse) nihil sibi volebant, nisi ut augustiore nomine ludi illi ab Sosibio instituti celebrarentur, nam neque ex eo tempore Olympia in Peloponneso intermissa esse accepimus, neque statim tempus Antiochenorum ludorum in eum mensem translatum est, quo Olympia, quae vere Olympia

---

1) Malalas p. 302. (129). Sigma etiam in theatro dici orchestram, satis compertum est.

2) V. Io. de Witte in *Bullet. dell' Instit. di corr. archeol.* a. 1834. p. 157.

3) Ex nostratibus haec Olympia nuper tractarunt G. Rathgeber in Encycl. Halensi v. *Olympische Spiele* p. 325. et I. H. Krause in libro de Olympiis p. 207. Sed vellem hic V. D. diligentius in ea inquisivisset: poterat inde etiam quaedam illustrare, quae in Eleorum Olympiis observantur.

4) V. Malalas p. 224 sq. (95.) et p. 248. (105.), ubi Pausania teste utitur.

5) V. Malalas p. 248. (105.) et 284. (101.) sqq.

erant, celebrari debebant, id est in Panemum sive Iulium mensem. Sed Commodi edicto cum hi ludi restituti et Sosibii bona ne in alios usus dispergerentur cautum esset: aliud iis tempus assignatum est idque a Peloponnesiorum Olympiis sumptum, quinque et quadraginta dies continui Panemi sive Iulii et Loi sive Augusti mensis [1]). Ab hoc initio, quod Commodo principe factum esse constat [2]), Olympiades Antiochenae celebratae sunt usque ad annum Antiochenum DLXVIII, indict. XIV, p. Chr. 250. tertium quo Iustinus imperabat [3]). Primo autem ludicro praefuit Artabanus (sive Artabanius), Syriarchae sacerdotio sive magistratu ab optimatibus et populo Antiochenorum ornatus; Alytarcha erat Aphronius expraefectus, Scriba Pompeianus Quaestor, Amphithales Casius Illustrius, qui cultu et vestitu deos Iovem, Apollinem, Mercurium aliquatenus imitabantur [4]). Quae munera et officia, ut multa, ab Olympiae institutis mutuati erant Antiocheni. De Alytarchis res nota, scriba s. *γραμματεῖ* in omni publico negotio opus erat; Amphithales autem significat puerum patrimum et matrimum: cuiusmodoi puerum constat Olympiae sa-

---

1) Malalas p. 284. (121).

2) Malalas p. 286. (122.) annum constituit Antiochenorum CCLX., p. Chr. 212., qua in re ad minimum viginti annorum metachronismum factum esse iam observatum est. Cf. Norisius dissert. III, 6. p. 229. c. 7. p. 258. Chilmeadus in annot. crit. p. 286. Infra idem Malalas p. 417. (49.) LXXVII. Alytarchas fuisse dicit usque ad annum aerae Antioch. DLXVIII: quod cum illa computatione congruit, sed etiam ni fallor erroris originem aperit. Nempe quinquies vel sexies vel septies Olympia intermissa et nulli Alytarchae constituti sunt. Non multo autem tempore ante Commodi necem (a. 192.) Olympia denuo celebrari coepta, idcirco crediderim, quod Plethrion, utilissimum aedificium, non Commodo, sed Didio Iuliano sumptus largiente conditum est. V. §. 12.

3) Malalas p. 417. (49). Norisius diss. III. c. 6. p. 229. Corsini Dissert. Agon. I, 11. p. 19. IV, 11. p. 98. Libanio teste discitur, Olympia celebrata esse annis 328. 332. 336. 364. 372. 384. (v. Vitam Libanii apud Reiskium n. 5. 8. etc.). Id cum ultimo Olympiadum anno exacte convenit.

4) Dominus apud Malalam p. 286. 287. (122.) cf. p. 289. De Artabani largitione narrat etiam Chron. Paschale p. 490. Bonn. (262.) ad ann. p. Chr. 181.

cri oleastri in Pantheo sedecim ramos, ex quibus coronae certaminum fierent, aureo cultro amputasse [1]). Quod autem his ludorum praefectis ipsa deorum nomina indita esse feruntur, huius moris nescio an origo ex antiquis Asiae religionibus repetenda sit: certe etiam alia eiusdem indicia per Asiam minorem sparsa colligere licebit [2]). Alytarchae munus eximio quodam iure ornatum [3]) erat, et tanto in honore habebatur, ut ipsi imperatores, Diocletianus et Maximianus, eo fungerentur [4]). In Eleorum Olympiis rarius memoratur: sed videtur tamen et in his satis splendidum fuisse, cum unus esset Alytarches, Hellanodicae multi, et totius certaminis *εὐκοσμία* illius imperio contineretur [5]). Ipsa certamina, quae sub Commodo instituebantur, erant et equestria, et gymnica, et musica; in musicis et gymnicis etiam mulieres inter se commissas esse, morum Antiochenorum indicium est [6]).

12. Postulat autem instituti nostri ratio imprimis, ut

---

1) Schol. Pind. Ol. III, 60. Delphis hic *ἀμφιθαλὴς παῖς* Apollinis imago erat; in Olympiis nil vetat, quominus cum Mercurio eum comparemus.

2) Velut quod in numis Bithynorum regum (Visconti Icongr. Grecque pl. 43. n. 3. 4. 6. 7. 8.) vir Iovis specie, sed cothurnis calceatus coronamque protendens conspicitur, id videor mihi rectius ad alytarchae ornatum quam ad ipsum Iovem referre. Calceos, quos cothurnos dixi, in Alytarcha Antiocheno *σανδάλια ἄσπρα* appellat Malalas: non alia puto phaecasia, quae sacerdotes et Alexandrinos et Atticos et gymnasiarchos gestasse constat. V. Appian. de B. C. V, 11. Plutarch. Anton. 30. A. Iuvenale autem, III, 218., phaecasia existimo aliena.

3) Alytarchae licebat cupressum ex luco Daphnensi excidere, plures plantare (Cod. Theodos. X. tit. 1, 12. cf. Gothofr. T. III. p. 419.), quod abrogatum est ab Impp. Theodosio et Valentiniano (Cod. Iustin. XI. tit. 77, 2.) — Libanius cum in orat. pro rhetoribus p. 222. unum e senatoribus *τὸν θήσοντα τὰ Ὀλύμπια* appellat, Alytarcham videtur sinificare.

4) Malalas p. 310. 311. Leo Imp. anno p. C. 465. curialibus Alytarchiae et Syriarchiae munus eripuit, eaque ad Comitem Orientis et Rectorem Syriae rettulit. Iustinian. Cod. I, 36.

5) Lucian Hermotim. 40. Etymol. M. v. *ἀλυτάρχης*.

6) *παρθένοι χόραι.. παλαίουσαι μετὰ βομβωναρίων*, p. 288. (123.), i. e. cum subligaribus circa pubem (*βουβῶνας*, unde factum *βομβῶνας*).

quam fieri potest diligentissime aedificia his solennibus celebrandis destinata describamus. Ea erant cum in ipsa urbe, tum ad Daphnaeum deluburm. In urbe Commodi sub imperio extructus est Xystus, id est hypaethros ambulatio [1]). circumdatus porticibus et sedilibus. Hic Xystus medius erat inter lavacrum Commodium (quod postea praetorium consularis Syriae factum est [2])) atque Minervae aedem eodem tempore instauratam; ad inferiorem autem eius partem, id est qua versus Orontem vergebat, delubrum Iovi Olympio extructum est [3]). Accessit his aedificiis Plethrion ex pecunia data a Didio Iuliano [4]): etiam hoc factum ad exemplar Olympiorum in Peloponneso. Nam cum gymnasio, quod Eleorum in urbe erat, in quo athletae Olympiae certaturi exercebantur, coniunctus erat et Xystus, locus sub divo muro inclusus et platanis consitus, et Plethriŏn, id est aedificium centenos pedes longum latumque, in quo Hellanodicae viros puerosque ad luctandum secundum aetatem componebant [5]). Plethrion autem, quod Antiochiae erat, in eum finem extructum esse narratur a Libanio et Mălala, ut luctatores ibi exercerentur; nempi ii, qui in Olympiis de victoria decertaturi essent. Antea eo loco Asabini Iudaei domus fuerat, quae tum in Plethrion conversa est, prope Xystum et Commodi lavacrum et Caesaris basilicam, de qua supra §. 2. dictum est [6]). Ab initio, praeter athletas, qui ibi luctabantur, paucos continere poterat spectatores; postea, Libanii aetate, ab Argyrio et Phasganio, Libanii avunculis, Olympiorum ludorum praesidibus, Plethrii spatium bis duplicatum est [7]), ita ut theatri

---

1) Nam a Malala hoc vocabulum credibile est eo sensu adhiberi, quo Latini eo utebantur, ut hypaethron ambulationem significaret, cum antiquioribus Graecis xystus porticus stadiata esset.

2) Malalas p. 338 sq. (13.)

3) Malalas p. 283. (121.) Horum aedificiorum situm in tabula adiecta adumbrare conatus sum.

4) Malalas p. 290.

5) V. Pausan. VI, 23, 2. De eodem Plethrio Eleo Lucian. de morte Peregr. 31. cf. 3. Simile aedificium erat Hippodamium Olympiae, quod plethri spatium complectebatur, Pausan. VI, 20, 4. cf. V, 22, 2.

6) Malalas p. 290. et p. 339.

7) Libanius *περὶ τοῦ πλέθρου* p. 264. 265.

quadrati speciem haberet [1]), atque etiam in maius auctum a Proclo, comite Orientis, qua de re, cum multa turba immissa omnis horum ludorum dignitas corrumperetur, Libanius singulari oratione habita acerbissime et ita ut inimici animi invidiam vix dissimularet, conquestus est [2]).

Haec quae Antiochiae in urbe extructa, diximus, omnia apparet non ad ipsos ludos celebrandos, sed ad praeparanda certamina atque exercendos agonistas spectare, ac cum iis comparanda esse, quae Elei in ipsorum urbe, non Olympiae, extrui curaverant, aedificiis [3]). At enimvero ipsa Olympia non Antiochiae, sed Daphnae acta esse, dubitari nequit [4]). Quippe hoc loco Iovis Olympii templum, eique proxime annexum stadium Olympicum fuisse, iam supra (dissert. I. §. 24) ostendimus. Quanquam Malalas id a Diocletiano demum extructum esse refert, ut ibi victores ludorum Antiochiae cele-

---

1) *τὸ θέατρον, ᾧ πλευραὶ μὲν τέτταρες, τὸ δ' ἐν μέσῳ πλέθρον, δέχεται τὸ μετὰ μεσημβρίαν ἔργον τῶν ἡκόντων ἀθλητῶν ἐπὶ τὰ Ὀλύμπια*, dicit Liban. p. 261. *Τὸ μετὰ μεσημβρίαν ἔργον* dicit luctam: ita constat etiam in Eleorum gymnasio *τὰ βαρέα ἀγωνίσματα* pomeridiano tempore acta esse. V. Pausan. VI, 24, 1.

2) V. maxime p. 267. Libanius hoc aedificium semper *πλέθρον* dicit: quod ne corrigatur, caveri potest comparato titulo Siculo, in quo legitur *οἰκοδομήσας πέλεθρον*, apud Gruterum p. CLXXIII, 9. et R. Rochettium Epist. ad Schorn. p. 67. Malalas Byzantiorum more *πλεθρίν* dicit.

3) Haec exercitia per XXX dies continuata esse docet Io. Chrysostomus in actorum princ. I. T. III. p. 59. Montf., cuius verba haec sunt: *καὶ ἐπὶ τῶν Ὀλυμπιακῶν ἀγώνων τὸ αὐτὸ ἔθος κρατεῖ. Μετὰ τὰς τριάκοντα ἡμέρας τὰς ἐνταῦθα* (in gymnasio urbis transactas) *ἀναγαγόντες αὐτοὺς εἰς τὸ προάστειον* (intelligit Daphnen) *περιάγουσι καὶ τοῦ θεάτρου καθημένου παντὸς βοᾷ ὁ κῆρυξ· μήτις τούτου κατηγορεῖ; ὥςτε αὐτὸν ἀποσκεδασάμενον τῆς δουλείας τὴν ὑποψίαν οὕτως εἰς τοὺς ἀγῶνας ἐμβῆναι·* Hi XXX dies XLV illorum, de quibus supra dictum esse, partem effecisse videntur.

4) V. Liban. Monodia p. 333. R. (*Ὀλύμπια μὲν οὐ μάλα πόῤῥω*), et qui eum irridet Io. Chrysost. de Babyla c. Iul. c. 19. T. II. p. 568. Montf. et Malal. p. 496. (40.) Libanius Epist. 763. p. 361. Wolf. Iovem Olympium Daphnae in Olympiis celebratum esse ostendit.

bratorum coronarentur [1]). Sed Malalas, ut saepe facit, aedificium refectum ampliatumve tum primum conditum esse opinatus est, Id tamen verum, quod narrat, victores antea per longum spatium ad Codrigas et Argyrun fluvium Ciliciae vectos esse ut ibi coronarentur. Codrigas enim locum fuisse accepimus in confiniis Ciliciae et Syriae, quibus in angustiis Pescennium Nigrum a Septimio Severo victum esse constat; eodem loco, numi illustri titulo docemur, Tarsenses Severea Olympia solemnia propter victoriam illam celebrasse [2]); quid apertius quam quod etiam Antiocheni, qui Nigri studiis Severi sibi concitaverant iram, ut hanc mitagarent, Olympicorum victorum coronationem in eundem locum, Severi victoria illustratum, transtulerunt [3]). Quod Libanius narrat [4]), antiquiori et probo more mulieres omnes ludorum tempore Daphna exulasse, etiam hoc a Peloponnesiorum instituto sumptum est, nisi quod Peloponnesii prisca quadam lege virgines admisisse, arcuisse nuptas traduntur. Daphnae etiam Artabani, primi Syriarchae, signum marmoreum erectum est [5]), Commodi autem aerea statua media in urbe [6]).

13. Hoc facile tempus erat, ex quo Romani imperatores in Syria dominabantur, quo Antiochia splendidissime exornata, omnique luxus et voluptatum apparatu refertissima erat. Hinc multae illae querimoniae, quae Antoninorum temporibus iisque quae proxime secuntur iactari solebant, de Daphnaea luxuria, qua Romani milites corrumpebantur [7]): nec milites tantum,

1) Malalas p. 307. (131.) Coronationem Olympicorum victorum Daphnae factam esse, legitur apud Malalam etiam p. 289. (123.)

2) *ΣΕΥΗΡΕΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ ΕΝ ΚΟΔΡΕΙΓΑΙΣ ΟΡΟΙΣ ΚΙΛΙΚΩΝ.*

3) Ita scite eam rem expediit Belleius de Rhoso oppido in Memor. Acad. Inscr. XXX. p. 264. Cf. Eckhel. D. N. T. III. p. 79.

4) *περὶ τοῦ πλέθρου* p. 271.

5) Malalas p. 290. (124.) Cf. Chronicon Paschale p. 490. B. (262. Par.)

6) Malalas p. 286. (122.)

7) V. Fronto ad Verum II, 4. p. 117. Cf. princ. histor. fr. 2. p. 340. Lampridius Alex. 53. Vulcat. Avid. 5. 6. et Casaubon. in Capitolin. Marc. Antonin. 8.

sed etiam ipsi Imperatores Romani [1]. Iam autem ingruebant tempora, quae Antiochenis minus placere possent. Quod Pescennium Nigrum ad imperium capessendum excitaverant opibusque foverant, tantam iis Septimii Severi iram contraxit, ut Laodicenis, civitati sibi infestissimae [2], subiicerentur [3]. Mox tamen Antiochenis libertas reddita est [4]; postea ab Antonino Caracalla coloniae nomine ornabantur, sed salvis tributis [5]. Septimius Severus Antiochiam auxit lavacro Severiano in vetere urbe ad montem sito [6], alioque, quod Livianum dicebatur, eiusdem imperatoris iussu campestribus locis extructo [7]. Tertium mox lavacrum addidit Philippus Arabs, Philippeum dictum [8]. Posthaec dirissima clades Antiochiam oppressit. Nam cum Valerianus Gallienusque imperii molem, barbarorum incursionibus et discidiis legionum impulsam sustinere non valerent: Persae Sapore rege Antiochiam proditione sibi patefactam repentinoque tumultu captam diripuerunt et incenderunt [9]. An-

---

1) De Veri vita, quam Antiochiae degebat, Capitolin. M. Antonin. 8. Ver. 7. De Pescennii Nigri ludis festisque cum Antiochenorum populo celebratis Herodian. II, 7. 8. (*οἱ τὴν Ἀντιόχειαν κατοικοῦντες μεγίστην πόλιν καὶ εὐδαίμονα σχεδὸν παρὰ πάντα τόν ἐνιαυτὸν ἑορτάζουσιν*). Etiam Macrino et Severo Alexandro luxuriosa vita et desidia apud Antiochenos multum nocuit. Herodian. V, 2. VI, 7.

2) v. Herodian. III, 3.

3) Suidas v. *Σεβῆρος*.

4) Vaillant. Num. aer. Imp. in colon. T. I. p. 33. 122.

5) Paulus in Digestis L. 15, 8. §. 5. Cf. Spartian. Carac. 1. Vaillant. l. l. T. II. p. 277. cf. T. I. p. 240.

6) Malalas p. 294. (126.) Euagrius II, 12.

7) *ἐκ τῆς περισσείας τῶν ἀπομεινάντων ἐγκαυστικῶν χρημάτων ἐκ τῶν δημοσίων τῶν πεσόντων*, i. e. e pecunia, quae ex ruderibus balneorum incendio deletorum coacta erat. Malal. p. 294. 295.

8) Malalas p. 318. (3 ed. Ven.). Nisi forte hic Philippus, cuius lavacrum Malalas a Constantino sublatum dicit, quod tempore collapsum et inutile factum esset, antiquus ille Rex intelligitur, de quo supra diss. I. §. 25. dictum est.

9) Zosimus III, 32. p. 169. ed. Bonn. (hic etiam annis non-

tiocheni tum forte in theatro considentes mimo cum uxore in scenam immisso intentissimo studio inhiabant, cum mima repente: *Nisi somnus est, en Persae,* inclamavit, iamque sagittae et pila desuper ingesta omnes theatri caveas perstrepuerunt [1]). Domninus chronographus haec facta esse tradidit anno Antioch. CCCXIV., id est p. Chr. 266., sed idem secum pugnat, cum Valeriano regnante Antiochiam captam narraverit, qui anno p. Chr. 260. a Persis captus est. Verum has chronologicas quaestiones expedire, et longum et a proposito meo alienum est [2]). Aurelianus, orbis restitutor, etiam Syriam Romano imperio, Syriaeque pacem et securitatem reddidit; Antiochiae multo favore exceptus [3]) circenses ibi ludos spectavit, quibus Zenobia dromonario camelo vecta circumferebatur [4]). Dicitur etiam locum aedificasse, in quo eam per tres dies vinctam populo ostenderet, eumque appellasse *θρίαμβον* [5]). Multum ad restituendam Antiochiam contulisse videtur Saturninus, quem Hieronymus in Chronico narrat Antiochiae novam civitatem condere coepisse [6]): idem dux, qui postea cum imperium ad se delatum invitus accepisset, brevi in Syria imperavit.

14. Diocletianus inter urbes, inter quas imperii honorem quodammodo partiri cogitabat, etiam Antiochiam sedulo coluit et ornavit. Quae ibi struxit palatia, Imperatoribus, quando ipsi Antiochiae degerent, destinata erant. Ac

---

nullis ante hanc cladem sub Treboniano Gallo Antiochiam a Persis captam narrat I, 27. p. 27. ed. Bonn.), Malalas p. 296. (126.), qui diversas Domnini et Philostrati narrationes proponit.

1) Ammianus XXIII, 5. (in quem l. v. quae Valesius annotavit). Liban. de Iuliani nece T. II. p. 60. R. Hegesipp. III, 5.

2) Eunapii errorem, qui eas res in Constantini tempora transtulit (p. 29. ed. Boisson.), multi notaverunt. Cf. Wyttenbach. T. II. p. 65. Heyne in Zosim. I, 36. — Caeterum iam ante, Gordiano III. regnante, Persae Antiochiam tenuerant, donec ab Imperatore expulsi sunt: sed nihil tum urbi nocuisse videntur. V. Capitolin. Gordian. tert. 26.

3) Zosimus I, 51. p. 45.

4) Malalas p. 300. (128.)

5) Malalas p. 300.

6) Hieronym. ad a. 280.

primum in ipsa urbe struxit Palatium magnum, cuius fundamenta iecerat Galienus [1]). Quod proditur prope Regiam fuisse: sed quae ea Regia fuerit, ubive sita, ignoratur [2]). Interim, donec certiora invenientur, coniicere libet, palatium illud eodem loco fuisse, quo cruciatarum expeditionum tempore etiamtum palatium imperatorum stabat, id est in ea urbis parte quae septentrionem et occidentem spectabat. Ante portas erat Tetrapylum Elephantum [3]), arcus puto triumphalibus Romae fornicibus similis, quibus Elephantum quadriiuges currus non raro impositos fuisse, numi imperatorum demonstrant. Alterum palatium Diocletianus struxit Daphnae, ubi Imperatores ludorum tempore commorari possent, cum antea tentoria sive papyleones pro tempore extructa iis suffecissent [4]). Quae alia tum Olympiorum solennium caussa Daphnae vel facta vel refecta sint, supra expositum est (Diss. I, 24. II, 12.). Hecatae autem templum subterraneum, quo CCCLXV gradibus descendebatur, superstitiones quae eo tempore Antiochiae maxime viguerint, indicat [5]). Non aliud esse suspicor illud Matronae barathron sive spelaeon, cuius in vicinia eam Iudaeorum synagogen, quae Daphnae erat (nam in urbe altera sita erat), structam fuisse, apud Chryso-

---

1) Malalas p. 306. (131.) Cf. Theophanes p. 34., qui idem Palatium a. 355. commemorat. *Τὰ βασίλεια* Theodoret. Hist. eccl. III, 27., *τὰ ἐν τῷ κήπῳ τοῦ βασιλείου δένδρα* Liban. de fort. sua p. 82. *Πρὸς τῷ πυλῶνι τοῦ Παλατίου* aditur Iovianus ab Arrianis, ut ait Athanas. colloq. Arian. T. II. p. 29. ed. Colon.

2) Malalas p. 328. (8.) Constantinopoli Regia quasi vestibulum Palatii erat, v. Chronicon Pasch. p. 528. Bonn. (284. Par.) Ammian. Marcell. XXV, 10, 2. narrat Maximiani Caesaris statuam, sphaeram aeream manu gestantem, locatam fuisse in vestibulo Regiae.

3) Iulianus orationem contra Antiochenos proposuit, Malala teste p. 328: *ἔξω τοῦ Παλατίου εἰς τὸ λεγόμενον Τετράπυλον τῶν ἐλεφάντων πλησίον τῆς Ῥηγίας.*

4) Malalas p. 307. (132.) De hoc Theodos. Cod. XV, 2, 2. de aquaeduct.: *Aquaeductus, qui usum aquae praestat Daphnensi palatio.* (Valens Imp. a. 369.) Cf. Gothofred. T. V. p. 373. Itinerar. Hierosolymit. p. 581: *ad Palatium Dafne* M. V. (ab Antiochia inde), ubi cf. Wesselingi annot.

5) Malalas p. 307. (132.)

stomum legitur [1]). Publicae vero imperii et exercitus saluti destinata erant horrea, quae Diocletianus in urbe, et armorum fabricae tres, quas Daphnae extruendas curavit, ac Monetae Antiochiae, antea terrae motu concussa nunc refecta [2]). Oppidanis quidem maxime placuit magno lavacro, quod in inferiori urbis parte ad circum veterem extruxit [3]). et quattuor praeter illud balneis, quorum unum cum *συγκλητικὸν* appellaverit, Senatus id honori dedisse videtur [4]). Quanquam idem princeps, qua erat animi constantia et pervicacia, etiam lascivientis vulgi libidinem acriter reprimere et cruentis suppliciis coercere non cunctabatur [5]).

Maximinus cum in Asia regnaret a Christianos, quorum nomen in dies celebrius apud Antiochenos increscebat, magnis odiis persequeretur: etiam plebecula urbana vehementer in Christianos concitata est [6]). Ac paganorum superstitiones tum valde alebantur novumque quendam succum traxisse videbantur Iovis Philii sacris. Huius dei, Christiani scriptores narrant, Theotecnum quendam praestigiatorem simulacrum aliquod arcanis caeremoniis consecrasse idque nefandis initiis et piabularibus sacris coluisse [7]). Iovem hunc Philium ab Antiochenis illorum temporum cultum esse, etiam Iuliani Imperatoris testimonio comprobatur [8]). Ac Iovis ita co-

---

1) Chrysost. adv. Iud. I, 6. T. I. p. 595. Montf. c. 8. p. 599. in Epist. ad Tit. homil. III, 2. T. XI. p. 746. Hoc loco hoc Matronae barathron coniungit cum loco Saturni appellato in Cilicia.

2) Malalas p. 307. 308. (131. 132.)

3) Malalas p. 306. 307. (131.)

4) Malalas p. 307.

5) Hic dolor Libanio familiaris est. V. Antioch. p. 323. ad Theodos. p. 644. c. at. sec. p. 660. Sed admodum obscura res tumultus illius Eugenii caussae et exitus. V. Tillemont. *Hist. des empereurs* T. IV. p. 74. Quam horrendam cladem Maximus Licinianus (qui aliis dicitur Maximinus Licinius), imperator in Oriente, inter Antiochenos in Circo ediderit, Malalas narrat p. 314.

6) Euseb. Hist. eccl. IX, 2. Nicephor. VII, 25, Cf. Noris. Ann. Syromac. diss. III. c. 6. p. 246 sqq.

7) Euseb. IX, 3. cf. IX, 11.

8) Iulianus Misopogone p. 346. ed. Spanhem. Iovis Philii

gnominati etiam apud Atticos scriptores, apud Platonem, qui eam consuetudinem e Socratis familiari sermone traxisse videtur [1]), et comicos poetas [2]), non rara mentio: sed Attici homines non aliter de eo sensisse videntur, nisi quod amicitiae iucundaeque vivendi communioni eum praeesse putabant [3]). Alia et vetustior atque ex penetralibus mysticarum religionum petita erat Arcadum de eo numine sententia, quibus Polycletus signum eius dei finxerat, quod postea apud Megalopolitanos in aede Iovis Philii positum est. Id signum speciem fere Liberi patris referebat: nam cothurnis erat calceatum alteraque manu poculum, altera thyrsum gestabat, cui aquila insidebat. Prope templum lucus erat inaccessus, cuius in aditu Cereris et Proserpinae signa posita erant [4]). Facile intelligitur, hunc Philium Iovem coniunctum fuisse cum numinibus terrae ac inferorum, quibus singularis quaedam benevolentia et benefaciendi potentia inesse credebatur. Sed ab his diligentius explicandis hic abstineo: huius autem loci magis esse videatur, ut moneamus etiam in Asianis religionibus indicia reperiri eiusdem numinis, vel similis cuiusdam apud Asianos oriundi et in eandem speciem formati. In hunc censum veniunt pulcri et satis antiqui Ciliciae numi, cum Phoenicia epigraphe, quibus Iuppiter proponitur solio insidens ac spicas

---

aedem sacram apud Antiochenos memorat. Cf. Liban. de fort. sua p. 82.

1) Plato saepe *πρὸς Διὸς Φιλίου* et omisso *Διὸς*, *πρὸς Φιλίου*, Phaedr. p. 234. Gorg. 519. aliisque locis, quem Lucianus in utroque usu sequitur, de rhetor. praecc. 4. (ubi *Διὸς* non opus est ut expungatur) Icaromen. 3. et saepius. Non aliter Themistius T. I, 19, 6. ed. Dindorf.

2) Pherecrates et Menander ap. Photium et Suidam v. *Φίλιος*. Etiam Megarensis ap. Aristophanem *ναὶ τὸν Φίλιον* iurat, Acharn. 730.

3) Id, praeter Platonis usum, maxime cognoscitur e festivis Diodori Sinopensis (*ἐν Ἐπικλήρῳ* ap. Athenaeum VI. p. 239. b.) versibus:

τὸ γὰρ παρασιτεῖν εὗρεν ὁ Ζεὺς ὁ Φίλιος,
ὁ τῶν θεῶν μέγιστος ὁμολογουμένως.
οὗτος γὰρ εἰς τὰς οἰκίας εἰςέρχεται κ. τ. λ.

4) V. Pausan. VIII, 31, 2. Cf. Creuzer. Symbol. et Mythol. T. II. p. 471. Gerhard. Prodrom. mythol. p. 114.

uvasque manibus tenens [1]). Etiam in Pergamenis numis (quae civitas mysticis religionibus admodum referta erat) sunt qui Iovem Philium agnovisse sibi videantur numismatum periti [2]).

15. Cum ad Constantinum pervenimus: aliud aedificiorum genus recensendum et describendum se offert: Christianorum aedes sacrae. Iam ante Constantini tempora basilica quaedam Christianis sacris dicata erat, quam veterem et apostolicam appellant [3]), puto quod eodem loco stare credebatur, quo Christianorum sacra ab ipsis apostolis constituta erant [4]). In hanc cum imperator Romanus, sive Philippus sive Decius sive Numerianus, introrumperet, obstitit ei Babylas episcopus: hinc eius martyrium et veneratio [5]) Magnam autem aedem, multitudinis capacem eorum, qui in hac Christiani nominis altrice urbe novis sacris se addixerant, primus fieri iussit Constantinus, neque is perfecit [6]). Sed Constantius absolvit, pretiosa eam suppellectili instruxit dedica-

---

1) De his numis, qui Tarso tribuuntur, Eckhel. D. N. III. p. 412 sqq. Mionnet *Descr.* III. p. 668. Toelken. in ephemer. artific. Berolin. *(Berliner Kunstblatt)* T. I. fasc. VI. (1828. Jun.) p 175.

2) V. Eckhel. D. N. II. p. 465. Sylloge num p. 36.

3) *Παλαία* dici videtur in Chronico Paschali p. 584. ed Bonn. (296 Par.), Apostolica a Theodoreto III, 12. Nescio an haec ecclesia significetur, ubi Theodoretus ait Meletii episcopi asseclas in Palaea, Eustathii sectam seorsim sacris catholicis operam dedisse, III, 4. Cf. Montefalcon. in Io. Chrysost. in Acta II, 1, T. III. p. 60. Fabula Antiochenorum conditam eam basilicam ferebat a Theophilo illo, cui Lucas acta inscripsit, *in proprio domate.* V. Willerm. Hist. IV, 9.

4) In angiportu prope Pantheum, dicta Singonis. V. supra §. 6. p. 86. n. 5.

5) Nicephor. Hist. Eccl. V, 26. VI, 33. Euseb. Hist. Eccl. VI, 39. cf. 29. et in Chronico ad Decium imper. Malalas p. 303. Cf. imprimis Bollandistas in Act. Sanct. ad Ianuar. d. 24. T. II. p. 569. Montefalcon. in Vita Chrysost. T. XII. p. 98. quod Numerianum ab hac re alienum arbitratur, non refragor: sed eum non nisi ab obscuro quodam scholiasta vel martyrologio in ea re memorari, non recte dixit. V. Malalas l. l.

6) Malalas p. 318. (3.) 324. (6.) 325. (7).

vitque, sex annis post fundamenta a patre iacta [1]). Stetit ea usque ad Iustinum, ann. p. Chr. 526 [2]): certe Malalas eam tum ignibus ex ipsa terra prorumpentibus, quae dirissima erat terrae motus pars, absumptam esse narrat: sed mox refecta est, peperceruntque ei ipsi Persae, cum Chosroë rege Antiochiam cepissent [3]). Haec est, quam Iulianus post Daephnaei templi incendium occludi iussit [4]), quam Iovianus Christianis orthodoxae fidei reddidit, Valens autem Arianae sectae dogmatis addictus iterum illis eripuit [5]). Stetisse eam puto iisdem locis, quibus antiqua illa apostolica, cuius nomen in eam translatum est [6]), quanquam Philippi lavacrum ad eam amplificandam assumptum esse, e Malalae narratione intelligitur. Magnam ecclesiam, *τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν*, dictam esse et Malalas et Io. Chrysostomus testatur, cuius pleraeque homiliae in ea habitae sunt [7]). Nostrum autem est, colligere omnia unde appareat, quae eius forma, quae structurae fuerit. Magna erat aula muro cincta, in qua media ipsa aedes, *ὁ εὐκτήριος οἶκος*, ad magnam surgebat altitudinem. Forma fundamenti octaedros, sed circa hanc figuram oeci et exedrae exteriores, partim sub terra, partim per tabulata altius suspensa extructa erant [8]). Solum magnis saxorum tabulis constratum erat [9]); multi fulgebant et in parietibus et in columnis pretiosi lapilli, quibus minus splendidi in-

---

1) Theophanes p. 24. ed. Ven. Cf. Theodoret. III, 12. Hieronymus cum anno p. Chr. 329. adscribit: *In Antiochia dominicum, quod vocant aureum,* aedificari coeptum, erravit, si Constantius opus post sex annos absolvit. De aedis eius dedicatione ad a. 341. m. 6. scribit Pagius. Cf. Asseman. Bibl. orient. I. p. 252.

2) Malalas p. 419. (50).

3) Procop. bell. Pers. II, 10. p. 195. ed. Bonn.

4) Ammian. Marcell. XXII, 13, 1. Theophanes p. 34. Theodoret. III, 12., qui eam tum Arianorum fuisse narrat, sicut Nicephor. X, 29. Cf. Gibbo Hist. Rom. Imp. II. p. 410.

5) Theodoret. IV, 24.

6) V. Theodoret. III, 12.

7) V. Io. Chrysost. T. VI. p. 255. ed. Montf.

8) Haec ducta ex Eusebio V. Constantin. III, 50. Cf. idem de laud. Constant. c. 9.

9) Io. Chrysost. si esur. inim. 3. T. III. p. 160.

crustati erant [1]); multus ubique aeris et auri splendor, nec deerat, quod notabile videtur, signorum (*ἀγαλμάτων*) ornatus [2]), cuius etiam in sacris rebus Antiochenos omnino studiosos fuisse credibile est [3]). Sed maximam mirationem faciebat tectum [4]), quod immensae altitudinis [5]), in tholum formatum (*σφαιροειδές*) [6]) auroque superinductum [7]) erat. Hinc ab Hieronymo Dominicum aureum dicitur. Hoc hemisphaerium cum terrae motu, qui Iustino imperante accidit, vel cum tota ecclesia dirutum vel labefactatum esset, refecisse id traditur Ephraemius architectus lignis ex luco Daphnensi petitis, id est cupresseis, idque (mirum dictu) cum subsequentibus terrae motibus versus boream inclinatum esset, eo motu qui sub Mauritio, a. p. Chr. 589, Antiochiam afflixit, in pristinum statum repositum esse narratur [8]). Adde, in eo templo aram (*τὸ θυσιαστήριον*) versus occidentem collocatam fuisse, non, ut fieri solebat, versus orientem [9]). Ex hac quamvis imperfecta notitia intelligitur saltem, hoc Antiochenorum templum forma non dissimile fuisse aedis S. Vitalis, quae Ravennae sub ulti-

---

1) Hoc intelligitur e. Io. Chrysost. in Ep. ad Ephes. homil. X, 2. T. XI. p. 78.

2) Etiam hoc e Chrysostomo T. XI. p. 78. affero.

3) Meletii episcopi Antiocheni imagines, Chrysostomus illius discipulus narrat, in annulis, vasculis, parietibus ubique expressas fuisse.

4) Io. Chrysost. de mut. nom. II, 1. T. III. p. 109. in Genes. VI, 2. T. IV. p. 42. b.

5) *ὕψος ἄφατον* dicit Io. Chrysost. si esur. inim. 3. T. III. p. 160. c.

6) Theophanes p. 24.

7) Io. Chrysost. in Ep. ad Ephes. hom. X, 2. T. XI. p. 78. Huius tholi magnificentiam etiam titulus praedicat, quem servavit Malalas p. 326. (7), cuius forma haec fuisse videtur:

Χριστῷ Κωνσταντῖνος ἐπήρατα οἰκί' ἔτευξεν
Οὐρανίαις ἀψῖσι πανείκελα, παμφανόωντα,
Κωνσταντείου (i. e. Constantii) *ἄνακτος ὑποδρήσσοντος ἐφετμαῖς·*
Γοργόνιος δὲ Κόμης θαλαμηπόλον ἔργον ὕφανε.

8) Euagrius VI, 8. Nicephor. XVIII, 13.

9) Observavit id Socrates Hist. Eccl. V, 22. p. 297. ed. Reading. Cf. Letronnius in opere sanequam docto *Hist. du Christianisme en Egypte* p. 144.

mis Gothorum regibus structa inter celeberrima est Christianae antiquitatis monimenta, namque tholum et haec erigit supra octaedron aream 1). Ac colligitur inde, tholi eam formam in orientalibus imperii Romani plagis vel antiquiorem vel non posteriorem certe fuisse, quam basilicarum oblongam speciem.

Iisdem temporibus etiam Babylas, quem propter Christiana sacra sub Decio Numerianove interfectum diximus, in ea aede coli coeptus esse videtur, quae extra portas trans Orontem sita erat. In hac cum ossa eius primum composita essent 2): postea a Gallo principe in Daphnaeum delubrum translata sunt, ubi cum Apollo mortui hominis vicinia os sibi occludi questus esset — nempe etiamtum cadavera aversatus ut olim in Delio delubro — Iulianus ea ossa in illud templum extra Urbem reportari iussit 3), in quo larnax, qua martyris ossa continebantur, etiam viginti annis post, cum Io. Chrysostomus orationem de S. Babyla contra gentiles haberet, servabantur, in monimentum scilicet vanorum Apollinis et Iuliani furorum 4).

16. Nec tamen inter has novorum sacrorum molitiones et fabricas publicis privatisque Antiochenae plebis commodis minus providebatur. Constantini praecipua opera haec erant: basilica quae Rufini dicebatur, quod post Augusti discessum a Rufino Praefecto praetorio absoluta est, qua Mercurii aedis, quae eodem loco fuerat, area occupabatur 5): prae-

1) V. d'Agincourt *Histoire de l'archit.* pl. 23, 1—2. et de hoc genere aedium sacrarum Dronke et Lassaulx *Matthias-Capelle bei Kobern* p. 51. cf. p. 25.

2) Euagrius I, 16., cuius interpretatio ex iis, quae secuntur, petenda est. Io. Chrysost. hom. de hierom. Babyla c. 3. T. II. p. 535. Montf. Cf. Acta Sanctor. T. II. p. 578.

3) Rufinus Hist. Eccl. I, 35. 36. Socrates III, 18. Sozomenus V, 19. Theodoret. III, 10. Euagr. I, 16. Nicephor. X, 28. XIV, 44. Theophanes p. 33. Io. Chrysost. de hierom. Babyla c. 2 sqq. T. II. p. 533 sqq. de Babyl. contra Iulian. c. 12 sqq. p. 555 sqq. Eandem rem spectat Ammianus Marc. XXII, 12, 8.

4) Io. Chrysostom. c. 23. p. 577. Montf.

5) V. Malalas p. 318. 318. (4.). Exadversum sita erat lavacro Olbiae, non longe dissita a vico Thalassiorum. Malal.

torium in eadem Urbis parte extructum, ut comitis Orientis sedes esset, qui nunc Antiochiae continuo degere iussus est, cui aedificio Musarum templum, quod ad forum fuisse supra ostendimus, insumptum est [1]): denique Xenon sive hospitium, quod aedificium ad excipiendos peregre venientes institutum prope magnam Christianorum aedem extructum est [2]). Cum Plutarchus, Christianus homo, Antiochenorum archon, in struendo hoc Xenone occupatus esset, invenisse traditur statuam Neptuni, et Asphalii quidem, nam ad terrae motus arcendos erecta esse dicitur; ex qua refusa statuam fecit Principis, quae titulo inscripto BONO CONSTANTINO extra Praetorium posita est. Posuit Constantinus etiam matri suae Helenae statuam in Daphnaeo luco, propter quam locus Augustaeum dictus est [3]).

Quod diximus, Musarum templum tum Comitis Orientis praetorii cessisse, non prohibet, quominus etiam post Constantinum Musei apud Antiochenos mentio fiat. Eudocia Augusta, Theodosii minoris uxor, cum Antiochiam coram Antiochenis splendida oratione laudasset, statua ei posita est in Museo [4]). Publicam scholam Libanius commemorat ad Museum prope Calliopen [5]). Hinc intelligitur, hoc quod tum

---

p. 397. (40.) Circumdata erat duobus tetrapylis. Malal. l. l. Conflagravit imperante Anastasio, sed eius imperatoris iussu restituta est. Malal. p. 398. (41.) cf. etiam p. 423. (52.). Zosimus, qui V, 2. p. 249. ed. Bonn. sub Arcadio et Honorio a Rufino, potentissimo illo Arcadii amico, basilicam Antiochiae factam esse dicit, splendidissimum Urbis aedificium, non aliam significasse potest nisi hanc. Sed Malalae in ea re potior fides, ut Zosimum existimem turpi errore hunc Rufinum antiquiori illi substituisse.

1) Malalas p. 319 (4.) Ex eodem p. 397. (40.) intelligitur, hoc praetorium et basilicas Rufini et Zenodoti non multo spatio fuisse disiunctas; haec enim omnia sub Anastasio incendio consumpta sunt.

2) Malalas p. 318.

3) Suidas v. *Αὔγουστος*.

4) Chronicon Paschale p. 585. (316 Par.)

5) Liban. de fortuna sua p. 71. Alia erat ad curiam p. 73., in qua etiam certamina rhetorum committebantur, v. Liban. epist. 367. cf. 767., sicut in templo Minervae, epist. 767. Caete-

supererat Museum diversum fuisse ab illo, quod forum attigisse ostendimus. Calliopes autem templum videtur ad mediam portam fuisse, qua Parmenio ex monte defluebat [1]). Non aliud autem fuisse opinor Museum, quod ab Antonino Pio conditum esse supra memoravimus [2]), id enim cum Nympheo coniunctum erat, ac Nymphaeum fuisse ad Calliopes aedem, ex confusa quadam et obscura Malalae narratione divinari potest [3]). Bibliotheca Antiochena, quae in Museo Antiochi Philopatoris fuerat, quid factum sit, non magis definire licet, quam fortuna eius bibliothecae, cui Antiochus Magnus olim Euphorionem praeposuerat [4]); aliam bibliothecam, in aede, quae Traiani olim fuit, dispositam combussisse traditur Iovianus princeps [5]).

17. Constantius, Constantini filius et in Oriente successor, quanquam plerosque imperii sui annos Antiochiae transegit [6]), atque hac praesentia civitatis splendorem haud mediocriter auxit [7]): de operibus tamen in ea urbe ab eo

---

rum etiam minores scholae, privataque *διδασκαλεῖα* Musea dicuntur a Libanio, V. epist. 407. 462., ubi *παῖς* memoratur *ἐν μουσείοις λόγων ἀθλητής*.

1) v. supra §. 8. p. 89. n. 3. Miror tamen, Musarum aliquod delubrum etiam a Libanio (si Libanii eae *ἐκφράσεις* sunt) p. 1114. in foro commemorari, cuius in aditu Minervae statua collocata erat. Nam Antiochiae Museum illud fuisse, eo minus dubitationi obnoxium esse videtur, quod Minerva illa, Phidiacae in Parthenone simillima nisi quod Victoriam in dextra non habet, eam plane refert, quae in numis Antiochi Sidetae s. Euergetae conspicitur. V. diss. I. §. 24 p. 64. n. 2.

2) §. 10.

3) §. 8. p. 89. n. 3.

4) Suidas v. *Εὐφορίων*.

5) Suidas v. *Ἰοβιανός*.

6) In his annis constituendis multus est Gothofredus in Theodosianum codicem, pluribus ll.

7) Hinc Orbis descriptio, quam edidit Maius Classic. auct. e Vatic. codd. edd. T. III. c. 17. p. 394., de ea urbe dicit: *Quarum* (Syriae civitatum) *prima Antiochia, civitas regalis in omnibus, ubi et dominus orbis terrarum sedet* (Constantium esse viderat iam Gothofredus, qui fragmentum eius libelli ediderat Genevae a. 1628.), *civitas splendida et operibus publicis eminens et*

structis, praeter aedem Christianorum absolutam, nihil traditum habemus. Sed Iulianus tamen, urbem ab eo et porticibus et fontibus exornatam esse refert [1]). Ac plurimum ille commerciis Antiochenorum profuit exciso portu Seleuciae, de quo magno opere supra diss. I. §. 4. diximus.

Iulianus princeps, quis nescit, quantum molitus sit, ut Antiochenorum animos sibi conciliaret, et quanta ira commotus, cum in eo studio cecidisset [2]). Antiqua sacra, quae instaurare omnibus viribus annitebatur, Daphnaea potissimum erant Apollinis, sed etiam Tychen Antiochenam sancte veneratus est [3]), Iovique in Casio monte hecatomben mactavit [4]), victimarius ille non falso approbrio a Christiano populo obiurgatus. Etiam Iudaeorum templum tum instauratum est [5]), cum Christianorum ingens et magnifica aedis occludebatur,

---

multitudine populorum ornata, undique accipiens omnes sustinet, abundans omnibus opibus. De nomine Constantiae sive Constantianae, quam Antiochia assumere tum solebat, dixit Ez. Spanhemius Obs. ad Iulian. p. 266. Constantinianam autem Daphnen non esse hanc Syriacam, plures monuerunt VV. DD.

1) Iulian. Or. I. p. 41. Spanh.

2) Zosimus III, 11. p. 140. recte dicit, plebeculam illam ludorum cupidissimam et luxuria diffluentem Principis temperantiam et modestiam aegre tulisse. Quantum ille, rerum venalium certo pretio constituto (qua re Antiochenis valde se profuturum opinabatur), cum caupones omnes Antiochiam fugerent, odium sibi contraxerit, narrant Sozomen. V, 19. Socrates III, 17. Cassiodor. VI, 40. Nicephorus X, 27., et qui in ea re Iulianum prudenter reprehendit, Ammian. XXII, 14, 1. 2. Ipse eam rem tangit Iulianus Misopogone p. 350. 369. Spanh.

3) Ammian. Marc. XXIII, 1, 6. Cassiodor. VI, 35. cf. diss. I, 15. ann. 6.

4) Ammian. Marc. XXII, 14, 4. Malalas p. 327. (7.)

5) Theophanes p. 35. Cf. de ea aede Iulian. Misopogon. p. 361. Spanh. Io. Chrysost. adv. Iud. 1, 6. T. I. p. 595. Montf. Videtur eadem esse, quam antiqui reges aerea Hierosolymitani templi suppellectili exornaverant. V. diss. I, 10. Postea cum Theodosius Iudaeis Antiochenis synagogas redditurus esset, quas Christiani illis ademerant, ita territus esse dicitur Simeonis Stylitae epistola, ut ab eo coepto desisteret. Euagr. I, 13. Sub Anastasio Daphnaea Iudaeorum synagoge cremata est, ac factum inde S. Leontii martyrium. Malalas p. 396. (40.)

et, si ea fides est harum partium scriptoribus, foede inquinabatur [1]). Caeterum Antiochenis a Iuliano non solum antiquarum religionum contemptum sed publicae etiam privataeque vitae inconstantiam et petulantiam exprobatam esse, Misopogon eius, qui etiamnum superest, ostendit.

18. Qui post Iulianum et Iovianum in Oriente imperabat, Valens, quanquam ortodoxae fidei sectatoribus valde invisus esset [2]), Antiochenae tamen plebis gratiam multis beneficiis meruit. Is cum anno p. Chr. 371. decimo Novembris die Antiochiam venisset [3]), et pacem induciasve, non sine imperii detrimento, cum Persis pepigisset: magna ibi opera struere coepit. Fori quod extruxit et situm et formam plenius compertam habemus, quam plurimorum eius regionis monimentorum [4]). Situm erat qua Parmenio torrens inter montes descendebat: hic fornicum arcuatione ita superstructus erat, ut super eo forum continuum explicaretur [1]). Area fori (*τὸ μέσαυλον*), cuius pars illa arcuatione subnixa erat, marmore erat strata; media in area ingens columna Valentiniani Augusti, quem Valens frater potestatis suae auctorem

---

1) Quem propter eam rem acerbissime incusant Christiani scriptores, Iulianus imperatoris avunculus (Sozomen. V, 7. Theodoret. III, 11. Cassiodor. VI, 10. 32.), hunc Imp. in Misopogone p. 365. Spanh. *δικαιότατα* quidem affirmat praefuisse Antiochenis, quamdiu dii ipsi cum illis esse concessissent, nec tamen *προμηθέστατα* oeconomiam urbis curasse.

2) Queruntur orthodoxarum partium studiosi, eodem tempore vera et genuina Christianorum sacra opressa, Bacchi autem et Cereris orgia et *Διάσια* (Iovis Philii sacra, puto) magna cum lascivia et impunitate celebrata esse (Theodoret. IV, 24.), dum Christiani, ut sua sacra pie obirent, in montem secedere cogerentur (Id. IV, 25.).

3) Malalas p. 338. (13.) De tempore, quo Valens Antiochiae vixerit, agit Gothofr. in Theodos. Cod. p. 93 sqq. Degisse eum *ἐν τοῖς αὐτόθι βασιλείοις*, refert Zosimus IV, 13.

4) Distinguendum id esse apparet a vetere foro, quod in rebus Vespasiani (v. supra §. 6. p. 86. n. 2.) quadratum dici videtur. Septem Antiochiae fora fuisse dicit Hadschi-Chalifa, *Gihan Numa* T. II. p. 343., unum tectum. Sed in septenario numero ludunt hi scriptores, nam etiam portas, fontes, montes septem fuisse fabulantur.

5) Malalas p. 339. (13.)

colebat, statuam attollebat [1]). Itaque tum etiam Antiochia suum sibi Traiani forum cum columna habebat. Quattuor, Malalas narrat, id forum cinctum fuisse basilicis, quarum una, quam ipse Valens extruendam curaverat, opposita erat Commodi lavacro: altera erat Caesarium, cuius concha tantum (de qua supra §. 2 dicebatur) tum servata, reliqua pars, ut foro locus daretur, destructa est: tertiam intelligere videtur Malalas Plethrium, quod inter Commodi lavacrum et Caesarium medium fuisse videtur, et quartam Macellum, quod antea Martis delubrum fuerat, et nunc novam formam, a basilica non plane abhorrentem, induisse videtur [2]). Haec autem aedificia, ea puto parte qua forum spectabant, Valens ornari iussit magnis columnis Saloniticis, ex Illyrico, ut videtur, marmore excisis [3]), ac splendida addidit laquearia [4]), variique coloris marmorationem, picturas denique et opera vermiculata, Valentiniano Augusto praeter eam statuam, quae in columna posita est, marmoreum signum in Senatu Conchae (de quo dictum est §. 2. p. 78. n. 4.) aliudque e pretioso lapide confectum in media concha erectum est [5]). De amphitheatro Antiochenorum tum in venationem mutato supra (§. 2.) dictum est; lavacrum a Valente prope Circum extructum verbo memorasse sufficit [6]).

---

1) M a l a l a s l. l. Nescio an eadem haec statua sit *ὁ ἑστὼς χαλκοῦς ἀνδρίας ὁ λεγόμενος Κολονίσιος τὸ μέσον τοῦ ἀντιφόρου*, unde sub Anastasio Menas Nycteparchus a furente plebe suspensus est. M a l a l. p. 397. (40.)

2) *Μάκελλος διὰ τὸ ἐκεῖ τὰ χοίρεια κρέα κόπτεσθαι μόνον.* M a l a l. p. 287. (122). Commodium postea factum est praetorium Consularis Syriae. M a l a l. p. 338. (13.) Prope Commodium et Caesarium h o r o l o g i u m fuisse scribit Malalas, puto aedificium eius generis, quale ab Andronico Cyrrhesta Athenis factum est.

3) Traguriense marmor, quod P l i n i u s laudat N. H. III, 22., ex iisdem montibus provenisse videtur: nam Tragurium in vicinia Salonae fuit.

4) *καλαθώσας τὰς ὑπορόφώσεις* dicit M a l a l a s p. 339. De voc. *καλαθοῦν* v. D u c a n g i u s.

5) M a l a l a s p. 339. (13.)

6) M a l a l a s p. 339. A m m i a n. M a r c. XXXI, 1, 2. Hoc lavacrum, cum pars eius igne consumpta esset, T h e o d o s i u s II. Eudociae hortatu refecisse narratur. E u a g r. I, 20. N i c e p h o r. XIV, 50.

19. Etiam Theodosii Magni tempora Antiochenis laetiora erant, quam pro meritis eorum: quanquam privatae eorum opes tum iam valde laborabant [1]). Hinc magna illa seditio, quae propter vectigalia aucta anno p. Chr. 387. vel 388. exarsit [2]), et eo furoris provecta est, ut statua Flacillae et Arcadii cum Honorio, ipsiusque Principis equestrem [3]) deiectas confringerent. Theodosius quanquam Antiochenis ignovisse ferebatur, non ita tamen cum iis in gratiam rediit, quin multos ex iis graviter puniret universamque civitatem metropoleos iure et honore privaret: qui dolor ea acerbior fuit, quod idem honor Laodicenos transferebatur [4]). Quid quod Antiochenis per aliquod tempus etiam balneorum usus interdictus est [5]): qua dirissima poena iidem iam superioribus temporibus ob magna facinora castigati fuerant [6]). Theatri autem orchestram ipsi

---

1) Libanius pro rhetor. p. 216.: *τῶν οἴκων τῶν ἀπὸ παλαιοῦ λαμπρῶν... πτωχεύειν ὁ καιρὸς οὐκ ὀλίγους ἀναγκάσας λαβεῖν μὲν τῶν λόγων οὐκ ἐκώλυσεν, εἰς δὲ μισθοῦ δόσιν ἀδυνάτους ἐποίησε.* Magna Antiochiae ecclesia tum tria millia pauperum magnis, quas habebat, opibus alebat. Chrysostom. T. VII. p. 658. a. b. cf. 808. e.

2) De hac seditione multa mentio apud Libanium (de sua fort. p. 151 sq. ad Theodos. orat. de sedit. et de venia concessa, et ad Caesarium magistrum p. 626 sqq. 653 sqq. 678 sqq. contra paedag. blasphem. p. 269. epistol. 769. 770. 771.) et multa apud Chrysostomum (praecipue Homil. II—VI. XI—XVIII. XXI.). Narratur ea a Zosimo IV, 41. p. 223. Bonn., Theophane p. 49. d., Glyca p. 257. Par., Cedreno p. 320. Par., Theodoreto V, 19, Sozomeno VII, 23. Nicephoro XII, 43. Cassiodoro Hist. Eccl. IX, 32. Act. Sanct. Ian. T. II. p. 596. Ex recentioribus scriptoribus Baronius, Petavius, Valesius in Sozomen. l. l. annum 388. ei seditioni adscribunt; annum 387. definiunt Gothofredus in Cod. Theodos. T. I. p. 126 sq. III. p. 50. sq. Montefalcon. Vit. Chrysost. T. XIII. p. 105. Tillemont *Hist. des empereurs* T. V. p. 564 sqq. 968 sqq. (387. Februar. d. 26.). V. etiam Gibbo T. III. p. 45.

3) Has statuas enumerat Libanius ad Theodos. orat. sec. p. 656 sq.

4) V. Io. Chrysost. Homil. XVII, 2. T. II. p. 175. Theodoret. V, 20.

5) Io. Chrysost. Homil. XIV, 6. T. II. p. 149. XVIII, 4. p. 187.

6) Philostrat. V. Apollon. I, 16. p. 20. Olear.

Antiocheni ultro sibi occluserunt, et circensibus ludis per tempus aliquod abstinuerunt [1]).

Theodosii tempore quanta et qualis Antiochia fuerit, duo eloquentissimi scriptores, novorum alter, alter veterum sacrorum cultor, Chrysostomus et Libanius, multa afferunt, ex quibus existimari possit. Ille ducentorum millium tum populum fuisse testatur [2]), in quibus centum fere millia Christianorum orthodoxae fidei fuisse [3]): quos numeros viros et mulieres complecti, pueros puellasque et servos excludere puto. Nondum igitur sacrorum Christianorum lumen, quanquam indies altius surgens, antiqua sacra plane obscuraverat, a quibus ipsa ludicra, quibus Antiocheni tantopere gaudebant, animos abalienari non sinebant, Olympia, Maiuma, Circenses, quibus omnibus celebrandis sub Theodosio Magno Chuzo Praefectus praetorio, origine Antiochenus, magnam pecuniae summam destinavit [4]).

Haec hominum multitudo quantum quadrurbio continebatur, spatium implebat sex ettriginta stadia longum et triginta fere stadia latum. In quo multae erant opulentiorum domus ad tria usque tabulata surgentes [5]), multa etiam tenuiorum ho-

1) Io. Chrysost. Homil. XV, 1. T. II. p. 152. Montf. Idem suaserat civibus suis Libanius de ira Imp. p. 500., sed ita mitigatum, ut in Hippodromo pro sedecim eos sex commissiones facere iuberet. Olim M. Aurel. Antiochensibus spectacula et conventus publicos abstulerat. Capitolin. M. Aurel. 25.

2) Io. Chrysost. in S. Ignatium 3. T. II. p. 597. a. *δῆμον εἰς εἴκοσι ἐκτεινόμενον μυριάδας.*

3) Idem in Matthaeum homil. 85, 4. T. VII. p. 810. a., ubi centum millia in ecclesia Christiana congregari dicit (*ἐνταῦθα συνάγεσθαι*). Antiochiae plures Christianos fuisse quam Constantinopoli, Chrysost. affirmat, Or. contra Anomoeos XI, 1. T. I. p. 541. Montf. (a. 398.)

4) Malalas p. 362. (24) De Circensium et theatri studio saepe queritur Chrysostomus, velut T. IV. p. 730. 769. Ipsam Christianorum synaxin propterea neglectam aegre fert T. I. p. 501. b. c. Iccirco etiam Chosroes, cum Antiochiam novam extrueret, aurigas primum musicosque eo convocavit et Circum cum balneis aedificavit. Procop. bell. Pers II, 14.

5) Liban. p. 347. Theophanes p. 117. *πεντάστεγον* aedificium commemorat, incendio sub Iustino inde a tegulis correptum et consumptum.

spitia. Tecta privatarum aedium plana fuisse, ac saepe homines, ut nunc in Oriente solent, pro cubiculis iis usos esse, inde collegerim, quod quam iucunde Favonius dormientibus afflet et sindonas corporibus circumiectas leni afflatu tollat, Libanius in laudibus Antiochiae recenset [1]). Plurimum splendoris et commodi etiam privatis aedibus accessit porticibus illis per totam urbem longe patentibus, quibus primariae fores contiguae erant [2]). Ac continuabantur quodammodo harum porticuum ordines etiam per minores vias et angiportus proiectis utrinque grundis maenianisque quibusdam [3]), quae euntem a pluvia solisque ardore defenderent, ac sub umbra ad porticus illas deducerent. Ita sub ardentissimo sole umbra non desiderabatur: noctis autem tenebrae, quibus hoc sub caelo iucundissima vitae pars transigitur, dispellebantur luminibus diurnae lucis aemulis [4]): qui Iuliani et Theodosii temporibus peculiaris huic urbi splendor fuisse videtur [5]). Neque hac nocturna luce tam securitati cavebatur, quam voluptati, idque maxime expetebatur, ut nox diei pars et pulcherrima quidem fieret. Quocirca lavacrorum aditus splendidissima omnium luce collustrabantur [6]); ipsa lavacra ita fuisse illuminata, non est quod demonstretur, cum idem etiam in aliis urbibus factum esse constet [7]).

Verum, cum privatis aedificiis in omnibus urbis partibus immixta essent delubra, lavacra, alia publica aedificia [8]), atque ea urbis loca, quae arduis saxis horrebant, pensilibus hortis magis quam aedificiis colerentur [9]), factum est, quod in magnis urbibus fieri solet, ut hominum maxime tenuiorum

---

1) Liban. Antioch. p. 347.

2) *αἱ πρῶται θύραι*, Liban. p. 344.

3) *δρυφάκτους* appellat Liban. p. 344.

4) V. Liban. p. 363. Ammian. Marc. XIV, 1, 9.

5) Ita censet etiam Gu. Ad. Becker. in Gallo T. I. p. 333 sq.

6) Liban. de ira Imp. p. 500.: *τὸ πολὺ καὶ μάταιον τοῦτο φῶς καὶ τρυφὴν ἄχρηστον δεικνύον, τὸ περὶ τῶν βαλανείων κρεμαμένον.*

7) Lamprid. Sever. Alex. 24. extr. Iustin. Cod. VIII, 12, 19.

8) V. maxime Liban. p. 342.

9) De hortis in montibus, qui intra Antiochiae moenia includebantur, Libanius p. 338. De hortis ad fluvium Id. p. 330. 339.

turba ex interiore urbe versus extremas partes compelleretur. Hinc Antiochiae, praeter urbem veterem et recentiorem, quae in insula erat, etiam suburbia accreverant late patentia. Magnum erat ultra Orontem suburbium [1]), qua campus patebat, quo Antiocheni ut Romani olim Martio campo utebantur [2]). Aliud suburbium, occidentem versus urbem continuabat, idque hominibus frequentissimum: quorum caussa Chuzo ille quem diximus, ad Theodosium Augustum rettulit: moenia Antiochiae ambitu ita crevisse, ut multae aedes ad mille passus a muris distarent; cavendum, ne tanta oppidanorum multitudo hostium incursionibus indefensa proiiceretur. Placuit imperatori, ut hoc urbis incrementum novo muro includeretur, qui extra Daphneticam portam [3]) circumductus a Philonauta porta ad Rhodiorum locum pertinebat [4]): quorum locorum hic, qui a rosis nomen traxit, ad montem in convalli quadam, ille, nisi appelatio a nautis ducta fallit, ad Orontem fluvium fuisse videtur. Etiam montis partem novus hic murus ambiebat, et ad Phyrminum usque torrentem extendebatur: quo loco cum antiquiori Tiberii muro coniunctus erat [5]). Huius muri Euagrius testatur, etiam suo tempore, id est exeunte sexto p. Chr. saeculo, superesse vestigia [6]). Extructum autem

---

1) Liban. ad Theodos. or. sec. p. 674. *τὸ πρὸ ταύτης (τῆς νήσου) ᾠκισμένον χωρίον.*

2) Liban. ibid. p. 767. cf. Antioch. p. 340. Aphraates apud Theodoret. IV, 26. per viam Regiae septentrionem versus contiguam, *εἰς τὸ πολεμικὸν γυμνάσιον* tendit. Cf. Vales p. 39. Hac parte erat Romanesia porta. *Εἰς κάμπον ἐν τῇ Ῥωανησίᾳ πύλῃ*, dicit Athanasius in colloq. Arrian. 1. T II. Opp. ed. Colon. p. 27., Iovianum imperatorem iturum fuisse, cum ab Arianis primum adiretur. Cf. Malalas p. 202. (85.), qui eandem Romanesiam portam commemorat.

3) Hoc sumptum ex Euagrio I, 20. et Nicephoro XIV 50. Hic dubitant, hicne Theodosius an nepos eam urbis partem addiderit: illud verum esse, Malalae testimonio demonstratur.

4) Malal. p. 346. (16) Philonautam portam Chilmeadus recte ex codd. lectione reposuisse videtur.

5) Malal. 346. sq. Quo etiam docemur, caementa ad hunc murum extruendum ab amphitheatro vetere (v. §. 2.) et aquaeductu Caesaris sumpta esse.

6) Euagr. I, 20., et qui eius verba etiam hac in re reddit, Nicephor. XIV, 50.

eum puto a Theodosio post seditionem illam: quoniam Libanius, cum Theodosio propter urbem servatam gratias agit, eumque, ut eam maiore quodam augmento quasi suam faciat, hortatur, nulla opera ab Imperatore iam structa commemorat, nisi quod vetus palatium Daphnaeum recenti quasi oppressum et obscuratum dicit [1]). Non omittendum tamen Theodosium iam octavo imperii anno (p. Chr. 386) ad Taurianam portam pontem in maiorem quam antea fuerat latitudinem exaedificasse, partemque adiectam tecto operuisse, et in vetere Urbe antiquae basilicae minorem addidisse [2]). Denique reperio, Ellebichum eundem, qui post seditionem ad Theodosium missus est, ut pro Antiochenis deprecaretur, Antiochenis aedes et lavacrum extruxisse, quod, Libanius ait, in media Urbe situm per omnes portas circumquaque et senes et iuvenes quasi ad se traxisse [3]).

20 Theodosium minorem nescio quid commoverit, ut ad Antiochiam exornandum omnem lapidem moveret. Cum quisque fere Syriae consularis sponte operam daret, ut aliquod sui nominis monimentum Antiochiae relinqueret [4]): Theodosius tres deinceps (ut videtur) viros misit, qui Antiochiae praeessent, eamque novis operibus augerent. Memnonius ex his curiam quandam, Psephium dictam, struxit, cuius aedificii media erat aula sub divo relicta [5]). Alter Zoilus Basilicam aedificavit, quae a Rufini porticu meridiem versus sita erat, et Euagrii tempore etiamtum extabat, forma quidem multum mutata, sed servato nomine [6]). Tertius Callistus porticum extruxit ante tribunal, ex quo ius dicebatur [7]), e regione fori, in quo praetorium magistrorum militum (τῶν

---

1) Libanius p. 674. De hoc palatio v. supra §. 14.

2) Theophanes p. 48.

3) Liban. epist. ad Ellebichum 816. p. 383. Wolf. Ob eandem caussam Tatianus laudatur, epist. 1040. p. 488.

4) Valesius in Euagr. I, 18. p. 62.

5) Euagr. I, 18. Ex alio loco VI, 8. intelligitur, Psephium hoc in regione Brysiis fuisse. Ducangius Lex. med. Graec. s. v. ab opere musivo dictum putat.

6) Euagr. I, 18. Nescio an haec Zoili basilica diversa fuerit a Zenodoti basilica, quam Rufinianae vicinam fuisse, Malalas ostendit p. 397.

7) πρὸ τῶν ἐδῶν ἃ τῇ δίκῃ ἱδρύεται, dicit Euagr. I, 18.

στρατηγῶν) erat [1]). Haec Euagrius: alia Malalas de operibus, quibus Theodosii ministri Antiochiam exornarunt. Anatolius, Magister militum in Oriente, magnam fieri curavit basilicam luminibus sive fenestris instructam (διάφωτον), omnique ornamentorum genere splendide excultam [2]). Sita ea erat e regione Athlorum, quod aedificium de praemiis ludorum dictum et cum Olympiis coniunctum, a Xysto non longe afuisse existimaverim. Inscripserat Anatolius musivo opere ex auro: Ἔργον Θεοδοσίου βασιλέως, et in tecto collocaverat Theodosii et Valentiniani III. Imperatorum statuas. Iustiniano principe eadem basilica refecta est [3]), a Theodora Augusta, columnis a Constantinopoli missis. Nymphidius autem consularis Daphneticam portam aureis valvis exornavit [4]): ad exemplar puto Constantinopolitanae portae, quae aurea dicebatur [5]). Denique etiam Eudocia Augusta, quae ab eadem origine se natam praedicavit atque Antiochenos (Athenis enim orta erat) [6]), cum Antiochiam venisset atque aerea statua in Museo et aurea imagine in Curia posita ab Antiochenis culta esset, ad Antiochiae splendorem augendum et ipsa quaedam contulisse dicitur [7]).

21. Leonis regnum, praeter terrae motum (de quo diss. I. §. 5. dictum est) [8]) notabile est aede S. Simeonis martyris extructa. Hic Simeo Stylita, qui prior eo nomine appellatus est, cum anno p. Chr. 459. mortuus esset: corpus

---

1) V. de hoc Valesius in Euagr. p. 62. Narrat Theophanes p. 147. incendium, quod a Martyrio S. Stephani coepit, usque ad praetorium τοῦ στρατηλάτου progressum esse.

2) V. Malalas p. 360. Brevius eiusdem operis mentionem facit Euagr. I, 18.

3) Conditam esse dicit Malalas p. 423. (52), consueto errore.

4) Malalas p. 360. (23). cf. p. 272.

5) Sita erat in XII Regione Constantinopoleos (v. Descr. Urb. Constant.), et longissime aberat ab eo angulo, quo Constantinopolis in mare prominet.

6) Diss. I. §. 6.

7) Euagr. I, 20. Nicephor. XIV, 50. Chronicon Paschale p. 585. Bonn. (316. Par.).

8) A quo ut Urbs refici posset, Imperator multam pecuniam largitus esse dicitur. Malalas p. 369 (27).

eius ex mandra, in qua vixerat, in Urbem illatum est, quod factum Leone principe, Ardaburio Magistro militum [1]). Ac primum eius corporis reliquiae depositae sunt in Cassiani, ut quidem tradunt, ecclesia, sed, ut alii rectius narrare videntur, in Magna ecclesia: cui oratorium adstruebatur huius martyris honori destinatum [2]). Posthaec (ipsum annum definitum non reperio) eodem in monte, in quo ultimam vitae partem transegerat, quem Euagrius ab Urbe trecentis fere stadiis distare et viginti stadiorum ascensum habere ait [3]), templum Simeonis conditum est. Nunc dicitur hic mons *Dschebel-Semaan*, cuius ea in parte, qua aquilonem versus proiicitur arduoque cacumine Ifrinis fluvii convalli imminet, etiamnunc magnae reliquiae aedis Simeonis (*Kalaat-Semaan*) cum coenobio aliquo coniunctae conspiciuntur. Euagrius templum illud, quod modo *τέμενος*, modo *νεὼν*, modo *μάνδραν* appellat, formam crucis referre addit, in omni latere porticibus circumdatam, quarum tecta columnis pulcris ex lapide polito sustineantur. Mediam esse aulam sub divo, ubi columnam illam XL pedes altam positam esse, in qua Simeo vitam transegisse ferebatur. In porticibus sub tecto fenestras esse clathratas [4]), quibus media aula cum porticibus coniungeretur. Haec Euagrius, qui ipse eam aedem se vidisse testatur. Qui ex recentioribus peregrinatoribus has parietinas diligentissime descripserunt [5]), mediam ecclesiam octogonon esse scribunt, quattuor versus caeli regiones exteriori aede in crucis formam cinctam. Ac octogonon illud magnis ex pilis, quibus

---

1) Euagr. I, 13. Malalas p. 369.

2) Magnam ecclesiam dicit Cosmas in Vita Simeonis ap. Assemannum Bibl. Orient. T. I. p. 253., Cassiani Antonius in Act. Sanct. Ianuar. T. I. p. 268 sqq. Malalas p. 369 (27) *μαρτύριον οἶκον μέγαν*, ubi Soror Simeonis condita sit, Antiochiae extructum narrat: sed fortasse illam in monte Simeonis aedem intelligit.

3) Euagr. I, 14. Nicephor. XIV, 51. cf. Diss. I, 7.: cf. Simon. Metaphrast. in Actis Sanct. Ian. T. I. p. 285.

4) *Κλειθρίδια* et *θυρίδας* eas dicit Euagr. I, 14.

5) Pocockius T. II. p. 170. qui etiam ichnographiam aedis in tabula addit, qua Euagrius egregie illustratur. Richter. *Wallfahrten in den Orient* p. 271. Poujoulat *Correspond. d'Orient* T. VII. p. 187. pauca de hoc delubro affert, eaque sola ex narratione Beroeensis hominis excepta.

columnae adiectae et arcus impositi essent, constructum esse, tectum autem, quod in tholum fuisse fastigatum dicitur, concidisse scribit Richterus; at hoc, si Euagrio fides est, nunquam fuisse intelligitur. Exterior autem aedis versus orientem tria habet hemicyclia, quae aram maiorem duasque minores continuisse videntur; versus meridiem porticus quaedam, ut narthex, aedificii frontem ornat. Hemisphaeria concharum illarum, in quibus arae erant, et arcus narthecis non ineleganti opere facta sunt, et columnarum capitulis innituntur, quae, Richterus tradit, Corinthio modo esse ornata, sed pravo artificio sculpta, palmae foliis pro acantho distincta. In zophoro palmae acanthique folia cum parvis denticulis sculpta sunt. Inferiori montis loco alterum coenobium Simeonis extat, pluribus tabulatis extructum atque fenestris fastigiisque conspicuum: sed et hoc ruina collapsum. Omnia haec magnis quadratisque saxis extructa sunt; lapidicinae, quae non multo spatio distant, ex quibus ea saxa excisa sunt, sepulcrorum vices sustinent. Subiectum est oppidum, ac multa circumquaque monimenta, sacella, aedes, quanta olim fuerit horum locorum reverentia testantur. Distat hic locus ab Antiochia XIII, a Beroea plus VI horarum itinere [1]).

Sub Zenone, extremo eius principatus tempore, novum accessit ornamentum Daphnaë, quam ex delubro Apollinis magis magisque in speciem oppidi mutatam esse, haec et alia ostendunt. Mammianus senator tum Daphnae Antiforum struxit [2]), in quo duae erant basilicae porticus, variis lapidum coloribus ornatae, mediumque inter eas Tetrapylum magnis columnis et aereo ornatu insigne, solumque Proconnesio marmore stratum [3]).

22. Ea quae secuntur tempora infesta et horrida reddiderunt Circenses Prasinorum tumultus [4]), intestina factionum

1) Haec ex Richteri verbis p. 279. 290. colliguntur: alii paulo aliter.

2) Aliud est antiforum Antiochiae, de quo v. supra §. 18. p. 111. n. 1. Quid eo vocabulo significetur, ex ipso vocabulo tantum divinari potest.

3) Haec non satis claris verbis expressa Nicephor. XVI, 23. Malalam de his aedificiis nihil memorare, miror.

4) Malalas p. 389. 392. 396 sq.

bella [1]), Iudaeorum caedes [2]): tanquam clades ab hostibus [3]), et incendiis [4]) terraeque motibus [5]) imminentes hominum furori restinguendo non sufficerent. Post magnum illum terrae motum, quo urbs Iustino imperante anno p. Chr. 526. vastata est, Imperator misit, qui ut vitae necessitatibus primum provideretur, aquae ductus fluminisque pontes reficerent [6]): postea tota urbs restituta est ab Ephraemio, Comite Orientis, eodem qui post patriarcha Antiochiae factus est et cuius theologicorum operum excerpta habentur apud Photium (cod. 228. 229.). Iustinianus autem cum in societatem imperii venisset: Antiochiam et multa pecunia donavit expetita maxime a Zacharia, Ephraemii successore [7]), et variis ornavit aedificiis, Xenone, lavacris, cisternis [8]). Imprimis ex-

---

1) Malalas p. 422. *Οἱ δῆμοι*, ut Constantinopoli, factiones circenses appellantur.

2) Malalas p. 389. 396. Sub Zenone et Anastasio Iudaei a Prasinis caesi: sed imperante Phoca Hebraeorum fuit victoria, et Anastasius episcopus foedissima caede ab iis interemptus esse dicitur. Nicephor. XVIII, 44.

3) Hoc loco *ἐν παρόδῳ* memorare liceat, Antiochiam etiam ab hostibus plane incognitis, populo anonymo, infestatam esse, qui ex ultimis Caucasi rupibus prorupere, Syriam vastavere, Antiochiamque obsedere, ut ait Hieronym. ep. LX. T. I. p. 345. ed. Vallars. (qui annum 395. significat) et Claudian. Eutrop. II, 569.

4) De incendio, quod in Anastasii regnum indicit, v. supra §. 16. p. 106. n. 5. Incendio sub Iustino, anno imp. VIII. ind. IV. (p. Chr. 526.), mense octobri, id est quinque mensibus post magnum illum terrae motum (v. diss. I, 5.), absumpta est ea urbis pars, quae a S. Stephani Martyrio usque ad Praetorium Magistri militum pertinet (quam occiduam magnamque urbis partem dicere videtur Marcellin. Com. Chron. ap. Sirmond. T. II. p. 381.). Malal. 417. Theophanes p. 117.

5) v. diss. I. §. 5. Euphrasium episcopum hoc terrae motu sub Obelisco Circi obrutum et sepultum esse, narrat Marcellin. Com. ap. Sirmond. T. II. p. 381. Cf. Malal. p. 433 (52).

6) Malal. p. 421 (51). Fortasse ex eo tempore superest pons egregio opere structus, ei angulo urbis, qui fluvio imminet, proximus, de quo praeter alios dixit Kinner p. 152., et qui in tabula conspicitur apud Cassas. III.

7) Malalas p. 422. 424.

8) Malalas p. 423 (52).

trui iussit S. Mariae Virginis oratorium, e regione basilicae Rufini, et prope illud aliam aedem sacram, SS. Cosmae et Damiano dicatam [1]). Etiam Theodora regina praeter Anatolii basilicam refectam, Michaelis Archangeli aedem condidit [2]) Sic Antiochia splendide resurgere videba-

1) Malalas p. 423 (52). De eodem Procop. de aedif. Iustin. II, 10 p. 241. ed. Bonn. (46 Par.), qui id *μέγα ἱερὸν* appellat, *οὗ δὴ τό τε κάλλος καὶ τὸ ἐς ἅπαντα μεγαλοπρεπὲς ἐπελθεῖν λόγῳ ἀμήχανον*. Ecclesiam S. Mariae a Theopolitis Iustiniani aedem dictam scribit Euagr. V, 21. Ex terrae motu ann. 657. huius *Θεοτόκου* aedis mediam tantum stoam servatam esse, narrat idem Euagr. VI, 8. Martis templum eodem loco vel prope eam fuisse, affertur ex geographis Arabibus, a Ios. Hammero, in Encyclop. Halensi T. IV. 312. cf. Otter. Itin. T. I. p. 82.

2) Malalas p. 423 (52). Eandem Procop. de aedif II, 10. *ν εὼν παμμεγέθη* dixit. Hic et Mariae Virginis et Michaëlis Arch. templum post terrae motum a. 528 a Iustiniano conditum scribit. Quodsi Malalam sequimur, tum refectum id esse statuamus oportet. Distinguendum videtur ab hoc aliud Michaelis Arch. templum, quod Daphnae fuit, incensum a Chosroë, Procop. bell. Pers. II., 11. p. 199., et tertium, quod Procop l. l. diligenter ab hoc discernit, in vicinia Antiochiae situm, locis confragosis. quae *ὁ Τρητὸς* dicebantur (ut in Argolide), Euaridis opus.

Hac in annotatione breviter recensum quendam agamus templorum Christianorum, ut supra diss. I. §. 27. p. 70. n. 3. Graecanicorum. Memoratas iuvenimus in ipsa urbe 1. ecclesiam magnam, veterem illam et apostolicam (v. §. 15. 21.). 2. Deiparae aedem (supra l.). 3. S. Cosmae et Damiani aedem. 4. Cassiani aedem (v. §. 21. p. 118. n. 2. §. 22.), in qua Iustiniani toga regia, pretiosis lapillis distincta, suspensa est, Malal. p. 450 (64). 5. S. Ignatii templum, ex Tychaeo in hunc usum conversum (diss. 1, 45.). 6. S. Stephani Protomartyris aedem (Act. Sanct. Maii T. V. p. 310.), in occidentali urbis parte (v. p. 120. n. 4.). 7. Leontii martyrium (v. §. 17. p. 109. n. 2.). 8. Michaelis archangeli templum, de quo diximus. In nova Urbe sitam fuisse dicunt ecclesiam illam, qua Paulinus Miletii tempore potiebatur (Socrat. III, 9.), Benedictini ad Athanas. T. II. p. 771.: nescio quo auctore nisi. Quae a recentioribus commemorantur, aedis S. Petri in colle quodam, et S. Ioannis rupe excisa (Quaresmius p. 914. Dapper p. 149 aliique): earum in antiquis scriptoribus mentionem non repperi. In suburbiis erant 1. S. Iuliani templum a Persis non deletum (Procop. bell. Pers. II, 10. p. 196. Bonn.), cf. Vit. Sanct. Ian. T. I. p. 571. 2. S. Io-

tur, cum novo terrae motu, anno p. Chr. 528. [1]), ea quae modo instaurabantur aedificia cum muris et quibusdam aedibus sacris conquassata sunt: qua tum calamitate etiam Laodicea et Seleucia afflictae sunt. Imperator quidem et tributorum levatione et argenti non exiguo pondere misso civitatem deiectam erigere conatus est [2]); omnibusque modis etiam a Theodora allaboratum est, ut Antiochia splendori suo restitueretur. Tum cum novus seclorum ordo Antiochenis surgere videretur, etiam nomen mutatum est, et iubente, ut narratur, Simeone thaumaturgo (qui minor eius nominis stylita est) urbs pro Antiochia Theupolis dicta est [3]).

---

annis τοῦ Προδρόμου templum, quod consueto more etiam baptisterii vices sustinebat, extra muros (Malalas p. 396.) in vico Tiberino (Nicephor. in Act. Sanct. Maii T. V. p. 308. 310. V. Simeon. e ms. Florentino, in eodem T. p. 412. 413.). 3. Babylae aedis trans Orontem (v. §. 15.). 4. Ecclesia Daphnensis, quam Iustinianus instauravit (Procop. de aedif. V, 9. p. 328. Bonn. cf. Vit. Marthae in Act. Sanct. Maii T. V. p. 409., eademque Acta Mart. T. II. p. 421.). 5. Babylae templum Daphnense (§. 15.). 6. Michaelis aedis Daphnensis, de qua modo dictum est. 7. Monasterium Simeonis in Monte Mirabili (Nicephor. in V. Simeonis, Act. Sanct. Maii T. V. p. 343). Templum Marthae ubi fuerit, nescio: insigne illud triplici concha, quarum maxima orientem conversa alteram laeva, alteram dextra adiunctam habebat; has Isaurici fabri arcuatione (*προϋποστολῇ*) texerant. V. Vit. Marthae in Act. Sanct. T. V. p. 421.

Coemeteria nobis innotuerunt alterum ad Urbem extra portam Daphneticam: hic cum Ignatii, sub Traiano martyris, ossa ponerentur, Io. Chrysostomus orationem ad populum habuit, T. II. p. 592. ed. Montf. V. S. Hieronym. de script. eccles. c. 16. Act. Sanct. Febr. T. I. p. 33. cf. Euagr. IV, 35.: alterum Daphnense, ubi B. Thomas conditus est, in *τάφῳ ξένων*, Elephantone loco. V. Act. Sanct. Maii T. V. p. 412. cf. Euagr. IV, 35.

1) d. XXIX. Novembris, v. Dissert. I. §. 5. Quae de incendio narrat Chron. Edessen. apud Assemannum Bibl. Orient. I. p. 415., quod XV. d. Novembr. ann. 528. omnia consumpserit Antiochiae aedificia, quibus terrae motus pepercisset: ea nullo alio teste confirmantur.

2) Malalas p. 444 (61). Cedrenus p. 646. ed. Bonn. (368. Par.).

3) Malalas p. 443 (61), qui ex Actis Urbis refert, populum magna cum exultatione acclamasse huic novo nomini. Cf. Theophanes p. 121 b. Euagr. IV, 6. Nicephor. XIV, 34. Pho-

At infaustissima erant novi nominis auspicia. Nondum, credibile est, Antiochiam ab illa clade resurrexisse veteresque resumpsisse vires: cum alius et saevior terror eam invasit. Anno enim 538. p. Chr., duodecimo Principis Iustiniani [1]), Iunio mense, Chrosroes *(Chosru Nushirvan)* Persarum rex Antiochiam oppugnare coepit, occupatisque arduis montis verticibus, in quibus saxum muris ipsis imminens oppugnatoribus pro castello et Helepoli quadam fuit [2]), urbem armata manu expugnavit [3]), eamque a militibus spoliatam incendio dedit. Una excepta est ecclesia Christianorum, quae magna dicitur: sed etiam haec magnis auri argentique opibus, ipsisque pretiosis marmoribus, quibus parietes vestiti erant, exuebatur [4]). Tantus enim pulcrarum aut nitentium saltem rerum in Chosroe erat amor, ut ingentem molem statuarum, tabularum, marmorum lapidumque pretiosorum secum ex urbe spoliata auferret [5]). Servata etiam aedificia circa Cerataeum, quod vocant, non hominum consilio, sed quod ampliore intervallo a reliquis urbis partibus disiungebantur [6]): ubi ea sita fuerint, ignoratur.

---

cas in Act. Sanct. Maii T. V. p. 299. Cedrenus p. 646. Eustath. in Dionys. Per. 918. p. 282. Bernh. Stephan. Byz. v. *Θεούπολις*, qui cum aliis *μετὰ τὸν σεισμὸν* Antiochiam eo nomine dictam esse tradit. Iustiniani edictum, in Codice I, 1, 6., anno 533. datum, etiam Theopolitanis scriptum est.

1) Cedrenus p. 652. ed. Bonn. (371 Par.).

2) De hoc saxo Procop. de aedif. II, 10. p. 424. et de bello Persico II, 6. p. 178.: ubi Germanum id prudenter observasse eique rei provisum esse narrat, sed aliud placuisse architectis, et c. 8. p. 188.

3) Procop. bell. Pers. II, 8. (ap. Photium p. 25. ed. Bekker.), cf. bell. Goth. IV, 7. p. 490. Bonn. Theophanes p. 147 c. Malalas p. 479. 480 (77). Euagrius IV, 25. (ex Procopio). Nicephor. Vit. Simeon. jun. Act. Sanct. Mai. V. p. 330. Chron. Edessen. p. 416. ap. Assemann. Abulpharagius p. 94. Mentio captae Antiochiae est etiam apud Menandrum p. 347. 423. ed. Bonn. Ex recentioribus v. maxime Gibbo T. IV. p. 245.

4) Procop. bell. Pers. II, 10. p. 195 Bonn.

5) Io. Laur. Lydus de magistr. III, 54. p. 247. Bonn.

6) Procop. bell. Pers. l. l.

Etiam muris flammas nihil nocuisse, prodit Procopius [1]). Ipsorum oppidanorum magnam partem Chosroes ex imperio Romano abduxit, et in novam Antiochiam, quam in Assyria unius diei itinere a Ctesiphonte dissitam condebat, transtulit [2]).

23. In hac horrenda urbis omniumque eius fortunarum strage id quidem commodum evenerat, quod nihil supererat, quod prohiberet, quominus Imperator urbi ex ruderibus suscitandae eam formam assignaret, quam tempora et situs locorum tum poscere videbantur. Nulla enim supererant publicae porticus, nulla atria peristyla, nulla fora; quid quod, cum ne angiportus quidem dignoscerentur, cives qui supererant vix aream, qua domus suae antea stetissent, reperire poterant [3]). Hinc factum, ut Iustinianus, cum Syriam in ditionem recepisset, aliam plane urbem ex ruina surgere iuberet, quam quae ceciderat. Urbs, quae et in montem versus et in campo ad fluvium multo latius patuerat, quam pro incolarum multitudine bellis et calamitatibus tam valde attenuata, ita ut intra muros vasti campi sine aedificiis relicti essent, nunc in angustiorem ambitum contracta est. De quo quae Procopius tradidit cum plane conveniant cum moenium forma, quae cruciatorum militum tempore ac magnam partem etiamnunc superest, atque ii qui supersunt muri structurae genere Byzantiorum imperatorum tempora manifesto prodant: scriptorum testimonia monimentorum specie illustrabimus. Ac primum, urbis ambitum maxime contractum esse, Procopius ait, in plana et campestri parte [4]); hinc factum est, ut Orontes, qui antea urbem hac parte longo ambitu circumdabat [5]), uno tantum angulo ubi porta ad pontem erat, moe-

---

1) Procop. II, 10. p. 196.

2) Procop. II, 14. p. 214. Theophylactus p. 216. ed. Bonn. Ex scriptoribus orientalibus quaedam de hac Antiochia affert De Sacy *Mémoires sur les antiquités de Perse* (1793) p. 366.

3) V. Procop. de aedif. II, 10. p. 240. 241 (48).

4) Procop. de aedif. II, 10. p. 238 (47). *Πύργους ἐν πεδίῳ*, dicit Euagr. VI, 8.

5) Procop. l. l., qui sibi constat, cum de bell. Pers. II, 6. p. 178. Orontem eo tempore plane urbis loca omnia alluisse et ab hostibus tuta praestitisse dicit.

nia tangeret, versus orientem autem longius inde recederet. Affirmat quidem Procopius, etiamtum Orontem muros Antiochiae valide defendisse, sed intelligit, quod verba eius aperte significant [1]), fossam satis latam et altam, qua Orontis aquarum pars ex alveo fluminis secundum muros deducta pontibusque nonnullis constrata inferiore loco flumini reddebatur. Huius canalis nec nunc vestigia superesse videntur, neque in cruciatarum expeditionum historiis mentio fit, ut fluvium mox naturalem repetiisse existimem: quae enim fossa sacris illis militibus ad occidentale oppidi latus, prope S. Georgii portam, obiecta erat, ea non ex Oronte, sed fontibus quibusdam ac rivulis alebatur, nec Procopii descriptioni convenit. Versus meridiem autem, qua muri antea magnam montis partem complexi erant, nunc a rupibus praeruptisque saxis removebantur: quanquam Procopius quod dicit, colles omnes qui intra Iustiniani muros relicti fuissent, ita fuisse exaequatos, ut etiam equis et curribus commode adiri possent, dubito an adulatorie magis quam vere dictum sit [2]): nam supersunt etiam nunc intra muros scopuli satis ardui et praecipites [3]). Neque aliter fieri poterat, cum muri ii etiam cruciatarum expeditionum tempore Arcem in alto colle sitam comprehenderent: ac mirantur etiamnunc peregrinantes audaciam, qua ii muri per acclivia et declivia deducti angustas convalles quasi transscendere et voraginibus subiectis imminere videntur [4]). Torrens ille, qui inter duos montes decurrit [5]), ne moenibus noceret, magno muro ante moenia obiecto excipiebatur: quocum angusta inter eos montes convallis clauderetur, aqua in stagnum colligebatur, ex quo per foramina (*θυρίδας*) et canales (*ὀχεταγωγίας*) in urbem intromittebatur [6]). Hic murus etiamnunc extat, sexaginta fere pedes supra aquas collectas altus, admirabile opus: dicitur

---

1) Procop. l. l. *ὀχεταγωγίᾳ τὸν ῥοῦν ὡς ἀγχοτάτω περιελίξας.*

2) Procop. p. 239.

3) V. ex. gr. Corancez p. 117. Richter. p. 281.

4) V. maxime eam horum murorum partem, quam adumbravit Cassas in tabulis 7. 9. 10.

5) V. diss. I. §. 3. p. 8. n. 5.

6) Procop. de aedif. II, 10. p. 240 (48).

nunc porta ferri *(Bab-haddid)*, quod ita interpretantur, ut arcus muro subiectus olim ferreis clathris clausus fuisse dicatur [1]). Haec de meridionali ac contrario urbis latere, sed etiam versus orientem et occidentem sic contracta est, ut cum antea XXXVI stadia in longitudinem pateret, nunc tribus fere millibus passuum comprehenderetur [2]). Murorum crassitudo ea esse dicitur, ut quadrigae in iis vehi possint [3]). Muris turres adiectae sunt, quas CCCLX numero esse, sunt qui narrent [4]). Nec muri nec turrium eadem ubique magnitudo et structura; versus septentrionem, qua Orontes ad muros accedit, horum altitudo non plus quam XXV vel XXX pedum esse dicitur: meridiem versus muri admirabili opere ad LXX et LXXX pedes adscendere [5]) turresque multis tabulatis attolli dicuntur. Muris turribusque passim pro inte-

1) Pocock. T. II. p. 190. Niebuhr. Itin. T. III. p. 15. 16. Poujoulat. p. 114., qui se ab Arce versus orientem eum murum conspexisse testatur. Eundem, ut videtur, voragini superstratum duosque montes iungentem aquaeductus vice fungi narrat Corancez p. 118.: sed Poujoulat p. 112. eum aquaeductum, quo torrens superatur, versus leuconotum *(sud-ouest)* se vidisse affirmat. Tabulis descripta est ea porta ferri apud Pocock. ad p. 190. Cassas tb. 9.

2) Haec Kinneir p. 151., qui latitudinem urbis unius vel sesquialteri M. P., et ambitum X vel XII M. P. indicat. Abulfeda p. 115. et *Gihan-Numa* p. 342. XII M P. exhibent. Mirifice XLVIII M. P ambitum Antiochiae assignat Ewlia Arabs adductus a Ios. Hammero Encyclop. Halensi T. IV. p. 312. Willermus Tyr. IV, 10. longtiudinem esse ait II vel III M. P., M. Sanuti III, 5, 4. III leucarum. Diligentissime Niebuhrius Itiner. T. III. p. 15. a porta S Pauli in oriente ad portam olearum *(Bab Seitûn)* versus leuconotum (S. W.) circiter 11000 pedes sive 2200 duplices passus esse affirmat, mediam autem latitudinem indicat 950 dupl. passuum.

3) V. Dapper. T. I. p. 119. De la Roque T. I. p. 204. Corancez p. 117. Sex septemve pedes crassos esse scribit Kinneir p. 152.

4) Ita *Gihan-Numa* p. 342. Dapper. CCCCLXX turres fuisse dicit. Poujoulat p. 117. LII turres etiamnunc esse servatas dicit, olim fuisse CXXX.

5) Poujoulat p. 106. 111. In nimium extollit murorum altitudinem scriptor in Gest. Franc. Bongarsii T. I. p. 565.

riori pariete porticus adiectae erant, quarum etiamnunc supersunt aliquot columnae, pyrrhopoecilo saxo excisae [1]). Ac per omnes muros turresque traditur in summa superficie iter fuisse, turribus cum muro scalarum ope coniunctis [2]). Fabrorum opus non in omnibus idem est: in iis, quae versus Eurum eminent, cum saxis quadratis etiam laterum ordines coniuncti sunt, ut saepe in Romanis eius aetatis operibus factum est [3]). Portae in eo murorum ambitu septem esse dicuntur, quinque maiores [4]): quas ab antiquioribus, etiamsi iisdem regionibus positae erant, aliquantum distare necesse est, quanquam Malalas sive Domninus, ubi de suis temporibus loquitur, interdum iisdem, quibus veteres, nominibus utitur [5]). Ac licebat, cum muri etiam a Chosroe non diruti

---

1) Poujoulat p. 116., qui id porticuum genus in turri prope portam S. Pauli et in occidentali muro se repperisse dicit.

2) Cotovic. p. 449.

3) Kinneir p. 152. Conspicitur hoc mixtum opus etiam apud Cassas tb. 7.

4) Ita *Gihan-Numa* p. 343. Maiores dicit, quae a cruciatis militibus celebrantur, porta S. Georgii (versus occidentem), p. Pontis et Ducis (versus septentrionem), p. Canis et S. Pauli (versus orientem). Quae versus meridiem reperiuntur portae, porta olearum *(Bab-Zetoun)* ad Leuconotum *(sud-ouest)* aliaque altius sita, et tertia in colle orientali (Poujoulat, p. 111. 116.), minores sunt, nec cruciatarum expeditionum annalibus memorantur. Quae portae novam Antiochiam attingunt, eae omnium maxime dirutae sunt. V. Niebuhr. Itin. T. III. p. 15.

5) Sunt eae portae, versus occidentem: 1. porta Cherubim, quae Malalae tempore superfuisse videtur (v. supra §. 6. cf. 4). 2. Daphnetica sive aurea porta, quae nescio eademne, an paulo altius sita fuerit (§. 8. 20), quae Malala teste p. 360. *καλεῖται ἕως τῆς νῦν ἡ χρυσέα πόρτα.* 3. porta Philonauta, in Theodosii muris (§. 19. p. 115. n. 4.). Versus septentrionem: 4. Romanesia porta (§. 19. p. 115. n. 2.). 5. Tauriana sive Lunae (§. 6) porta, ad Orontem (§. 19.), eadem fortasse, quae nunc Pontis porta dicitur. Versus orientem: 6. porta, in qua Tiberius lupam posuit (§. 6.). Versus meridiem: 7. media porta, ad Martii templum, qua Phyrminus descendit (v. §. 4. p. 83. n. 3. §. 8. p. 89. n. 3.). Porta S. Iuliani (ad aedem Iuliani puto, supra §. 22. p. 21. n. 2. memoratam) Malalas p. 420 (51), ubi sita fuerit, non indicat. Neque notior *ἡ πύλη τῆς πόλεως ἐπὶ τὸ λεγόμενον Τρίπυλον* commemorata a Theophane p. 36.

essent, portarum ornamentis in redintegranda urbe commode uti. Forma eius portae, qua Beroeam itur, quae S. Pauli *(Bab-Boulos,* ab Arabibus porta Medinae) dicitur, arcu semicirculari conspicua, qui supra epistylium sive supercilium forium attollitur [1]), simillima est veteris Constantinopoleos portis, quarum reliquiae etiamnunc conspiciuntur [2]). Operum publicorum, quibus interior urbs instructa est, insignia maxime fuerunt templa Deiparae virginis et Michaelis archangeli (nam magna ecclesia a Persis non deleta erat), et Xenon, aegris utriusque sexus destinatus [3]): sed etiam porticus, fora, aquaeductus, cisternas, lavacra, aquae in montibus receptacula tum refecta esse constat [4]). Denique urbem totam, Procopius ait, ingentibus saxis esse constratam [5]). Splendidissima autem platea erat, quam recentiores plerique commemorant, candido marmore constratam, inde ab orientali (S. Pauli) porta occidentem versus horae fere itinere ad oppidulum illud, quod nunc Antiochiae nomen servat, porrectam [6]). Quam, si locorum situm consideraveris, aut plane in magnam illam plateam Epiphaniae urbis incidere, aut non longe ab ea distare existimabis. Etiam theatra novae urbi reddita esse scribit Procopius, quanquam idem Princeps superioribus imperii annis Antiochenis propter turbas in ludis spectandis ortas theatri

---

1) V. Cassas pl. 5. 6. Eam portam laudibus cumulat etiam Poujoulat, p. 110., qui eam plus XXX pedes altam, XII latam esse affirmat.

2) Velut porta aurea Cpoleos apud com. Caseolinum *(Choiseul Gouffier, Voyage pittoresque)* T. II tb. 8. 9.

3) Procop. de aedif. II, 10. p. 241 (48).

4) Procop. II, 10. p. 239 (47) et 241 (48). Illo loco commemorantur lavacra in montibus, ut ab antiquioribus, diss. I, 29. Quae Procop. dicit *ὑδάτων ταμιεῖα ἐν τοῖς ὄρεσι*: ex his unum superest, magna piscina orbiculari forma, 120 pedum diametro, prope Arcem, quam Niebuhr. Itin T. III. p. 17. Poujoulat p. 112. aliique commemorant. Etiam altera piscina ad S. Pauli portam a multis describitur peregrinatoribus.

5) *λίθοις ἁμαξιαίοις*, Procop. II, 10. p. 241.

6) V. maxime Dapper., qui Monkonysii testimonio utitur, De la Valle p. 129. Richter. p. 281.

usum interdixerat [1]). Quod autem Procopius dicit [2]), urbem ex ea clade et firmiorem et ornatiorem surrexisse, quam antea fuerit, huius sententiae priorem quidem partem veram esse non negamus, alteram, si Antiochiam comparamus, qualis Theodosii tempore etiamtum fuerat, adulandi magis quam veritatis studio imputabimus.

24. Ab hoc inde tempore cum Antiochia sive Theupolis neque novis aedificiis unquam crevisse videatur, sed ingravescente temporum necessitate sensim ad eam tenuitatem et inopiam, qua nunc opressa est, decrevisse, neque ea historiae luce illustretur, ut vel singulorum aedificiorum vel universi oppidi conditionem persequi liceat [3]): summa rerum capita quam brevissime indicare satis habebo.

Antiochiam, constat, sub Heraclio imperio Romano amissam esse, cum a Saracenis novo tum animorum instinctu excitatis cum universa Syria occuparetur (a. 635.) [4]), sed receptam esse imperante Nicephoro Phoca a Michaele Burza et Petro eunucho (a. 969.) [5]), postquam vires urbis *ἐπιτειχίσει*

---

1) Malal. p. 448. 449 (63). Idem p. 467. theatrum cereis incensum esse narrat. Quod autem p. 471. dicit, *θέατρον ἐχρημάτισε*, ita intelligo, ut ludos scenicos tum denuo commissos esse putem.

2) de aedif. II, 10. p. 238 (47) et 241 (49).

3) Simeonis junioris in monte Mirabili monasterium quanquam a nullo scriptore describitur, tamen cum vivo saxo excisum fuisse dicatur cum columna, quae media in eo erat, etiamnunc investigari et cognosci poterit. V. Phocas in Vit. Sanct. Maii T. V. p. 300.

4) De hac re v. Gibbo T. V. p. 325. Eandem spectat Georg. Pachymeres de Andron. Palaeol. I, 32. p. 86. Bonn., qui olim Babylonis Sultanem dicit Antiochiam cepisse *καὶ εἰς ἔδαφος κατερεῖψαι*.

5) V. imprimis Leo Diacon. Hist. V, 4. p. 81. ed. Bonn. cum annot. Hasii p. 450. 492. et excerptis ex Abulfaragii Chronico Syriaco p. 382., Abulfedae Annal. Moslem. p. 387., Cemaleddini Annalibus Halebensibus p. 390., quae Lassenius in ed. Bonn. adiecit, Glycas p. 571. Bonn. (307. c. Par.), Cedren. p. 656. 657. ed. Par. Constantinus autem Manasses v. 5666. p. 241. Bonn. tempus expugnatae Antiochiae non recte definit.

ab imperatore instituta fractae erant [1]). Tum quoque, sicut olim a Persis, urbs a summa murorum parte expugnata est, quod Christiani, qui proditionem callide moliti erant, custodiam eorum murorum dereliquerant [2]). Laudatur etiam his temporibus Antiochia propter murorum altitudinem et pulcritudinem, incolarum multitudinem, admirabilem domuum structuram [3]): sed insignia aedificia publica non commemorantur. Romanos, Arabicus rerum scriptor narrat, in monte urbis Arcem extruxisse, eodem puto loco quo iam antiqua fuit acropolis, Moslemitarum autem maximum fanum suile fecisse, posthac tamen patriarcham eodem loco hortum habuisse [4]). Caeterum, cum ea urbs quarto demum saeculo, postquam a Saracenis occupata erat, recepta sit, facile intelligitur qui factum sit, ut nulla posthaec memoria eorum fanorum, quae Christani Sanctis et Martyribus suis olim condiderant, reperiatur, sed novi et ab illis diversi Divi in vacuam sedem introducerentur; S. Paulus, S. Petrus, S. Georgius, qui a cruciatarum expeditionum militibus commemorantur [5]). Videntur eo tempore etiam sacraria illa vivo saxo excisa esse, quae

---

1) Capellum quomodo extructum sit, narrat Leo Diacon. IV, 11. p. 73., locum non diligenter indicat, ut solent scriptores eorum temporum in locis notandis negligentissime versari. Cf. Cemaleddin. p. 390.

2) V. Cemaleddin. p. 391. et Abulpharagius p. 382. Ille narrat, omnes Moslemitas, qui ad portam Aldjenan (hortum) dictam pervenire studebant, in Romanorum manus incidisse, eos autem servatos esse, qui portam maris aperuerant.

3) Leo Diacon. p. 73. *τρίτη τῶν περὶ τὴν οἰκουμένην τελοῦσα πόλεων τῷ τε κάλλει καὶ τῷ μεγέθει τῶν περιβόλων.. ἔτι δὲ πλήθει τῳ δήμου καὶ τῶν οἰκιῶν ἀμηχάνοις κατασκευαῖς.*

4) Cemaleddin. p. 391. 392. — Acriter exoptandum et flagitandum esse videtur, ut ex Vaticana bibliotheca in publicum promatur Zeineddini Arabis topographica et Alexandriae et Antiochiae descriptio, quae inest codici mspto CCLXXXVI., de quo v. Maius, Script. Vet. nova Coll. V. IV. p. 446.

5) Cf. §. 22, p. 121. n. 2. et 23. p. 127. n. 4. In S. Petri aede sacra illa lancea inventa esse fertur. S. Pauli aedis Cotovici temporibus supererat conchae hemicyclum, Itin. p. 497.

recentiores commemorant [1]). Sub ditione autem Graecorum imperatorum Antiochia mansit usque ad prima Comnenorum imperatorum tempora, quibus a Seldjukis capta est (p. Chr. 1084.), quattuordecim annis post (1098. p. Chr.) in Francorum potestatem ventura, qui eam partim libero regno, partim Graecorum imperatorum maiestatem quodammodo colentes [2]), tenuere: donec a 1268. Aegyptii, tum Caucasiorum servorum viribus valde aucti [3]), eam ceperunt et diruerunt: quorum regnum quomodo cesserit in magnum Osmanorum imperium, referre nihil attinet. His sub dominis, nemo facile mirabitur, quod ea Urbs, quae etiam sub Francorum imperio incolis satis frequens opibusque valida erat [4]), mox eo inopiae redacta sit [5]), ut nunc eorum murorum quos Iustinianus condidit, unum tantum angulum versus Caurum (NW) situm impleat, et horae itinere opus sit, ut a porta orientali ad miserum illud oppidulum, quod nunc *Anteaki* audit, pervenias [6]).

---

1) V. inprimis Cotovic. p. 499.

2) In enarrandis Comnenorum cum principibus Antiochiae ipsaque Antiochenorum civitate de regno litibus et discidiis multus est Cinnamus. Hic commemorat Arcem Antiochiae a Renaldo principe Manueli imperatori traditam, IV, 18. p. 181. Bonn. (103. Par.), et *βασίλειον αὐλήν*, IV, 20. p. 185 (107), de qua cf. §. 14. Quod Nicetas Choniata p. 36. Bonn. (18. Par.) *τὴν καλλίπολιν Ἀντιόχειαν, ἣν δίεισιν Ὀρόντης καὶ περιβομβεῖ Ζέφυρος ἄνεμος*, dicit, id Ioannis Comneni temporibus non plane convenit, sed ex rhetorum scholis sumptum est.

3) *θαρσήσαντες ταῖς ἐκ τῶν Σκυθῶν συστάσαις δυνάμεσιν*, dixit Georg. Pachymeres de Mich. Palaeol. III, 4. p. 179. Bonn. (119. Par.), cum Mamlucos significat.

4) Phocas Monachus, qui a. p. C. 1185. haec loca vidit, tempus et barbaras manus antiquum splendorem delevisse dicit, sed etiam tum Antiochiam *περιαστράπτειν πυργώμασιν, ἐπάλξεών τε ἰσχύϊ, εὐανθίᾳ λειμώνων καὶ περισχιζομένων ὑδάτων κελαρυσμοῖς*. Act. Sanct. Maii T. V. p. 299.

5) *Καὶ νῦν κεῖται ἡ περιφανὴς Ἀντιόχεια*, dicit G. Pachimeres p. 179 (119). Iam sub annum p. Chr. 1432. Antiochia CCC tantum aedes habebat, ab exiguo Turcomannorum et Arabum numero habitatas. V. Bertrandon de la Brocquière *Voyage d'outremer. Mém. de l'Institut National.* T. V. p. 422.

6) Id testantur Richter. *Wallfahrten* p. 281. et alii.

Forsitan nostra aetas postquam Turcarum ille satrapa, qui Aegyptum loco Regis obtinet, Syriam provinciam ditioni suae subiunxit, novam rerum conditionem etiam his terris praeparet, quam mercatoribus fructuosiorem peregrinatoribusque commodiorem fore, facile et augurari, populis autem an non laetior futura sit, licebit dubitare.

De foro Athenarum.

Pars prima.

1839.

1. Omnis historia licet non in temporibus locisve, sed in animi humani actione cognoscenda consistat: nec temporum tamen ea, nec locorum cognitione supersedere potest: praesertim si historicis literis is finis recte proponitur, ut rerum gestarum non generalem quandam notionem, quam abstractam dicimus, sed formam imaginemque quasi ex ipsa vita expressam menti imprimant. Quo in studiorum genere quantum habeat momentum, antiquarum urbium situm dispicere, aedificiorumque praecipuorum dispositionem cognoscere, cum manifestum sit: non opus est excusare pluribus, quod Athenarum Forum nunc non uni tantum academicae scriptioni destinatur materia: id est is terrarum locus, in quo cum Athenienses magis quam domi habitarent, etiam quemque antiquitatis cultorem quasi in natali solo versari deceat. Accedit, quod a recta fori descriptione omnis fere pendet Athenarum urbis topographia, et illustrium quorundam monimentorum iusta designatio. Magis excusandum videtur, quod eiusmodi commentatio ab eo scribitur, qui Athenas non viderit, sed visurus sit propediem, necdum naturalem locorum situm et antiquitatis vestigia illis impressa aliunde cognoverit, quam ex aliorum narrationibus tabulisque aeri incisis. Verum, ne forte in ea re quaedam in publico officio negligentia vel levitas arguatur, simul libere confitendum est, ipsum illud itineris in Graeciam suscipiendi consilium fuisse, quod auctorem harum scriptionum ad eam rem denuo tractandam et studiosius excutiendam nunc cum maxime impulerit; simul confidenter affirmandum, totam hanc caussam ita esse comparatam, ut multa possint e libris et antiquorum maxime scriptorum auctoritate confici. Et haec quidem priori loco ponentur: finis autem ei

disputationi non imponetur ante relatum quendam *αὐτοψίας* fructum, quem quasi corollarium superioribus adiungere iuvabit.

Primum paucis adumbrabimus fori Athenarum historiam, et ita quidem, ut quos in usus constitutum fuerit, quaeramus: ex quo ipso iam, quo fere locum situm fuerit, intelligi potest. Fora, *ἀγοραὶ*, cum a Graecis a populi concionibus, *ἀγοραῖς*, dicta sint, tam antiqua fuerint necesse est, quam populi fuerunt conciones. Atqui Graecos, constat, antiquiori tempore non summas quidem res comitiis populi permisisse, sed populum tamen a principibus in gravioribus rebus omnibus convocatum esse, vel ut intelligeret, quid principes vellent ut a se fieret, vel ut etiam principes intelligerent, quid universo populo, si constitueretur, maxime esset placiturum. His concionibus habendis ut certa designarentur loca, res ipsa postulabat; praesertim cum Graeci, ab antiquissimis inde temporibus in comitiis considere assueti, non ubicunque stando locus esset, congregari possent. *Ἕατ' εἰν ἀγορῇ* et similia Homerus toties de Achivis et Troianis, ut quasi singulare aliquid notetur, quod Troiani prae anxietate et sollicitudine animi in concione semel non consederint, sed steterint. *Ἐς δ' ἀγορὴν ἀγέροντο*, ait poëta *πάρος δόρποιο μέδεσθαι. ὀρθῶν δ' ἑσταότων ἀγορὴ γένετ', οὐδέ τις ἔτλη ἕζεσθαι· πάντας γὰρ ἔχε τρόμος*, Iliad. XVIII. 245 — 47. Quocirca iam illis temporibus fori area sedilibus circumdata esse solebat, ut Homerus dicit: *καρπαλίμως δ' ἔμπληντο βροτῶν ἀγοραί τε καὶ ἕδραι*, Odyss. VIII, 16. Cf. Terpstra Antiquit. Homer. p. 81. Eaque res, quamvis levis et frivola prima specie videatur, magnum tamen fecit discrimen Graecorum et Romanorum comitiorum. Nam cum Romani, qui in comitiis stabant, vel ipsa standi molestia ad publicas res brevi tempore transigendas impellerentur: Graeci sedentes etiam totos dies publicae saluti impendere non detrectabant. Quod quaniam vim habuerit ad democratiam, id est eam civitatis formam qua universus populus universarum rerum publicarum, et maximarum et minimarum, arbiter constituitur, apud Graecos excitandam et fovendam, optime intellexit Cicero, qui pro Flacco 7, 16. non acerbius, quam verius, de eo genere comitiorum dicit: *Graecorum autem totae respublicae SEDENTIS concionis temeritate administrantur. Itaque, ut hanc Graeciam, quae iam dudum suis consiliis perculsa et afflicta est, omittam: illa vetus, quae quondam opibus, imperio, gloria flo-*

ruit, hoc uno malo concidit, libertate immoderata ac licentia concionum. Cum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique, CONSEDERANT tum bella inutilia suscipiebant, tum seditiosos homines rei publicae praeficiebant, tum optime meritos cives e civitate eiiciebant.

2. Iam, cum antiquorum Graeciae oppidorum caput esset arx sive acropolis, in qua non solum primaria essent deorum delubra, sed etiam regum principumque domus: etiam *ἀγοραὶ* in arcibus ante regias domus esse solebant. Ita Homerus Iliad. VII, 345. 46.: *Τρώων αὖτ' ἀγορὴ γένετ' Ἰλίου ἐν πόλει ἄκρῃ, δεινή, τετρηχυῖα, παρὰ Πριάμοιο θύρησιν.* Hinc apparet, tragicos poëtas nihil finxisse, sed servasse antiquitatis morem, cum regiam domum, ut ferme solent, in scena ponerent, orchestram autem publicum facerent locum, ubi populus ad conciones conveniret, chorosque duceret, quod et ipsum in foris olim fieri solitum esse constat. Aeschylum autem in Agamemnone id fori genus aris *ἀγωνίων* sive *ἀγοραίων θεῶν* designasse, alibi monuimus. [1]) Eandem consuetudinem Aratus poëta universo argenteo aevo humani generis tribuit, ubi Iustitiam dicit, cum magnas hominum arces concione implevisset (*ὁπότ' ἀνθρώπων μεγάλας πλήσαιτο κολώνας*), severis eos castigasse admonitionibus, in Phaenomenis v. 120. Et Athenis quidem antiquissimis temporibus forum aliquod in ipsa arce fuisse, nescio an prodat fabula illa de deorum concione ad dirimendum Neptuni et Minervae certamen certo quodam acropolis loco (non procul puto ab aede Minervae Poliadis et Iovis Poliei ara, cf. Hesych. v. *Διὸς θᾶκοι* cum Pausania 1, 24, 4.) habita: quem loco grammatici *Διὸς θάκους* vel *Διὸς ψῆφον* appellant, plenissime autem Cratinus in Archilochis sic designavit:

Ἔνθα Διὸς μεγάλου θᾶκοι πεσσοί τε καλοῦνται:

qui versus extat apud Suidam v. *Διὸς ψῆφος*, p. 1405. ed. Bernhardy. Cf. Hesych. v. *Διὸς θᾶκοι,* Apostol. Cent. VII, 20. Arsenius p. 182. ed. Walz. A quo vix differre putaverim *θεῶν ἀγοράν*, proverbio et hanc celebratam (v. Aristid. in Minerv. p. 16. (30.) Or. Cyzic. p. 239. (418.)): quem grammatici Athenarum urbis locum dicere solent (v. Zenob. Cent. IV, 30. Apostol. X, 27. Hesych. vv. *ἀγορὰ θεῶν* et *θεῶν ἀγορά*), quanquam reperiuntur etiam, qui eum Eleusine fuisse tradiderint (v. Suidas v. *καὶ ἐν θεῶν ἀγορᾷ,* Append. proverb. Vatic. II, 24.). Deorum hoc comitium nescio

---

[2]) [cf. Thymele. vol. IV p. 71 ss.]

an a Phidia in Parthenonis zophoro sculpto opere expressum sit, ubi duodecim dii, acropoleos praesides, in aditu eius aedis soliis insidentes conspiciuntur. Quod autem ad nostram rem spectat, satis probabile videtur, Athenienses illum locum iccirco deorum comitium habuisse, quod eum vetere quodam et sancto ritu concionibus habendis destinatum fuisse, patrum memoria traditum esset. Nec discrepat sententia grammaticorum, quos Hesychius secutus est, ubi scribit, deorum forum dictum esse a concionibus (*ἀπὸ τοῦ συναγερθῆναι*), et in loco, qui *Διὸς θᾶκοι* dicebatur, Atheniensium suffragiis (*ἐν τῇ Ἀθηναίων διαψηφίσει*) deorum litem esse diremptam. Caeterum quod Thebis forum in acropoli, quae Cadmea dicebatur, eodemque loco erat, quo olim Cadmi regia stetisse ferebatur, haud inter documenta prisci moris habuerim, quoniam Pausaniae tempore, qui de ea re narrat, vastus Thebarum ambitus in angustos Cadmeae fines redactus erat, ac Pausanias ipse forum illud antiquum esse negavit. *Φασὶ δὲ οἱ Θηβαῖοι*, scripsit IX, 12, 2., *καθότι τῆς ἀκροπόλεως ἀγορά σφισιν ἐφ' ἡμῶν πεποίηται, Κάδμου τὸ ἀρχαῖον οἰκίαν εἶναι.* Prienae autem, in civitate Ioniae ab Atheniensibus condita, forum in exteriori acropoli vel vetere urbe, sub ipsum Minervae Poliadis delubrum, situm fuisse, egregia eorum locorum tabula ostendit, quam Britanni in Ionicis antiquitatibus, cap. II. tb. 2., proposuerunt.

Mox cum amplificatis oppidis fora ab arcibus removerentur, credibile tamen est, ea plerumque non longe dissita fuisse ab acropoli, quam qui teneret, clavum imperii tenere in Graecia credebatur. Phaeacum quidem forum, Homerus fingit, ad mare et portum fuisse, ut ait Odyss. VIII, 5. *Φαιήκων ἀγορήνδ', ἥ σφιν παρὰ νηυσὶ τέτυκτο*: sed totum hunc populum poëta voluit esse nautarum, nec quidquam ille nisi navalis vitae praestantiam et felicitatem in Phaeacum republica illustravit: sive cum Welckero Phaeacas dixeris Charontas quosdam, animarum transvectores, e divinis nautis mutatos in humanos, sive mavis ipsos nautas in Graecia olim propter ferrugineum palliolorum colorem (*φαιὰ ἱμάτια*) Phaeacas dictos existimare, „*nam is colos thalassicu'st*,“ ut ait Plautus in Milite glor. IV, 4, 41.: quam ob caussam Athenis quoque Phaeax heros cum Nausithoo a nautis ad Phalerensem portum colebatur. Athenis certe forum ad ipsum arcis aditum pertinuisse, res est quam maxime clara et

testata, eo potissimum quod Arrianus Expedit. Alexandri III, 16. Harmodii et Aristogitonis statuas in Ceramico esse dicit, qua ad acropolin ascendatur. *Νῦν κεῖνται*, dicit de iis statuis, *Ἀθήνησιν ἐν Κεραμεικῷ, ῇ ἄνιμεν ἐς πόλιν* (id est *ἀκρόπολιν*, nota dicendi consuetudine), *καταντικρὺ μάλιστα τοῦ Μητρῴου οὐ μακρὰν τῶν Εὐδανέμων τοῦ βωμοῦ*. Easdem autem statuas in foro fuisse testantur Aristophanes in Ecclesiazusis 681., Aristoteles in Rhetor. I, 9, 38., Lucian. in Parasito 48. Ac similis fori situs observatur etiam in aliis oppidis, velut Spartae, quo in oppido forum, quod a Spartanis Chorus dicebatur, proxime subiectum fuisse arci, consentiens est eorum opinio, qui eius situm tabulis nuper declarare studuerunt, et Argis, ubi Larissam arcem ipsi imminere foro, affirmat Livius XXXII, 25.

3. Sumpsimus supra, fora in Graecis civitatibus *ἀγορὰς* dictas esse a populi concionibus, *ἀγοραῖς*, nec de ea re ulla videtur esse dubitatio: verumtamen insequenti tempore cum alibi tum Athenis singularis quaedam area, contigua quidem foro sed ab eo discreta, populi comitiis destinata est, quam Romano vocabulo Comitium appellare licet. Athenarum Comitium Pnyx dicebatur, locus altius situs, acropoli obversus, theatro forma et dispositione similis, sed multo simplicius extructus (*χωρίον πρὸς τὴν ἀκρόπολιν, κοτεσκευασμένον κατὰ τὴν παλαιὰν ἁπλότητα, οὐκ εἰς θεάτρου πολυπραγμοσύνην*, ut Pollux ait VIII, 10, 132.). Haec loci forma etiamnum manifestissimis indiciis agnoscitur, neque a quoquam nostra memoria Pnycis situm in dubitationem vocatum esse audivimus. Pnycem autem in superficie collis ita fuisse sitam, ut foro immineret, multos habemus testes, imprimis Dicaeopolin Aristophaneum, qui in Pnyce diu expectans, donec Prytanes ad comitia habenda adveniant, interim cives suos in foro conspicit laqueum illum miniatum, quo undique in comitium, velut pecora in septum adigebantur, fugientes. *Οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι, κἄνω καὶ κάτω τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον*, ait in Acharnensibus v. 21. 22. Cf. Ecclesiaz. 378. Apparet, universos cives a foro ad Pnycem ascendisse, quod fieri non potuisset, nisi ea loca inter se contigua fuissent. *Εἰώθασιν ὑπηρέται δύο μεμιλτωμένον σχοινίον ἐκτείνοντες διὰ τῆς ἀγορᾶς διώκειν τὸν ὄχλον εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ὥς φησι Πλάτων ὁ κωμικός*, verba sunt Scholiastae in Acharn. 22. Nec, si alius ad Pnycem fuisset aditus quam

per forum, Plutarchus de Pericle dicere poterat, in eius vita c. 5.: *ὁδὸν γὰρ ἐν ἄστει μίαν ἑωρᾶτο τὴν ἐπ' ἀγορὰν καὶ τὸ βουλευτήριον πορευόμενος*, cf. c. 24. Proxime autem a Metroo, quod Atheniensium erat tabularium ad ipsum forum situm, afuisse ascensum illum, ea ostendunt, quae Aeschines in Timarchum §. 60. 61. narrat: Pittalacum quendam, male mulcatum a Timarcho eiusque congerris, nudum venisse in forum et supplici habitu ad aram Magnae Matris, id est in Metroo, consedisse: quamobrem cum vulgus undique concurreret, illos homines verentes, ne facinus suum per totam civitatem pervulgaretur, quoniam comitiorum tempus immineret (*ἐπῄει δὲ ἐκκλησία*), ad aram properasse et precibus promissisque Pittalacum, ut inde surgeret, movisse. Hinc enim intelligitur, tum maxime, cum ad comitia congregaretur populus, ea quae in Metroo agerentur, ab omnibus civibus fuisse conspecta. Accedit, quod ea verba, quae ex Arriano iam apposuimus, quae significant, Metroum e regione situm fuisse ascensus in arcem, ita rectissime dicta sunt, si Metroum a Pnyce versus meridiem et orientem positum erat: sic enim linea tangitur, quae per propylaea acropoleos directa versus occidentem producitur. Eademque propylaea ab iis, qui in Pnyce orarent, conspici potuisse, observant Harpocratio et Photius v. *Προπύλαια ταῦτα*, et erant grammatici, qui inde haec ipsa Demosthenis verba: *Προπύλαια ταῦτα*, in oratione de contribut. p. 174. explicarent, recte tamen ii ab Harpocratione improbati, etiam ob hanc caussam, quod eadem verba in oratione adversus Androtionem p. 617. leguntur, in iudicio, non in comitiis, habita. Praeter propylaea etiam Areopagum Pnycis in conspectu fuisse, et Lucianus bis accus. 9. et ipsa locorum natura quae eadem mansit produnt, iudiciorum de caede antiquam sedem, sed ob hoc ipsum a fori finibus exclusam: quod iam paullo diligentius persequi operae pretium esse videtur.

4. Namque antiquitus quidem constat, iudicia a regibus non aliter, quam consilia principum, exerceri esse solita, id est praesenti populo, in foro. *Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας*, ait Homerus Iliad. XVI, 387., ubi malos reges significat, et sacra illa corona, *ἱερὸς κύκλος*, quo principes poëta in iudiciis considere narrat, Iliad. XVIII, 504., certum fori locum designat, lapideis sedilibus (*ξεστοῖσι λίθοις*, cf. Odyss. VIII, 6.) circumdatum et aris deorum con-

secratum (cf. Iliad. XI, 808.). Ac pulcre in epigrammate quodam vetusto, quod ipsius Homeri habebatur (XIV, 3.), reges considentes fori eximius ornatus praedicantur: *ἀτὰρ γεραροὶ βασιλῆες ἥμενοι εἰν ἀγορῇ, κόσμος τ' ἄλλοισιν ὁρᾶσθαι.* At vero Athenis et ubivis puto in Graecia homicidae religiose arcebantur cum a sacris, tum a publicis hominum conventibus, ne illorum commercio innocentes polluerentur. *Οἱ μὴ καθαρὰς ἔχοντες τὰς χεῖρας*, Demosthenes ait adv. Timocr. p. 719., *εἰσιόντες εἰς τὴν ἀγορὰν ἀδικοῦσιν.* Quam ob rem, qui homicidam caedis actione persequebatur, inde incipiebat, quod eum a foro secedere et abesse, *ἀγορᾶς ἀπέχεσθαι*, et omnino ab iis, quae homicidae interdicta sunt, abstinere, *εἴργεσθαι τῶν νομίμων*, iubebat, quod ipsum in foro fiebat. V. Demosthen. in Macart. p. 1068 ex. *Εἴργοντο δὲ ἱερῶν καὶ ἀγορᾶς οἱ ἐν κατηγορίᾳ φόνου ἄχρι κρίσεως*, ait Pollux VIII, 7, 66. Hinc etiam iudicia de caede a foro removeri oportebat, et Antiphon verbis tantum non disertis testatur, omnia loca, quibus ea iudicia exercebantur, in Areopago, ad Palladium, ad Delphinium, ad Prytaneum et Phreattone, extra fori fuisse limites. Hic enim orator de Herodis caede 10. dicit: *ἐμοὶ δὲ πρῶτον μὲν, οὗ τοῖς ἄλλοις εἴργεσθαι προαγορεύουσι τοῖς τοῦ φόνου φεύγουσι τὰς δίκας, ἐνταυθοῖ πεποιήκασι τὴν κρίσιν, ἐν τῇ ἀγορᾷ.* Nempe reus non caedis actione, sed per *ἀπαγωγὴν*, quasi *κακοῦργος* esset, accusatus in alio quodam iudicio, quod in foro fuisse intelligitur, caussam dicebat: qui si homicidii solenni formula accusatus esset, idem per ipsas leges a toto foro arcebatur. Sed in hac re cautione quadam opus est, ne statim initio fori Atheniensium fines nimium videamur contrahere, quoniam inter Areopagum collem et eum, in quo comitia habebantur, convallis tantum admodum angusta ad fori usus relinqui videtur. At vero, etiamsi is locus, quo senatus Areopagiticus de caede iudicabat, a foro dissitus erat, nihil nos cogit, ut totum collem fori finibus excludamus; neque quidquam prohibet, quominus decliviorem omnem et versus septentrionem sitam eius partem fori aedificiis, iis maxime, quae altius collocata esse dicuntur, destinemus.

Haec de caedis actionibus: caetera autem Atheniensium iudicia pleraque ad forum fuisse, significat Lysias de Aristophanis bonis §. 55., recte intellectus a Schoemanno in libro de litibus Athen. p. 147. Nec videtur Aristophanes, ubi

iuvenes Atticos queritur in foro loquacitati suae indulgere (*στωμύλλειν κατὰ τὴν ἀγοράν*, Nub. 1003.), sermones in porticibus et hominum circulis consertos magis respicere, quam caussas in iudiciis actas. Mansit etiam ad forum **porticus regia**, quo fere loco ipsum regem, cum non nomen solum regis haberet, plurimas lites diiudicasse credibile est: postea autem, cum rex archon secundus factus esset et sacrorum caussa nominis illius maiestatem retineret, ibidem ab eo et impietatis et caedis caussae instruebantur et ad iudicium ferendum praeparabantur. Quo fit, ut in Platonis dialogo, qui Euthyphro inscribitur, et Socrates, qui religionum contemptarum accusatus est, et Euthyphro, qui patrem suum caedis actione persequitur, circa regiam porticum (*περὶ τὴν τοῦ βασιλέως στοάν*, p. 2.) conveniant. Qua in re mira iuris Attici inconstantia et inconcinnitas reprehendenda esset, si idem, qui ab actore, ut a foro abesset, iussus erat, legibus coactus esset, ut per forum in regiam porticum veniret ibique coram rege in iure cum actore ageret. At nihil vetat, quominus reum in eam porticum per posticam quandam ianuam a foro dissitam introductum esse existimemus.

Pars secunda.

1840.

5. De foro Athenarum disputationem nuper inchoatam persequentes accedimus ad tertium fori usum, ad **sacra**, quibus in arcta illa sacrarum et publicarum rerum societate, quae in antiquitate obtinuit, forum carere non poterat. Ac Minervalibus quidem sacris arx potissimum destinata erat, Liberalibus Lenaeum, ab arce meridiem versus situm, aliis alia loca: sed in foro Juppiter maxime, comitiorum deus praeses, cum universa duodecim deorum corona regnabat. Eam ob caussam, puto, Pisistratus Hippiae filius, avo cognominis, cum vel avo vel patre imperante annuo archontis munere fungeretur, duodecim deorum aram in foro dedicavit, quam Atheniensis populus post tyrannidem sublatam etiam majorem fecit, et veterem in ea Pisistrati titulum deleri jussit. V. Thucyd. VI, 54. Ad eam aram Plataeenses Olymp.

LXV. a. 2, a. Chr. 519., cum Athenienses duodecim diis sacra facerent, supplices consederunt illisque se et civitatem suam dediderunt, ut Herodotus ait VI, 108.: *Ἀθηναίων ἱρὰ ποιεύντων τοῖσι δώδεκα θεοῖσι ἱκέτει ἑζόμενοι ἐπὶ τὸν βωμὸν, ἐδίδοσαν σφέας αὐτούς.* Eandem autem aram quasi umbilicum habitam esse urbis et terrae Atticae, inde apparet, quod Athenienses stadiorum numerum in viis per Atticam et Graeciam ab ea ara computabant, ut factum est in marmore apud Chandlerum Inscript. II, 25. et Boeckhium Corp. Inscr. Graec. n. 525.: cujus verba sic fere restituta habemus:

Ἡ πόλις ἔστησέν με βροτοῖς μνημεῖον ἀληθές,
Πᾶσιν σημαίνειν μέτρον ὁδοιπορίας.
ἔστιν γὰρ τὸ μεταξὺ θεῶν πρὸς δώδεκα βωμόν
. . καὶ τεσσαράκοντ' ἐκ λιμένος στάδιοι.

Ex eodem instituto, cuius Pisistratidae auctores fuisse videntur, etiam Herodotus ab ara XII deorum usque ad Olympicam Iovis aedem MCCCCLXXXV stadiorum iter esse indicat, II, 7. Cf. Boeckhii disputatio de titulo Corp. Inscr. 12. p. 31 seq.

Ac locum quidem eius arae paulo certius definire licebit, cum, ubi porticus XII deorum in foro Atheniensi sita fuerit, demonstratum erit, siquidem aram vel ante porticum vel saltem e regione porticus sitam fuisse consentaneum est. Qualia autem sacra illis XII diis Athenienses celebraverint, iam clarius intelligi poterit, postquam Pindarici dithyrambi, quod a Dionysio Halic. de verb. comp. p. 152—154 R. servatum est perpulcrum fragmentum, paucis commentati erimus, cum in eo etiam post praeclaras Boeckhii et Dissenii nostri curas quaedam supersint enucleanda. Apponam autem totum fragmentum:

Ἴδετ' ἐν χορόν, Ὀλύμπιοι,
ἔπι τε κλυτὰν πέμπετε χάριν, θεοί,
πολύβατον οἵτ' ἄστεος ὀμφαλὸν θυόεντα
ἐν ταῖς ἱεραῖς Ἀθάναις
οἰχνεῖτε πανδαίδαλόν τ' εὐκλέ' ἀγοράν·
ἰοδετᾶν λάχετε στεφάνων τᾶν τ' ἐαριδρέπτων λοιβᾶν·
Διόθεν τέ με σὺν ἀγλαᾳ
ἴδετε πορευθέντ' ἀοιδᾳ δεύτερον
ἐπὶ κισσοδέταν θεόν,

τὸν Βρόμιον τὸν Ἐριβόαν τε καλέομεν· γόνον ὑπάτων
μὲν πατέρων μελπέμεν
γυναικῶν τε Καδμειᾶν ἔμολον.
Ἐν Ἀργείᾳ Νεμέᾳ μάντιν οὐ λανθάνει
φοίνικος ἔρνος, ὁπότ' οἰχθέντος Ὡρᾶν θαλάμου
εὔοδμον ἐπαΐωσιν ἔαρ φυτὰ νεκτάρεα.
τότε βάλλεται, τότ' ἐπ' ἀμβρόταν χέρσον ἐραταὶ
ἴων φόβαι, ῥόδα τε κόμαισι μίγνυται,
ἀχεῖταί τ' ὀμφαὶ μελέων σὺν αὐλοῖς,
ἀχεῖται Σεμέλαν ἑλικάμπυκα χοροί.

Primum horum versuum verbum ἴδετε, non δεῦτε, fuisse, demonstravit Schneidewinus noster in Exercitatt. critt. p. 21. et in Supplementis corp. fragmm. Pindari, quae ad Eustathii prooemium comment. Pindar. adiecit p. 29., et Dionysii librorum vestigia premens, et grammatici in Anecdotis Oxoniensibus T. I. p. 169, 19. 176, 5. auctoritate nisus, qui ἴδετ' ἐν χορὸν Ὀλύμπιοι e Pindaro exemplum affert Boeotorum consuetudinis, ἐν pro εἰς usurpantium. Adde quod ipse Dionysius ἴδετε se legisse ostendit verbis p. 155.: τὸ πρῶτον αὐτῷ κῶλον ἐκ τεσσάρων σύγκειται λέξεως μορίων, ῥήματος κ. τ. λ.: nam δεῦτε ab antiquis grammaticis adverbium, non verbum, habebatur. V. Apollon. de adverb. p. 553, 5. Herodian. περὶ μονήρους λέξεων p. 27, 3.

Igitur Pindarus in his versibus Olympios deos, qui Athenarum urbis umbilicum frequentent thura redolentem ac celebre et artificiis splendidum forum, invocat, prius ut chorum propitii adspiciant et decora eum gratia ornent, ipsi violarum coronis et vernorum florum libatione culti: deinde, ut poetam respiciant, qui a Iove Nemeaeo profectus secundo Libero patri, quem Bromium et Eriboan vocent, illustrem cantum offerat. Se enim venisse, ut summi patris Cadmeaeque mulieris prolem caneret, a Nemeensi vate non deceptum, qui ex palmulae germinibus provenientibus veris adventum auguratus sit, cum Horarum thalamo recluso nectareae omnes plantae veris odorem persentiscant. Tunc effundi per aeternam terram amabiles florum racemos, rosasque capillis innecti, tunc choros cantu cum tibiis iuncto Semelem celebrare. Intelligitur facile, praesertim post Boeckhii doctam explicationem, Pindarum a Nemeis ludis, quibus affuerat, primo vere Athenas venisse ad Liberalia sacra celebranda, quae alia esse non poterant, quam urbana et magna Dionysia, quae

medio fere Elaphebolione mense agebantur, cuius mensis finis ab aequinoctio verno non multum recedere solebat. V. Boeckh. de Dionys. comm. c. 24., in Actis Acad. Berolin. a. 1816. et 1817. p. 114. Ad haec autem celebranda non Bacchum solum, sed omnes deos Olympios convocat, neque eos in Lenaeum, Bacchi *τέμενος*, sed in forum ut adsint, invitat. Quod cum *εὐκλέα ἀγορὰν* dicit, facere id videtur ex more Boeotorum, qui in omnibus foris, ut Plutarchus Aristid. 20. narrat, Dianam Eucleam aris et signis positis colebant: quod etiam Sophocles significat, cum in Oedipode Tyranno v. 161. Dianam invocat *Ἄρτεμιν, ἃ κυκλόεντ' ἀγορᾶς θρόνον εὐκλέα θάσσει*, ubi recte Scholiasta monuit: *Εὔκλεια Ἄρτεμις οὕτως παρὰ Βοιωτοῖς τιμᾶται.* Quem autem Pindarus dicit umbilicum urbis thura redolentem, varie interpretari possis, cum in aliis oppidis alia loca et aedificia umbilici nomine dicta sint. Nec displicet per se ea opinio, qua tholus pro eo umbilico habetur, aedificium rotundum in foro situm et publicis prytanum sacris destinatum. Verumtamen nec tholum, demonstrari potest, omnium Olympiorum deorum sacris fuisse celebratum, et vero aram XII deorum urbis et terrae suae umbilicum Athenienses vel propter illam viarum rationem, quem ostendimus, appellare poterant. Denique etiam alia habemus indicia, ex quibus colligi possit, non exiguam Dionysiorum solennium partem ad cultum XII deorum in foro pertinuisse.

Duo autem ejus rei habemus testimonia, exacte inter se commitenda, alterum Xenophontis de officiis magistri equitum, 3, 2.: *καὶ ἐν τοῖς Διονυσίοις δὲ οἱ χοροὶ προςεπιχαρίζονται ἄλλοις τε θεοῖς καὶ τοῖς δώδεκα χορεύοντες*, alterum Clearchi apud Athenaeum VII. p. 275 B.: *ἡ τῶν ῥαψῳδῶν (ἑορτὴ), ἣν ἦγον κατὰ τὴν τῶν Διονυσίων, ἐν ᾗ παριόντες ἕκαστοι* (scribe *ἑκάστῳ* vel *ἑκάστοις* cum epitome) *τῶν θεῶν οἷον τιμὴν ἀπετέλουν τὴν ῥαψῳδίαν.* Iam liquet, cum Dionysiis conjunctos fuisse et chororum et rhapsodorum cantus, quibus dii in foro Atheniensi culti, imprimis duodecim illi, celebrarentur, et huic eorum sollennium parti etiam Pindari illum dithyrambum destinatum fuisse. Quid quod etiam scenicos ludos olim ab Atheniensibus, antequam theatrum lapidibus extructum haberent, e ligneis tabulatis non in Lenaeo, sed in foro, spectatos esse, ibique populum quandam arborem fuisse, ex qua, qui in tabulatis sedem non

invenissent, spectare solerent, antiqui tradunt grammatici, quorum verba cum plena apposuerit Th. C. G. Schneiderus in libro „*Das Attische Theaterwesen*“ p. 60—63., et diligenter de iis disputaverit Theod. Bergk in Schilleri Andocide p. 123. (probo maxime, quae dixit p. 124.) et de reliquiis comoediae Atticae p. 262 seq., ea hic repetere non opus est.

6. Non alienum autem erit a nostro instituto, paucis in caussas et rationes inquirere, quamobrem magna Dionysia in foro magis, aut certe non minus, quam in Lenaeo, acta sint. Dionysiorum magnorum origo ducebatur a Pegaso Eleutherensi, qui ab Eleutheris, oppido in confiniis Atticae et Boeotiae sito, eo tempore, ut recte coniicitur, quo Eleutherae ad Atheniensium rempublicam accesserunt, vetus Liberi patris simulacrum ligneum Athenas detulit novaque Bacchi Eleutherensis sacra apud Athenienses introduxit. V. Pausan. I, 2, 4. 38, 8. Schol. in Aristoph. Acharn. 242. Haec enim nova sacra a Pegaso inducta ad magna Dionysia spectare, cum Kanngiesserus in libro de scena comica p. 212. coniectasset, idque alii VV. DD. assensu suo comprobassent, Lobeckius autem in Aglaophamo p. 661. in dubitationem vocasset, nunc licebit certis confirmare argumentis. Constat enim quasi in memoriam illius Bacchi migrationis Eleutherense simulacrum quotannis in sacellum, quod in exteriori Ceramico, id est in extrema via, qua Eleutheris Athenas ibant, ei extructum erat, transvectum esse (quod testatur Pausanias I, 29, 2.), nimirum ut inde alia pompa in urbem et Lenaeum, ubi Eleutherensi Baccho singularis aedis dedicata erat (v. Pausan. I, 20, 2. Clemens Alex. Protrept. p. 16. Sylb.), reportaretur. Hanc ipsam transvectionem cum Dionysiis coniunctam fuisse, ostendit Philostratus in Vitis sophistarum II, 1, 2. ubi Herodis munificentiam praedicat, quam demonstraverit, *ὁπότε ἥκοι Διονύσια καὶ κατίοι ἐς Ἀκαδημίαν τὸ τοῦ Διονύσου ἕδος, ἐν Κεραμεικῷ ποτίζων ἀστοὺς ὁμοίως καὶ ξένους, κατακειμένους ἐπὶ στιβάδων κιττοῦ.* Philostratum autem Dionysiorum nomine alia designasse sollennia, quam quae plene *Διονύσια τὰ κατ᾽ ἄστυ* appellabantur, ut per se improbabile est, ita etiam eo potest refelli, quod reliqua omnia sacra quae ab Atheniensibus Baccho celebrabantur, certis rationibus excludantur. Nam rustica Liberalia non possunt ad aedem trahi in ipsa urbe positam, neque ea

a Pegaso, sed ab Icario rege, qui multo antiquior esse fingitur (v. Pausan. I, 2, 4.), ducuntur; Anthesteria autem, Thucydides affirmat, antiquissima esse eorum sacrorum, quae in urbe Baccho agebantur; Lenaea denique non magis possunt immisceri, quod quae cum his conjuncta erat pompa, vel intra limites Lenaei delubri, qui satis ampli erant, continebatur, vel eos non multum egrediebatur: quamobrem ἡ ἐπὶ Ληναίῳ πομπή appellabatur, ut in lege apud Demosthenem in Midiam §. 4. p. 517.: quo nomine pompam, quae per totam urbem in Ceramicum duceretur, dici non potuisse, non est quod demonstremus. Contra Dionysiorum majorem magnam partem, intelleximus, in foro, quod in media fere via inter Lenaeum et exteriorem Ceramicum situm est, actam esse, ut cum his splendidam illam pompam (τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπή dicitur in lege apud Demosthenem in Mid. p. 517. cf. advers. Androtionem p. 614.) conjunctam fuisse iam apertum sit. Ac perspicitur ita clarissime, cur post haec Dionysia archonti ratio reddenda fuerit, signumne dei integrum et illaesum servasset, εἰ τὸ ἄγαλμα ἀλώβητον ἔσωσε (ut Ulpianus ait, in Demosth. in Mid. l. l.): scilicet, quod id signum in his sollennibus solis ex aede sua eximebatur, ut inde in Ceramicum, et nisi fallor in Lenaeum retro portaretur.

In hac igitur pompa, cum ea in Ceramicum tendens vel inde rediens in foro subsisteret chorosque ibi explicaret, carmina illa et epica et lyrica recitata ac cantata esse existimo, quibus omnes Olympii Dii salutarentur, in quibus carminibus etiam Pindarici dithyrambi prooemium est. Huius autem sollennis salutationis nescio quae fuerit caussa et significatio, nisi haec, ut Liber pater ita quodammodo in ordinem XII deorum reciperetur. Quae sententia eo mirifice adiuvatur, quod in via ab exteriori Ceramico in forum, de qua infra dicam, prope Bacchi delubrum porticus erat, figlinis signis exornata, quibus Amphictyo, Athenarum rex, repraesentabatur et Bacchum et caeteros deos epulis excipiens, quibus etiam Pegasus Eleutherensis aderat. V. Pausan. I, 2, 4. Amphictyonis autem persona cum ἀμφικτιονία, i. e. Atticorum ad unam sacrorum communitatem consociatio, declaretur: apparet, per Dionysia maiuscula, Pegaso auctore instituta, Bacchi sacra in hanc communitatem recepta et publica omnium Atticae incolarum sollennia facta esse, idque opere illo ficto

significari. Caeterum Amphictyo cum ob eam caussam Bacchi cultor factus esset, etiam propter beneficia a Baccho in eum collata, velut quod vinum merum aqua miscere ab illo didicerit, in fabulis Atticorum celebrari coeptus est. V. imprimis Philochor. apud Athen. II. p. 38 c. Boeckh. de Dionys. c. 25. p. 117 sqq.

7. Cum magnis Dionysiis ut magna Panathenaea apud Athenienses dignitate et splendore certabant: ita etiam horum sollennium pompa eadem via ab exteriori Ceramico in urbem et per forum ducebatur; quod eo meliori jure fie-i poterat, quod et in hoc exteriori Ceramico, in Academia, Minervae erat delubrum, ut in interiori et in arce. Hinc factum est, ut ea die, qua Hipparchus Pisistrati filius ab Harmodio et Aristogitone interfectus est, alter frater Hippias in exteriori Ceramico pompam Panathenaicam instrueret, dum ille cum alia eiusdem parte iam circa Leocorium versaretur, quod in foro (ut Demosthenes ait, in Cononem p. 258.) sive in medio Ceramico (Hesych., Harpocrat., Suidas v. *Λεωκόριον*) fuisse constat. V. de ea pompa Thucydid. I, 20. VI, 57. Leocorion, celebre Athenarum monimentum (v. Hegesias apud Strabonem IX. p. 396.), nota res est, nomen ducere a Lei cuiusdam filiabus, *Λεὼ κόραις*, quas Athenienses in magna quadam calamitate pro patria sese immolandas obtulisse narrabant. V. Aelian. V. H. XII, 28. Aristid. Panathen. I. p. 119. (206.) ed. Jebb. Cic. de N. D. III, 19, 16. et grammatici et paroemiographi multi, quorum testimonia maximam partem congessit Meursius in Ceramico gemino c. 17., Opp. T. I. p. 510. Id vero fabularum genus, de virginibus ultro gloriosam pro patria mortem oppetentibus cum nusquam alibi tantopere viguerit, quam Athenis, idem facile per lusum etymologicum novo invento augeri poterat: quod veriloquium fabulosum nisi grammaticos et veteres et recentiores elusisset, omnes puto *Λεωκόριον* dictum potius existimassent a *λεωκόροις* quibusdam, idque nomen a *λεῷ*, (quo vocabulo populus Athenienses sollenniter olim appellabatur, velut in his: *Ἀκούετε, λεῴ*) eadem ratione ductum esse, qua *νεωκόροι* et *ζάκοροι* formati sunt. Leocoros autem illos, si in re tam obscura veritatem coniecturis aucupari licet, magistratus quosdam fuisse existimaverim, qui populum in magnis comitiatibus sacrisve pompis congregatum lustrarent sacrificiisque quibusdam piacularibus purgarent.

Hactenus de Dionysiis et Panathenaeis: sed in universum iam observamus, fori Atheniensis eum fuisse situm, ut nullam pompam vel theoriam, ad illustrius aliquod Graeciae ipsiusve Atticae delubrum, aut Olympiam aut Pythonem aut in Isthmum aut Eleusinem, ex interiori urbe missam, non oportuerit per forum duci. Et eos quidem, qui Eleusine initiati essent, vel initiari vellent, per forum et Ceramicum eo tetendisse, ostendunt Hesych. v. *δι᾽ ἀγορᾶς* et Schol. in Aristoph. Ran. 397. 401.; de aliis autem pompis cf. Demosthen. adv. Philipp. I. p. 47. Omnino ab Atheniensibus temere factum esse negamus, quod eo tempore, quo ipsa urbs, *τὸ ἄστυ*, iis ferme regionibus continebatur, quae ab arce ad Ilissum et australem partem vergunt (v. Thucyd. II, 15.), forum non in meditullio interioris urbis, sed quasi in fronte et aditu urbis, occidentem et septentrionem versus, constituerunt. Id enim et sacris apparandis pompisque instruendis conducebat, et mercibus cum vicinis populis mutandis, cum qui proximarum terrarum fructus apportarent, eorum vendendorum opportunitatem statim in introitu urbis reperirent.

Pars tertia.

1840.

8. Erat Athenarum *ἀγορὰ* — pergimus enim in eodem argumento, quod in prioribus prolusionibus tractabamus — etiam *venalium rerum forum*, in quo omne genus mercium, earum maxime, quibus ad quotidianum victum opus esset, venibat: quod ut reipublicae legibus convenienter fieret, curabatur ab agoranomis. Constituta erat huic rei singularis area, quae vel a corona circumstantium, ut ait Harpocrat. v. *κύκλοι*, vel a forma structurae orbis sive *κύκλος* dicta est, quae est doctior sententia Scholiastae in Aristoph. Eqq. 137: *ὁ δὲ κύκλος Ἀθήνησίν ἐστι, καθάπερ μάκελλος* (vulgo scribitur *μάρκελλος*) *ἐκ τῆς κατασκευῆς τὴν προσηγορίαν λαβών.* V. etiam Pollux X, 2, 18. et cf. Casaub. in Theophrast. Charact. 2, p, 123. ed. Lugdun., Meurs. Ceram. gem. 46. p. 503., Meineke Menandri fragm. p. 69. Distributa erat in varias partes, secundum rerum venalium genera, *τἄλφιτα, τὸν τυρὸν,*

τὰ λάχανα, τὸν λιβανωτὸν, τὰ ἀρώματα, τὰ κρόμμυα, τοὔλαιον, τὰ μῆλα (v. Aristoph. Eqq. 677. 1009. Lysistr. 557. Lysias in Pancleon. 6. Theophrast. Char. 11. Pollux IX, 5, 47. X, 2, 18. cf. Leakius in Athenar. Topogr. p. 396. edit. German.; at ἡ ἀλφιτοπῶλις στοὰ non in foro, sed circa Piraeeum erat, v. Schol. Atristoph. Acharn. 553. [547]). Magnam aereae portionem occupasse credibile est τοὺς ἰχθύας, sive τοὔψον, sive τὴν ἰχθυοπῶλιν, helluonum quotidianam ambulationem (v. Aristoph. Vesp. 789. Schol. in Eqq. 137. Vitae X. Oratt. Hyperid. p. 272. ed. Tubing.); nec pro figlini Atheniensium operis celebritate ejus partis, quae ὁ κέραμος (Meineke Menandr. p. XVII.) vel αἱ χύτραι (Aristoph. Lysistr. 557.) dicebatur, exiguum poterat esse spatium. Erat etiam γυναικεία ἀγορὰ, muliebre forum, in quo minuta vasa et frivola multa utensilia venibant, v. Theophrast. Char. 2. Pollux X, 2, 18. Hesych. v. κύκλος etiam servos in ea fori parte veniisse narrat. Solas carnes e κύκλῳ exclusas fuisse docemur a Scholiasta Aristoph. Eqq. 137., quas in peculiari macello divenditas esse verisimile fit. Salsamenta (τὸ τάριχος), quibus Athenienses magis quam alii cuiquam cibo assueverant, pleraque ad portam venibant (Aristoph. Eqq. 1247.), nec tamen a foro exclusa erant (v. Vesp. 492.). Vinum venale fuisse ad portulam aliquam in Ceramico, Isaeus memorat de Philoctemonis heredit. §. 20.

Caeterum omnis mercatura, quae navibus exercebatur, a Graecis ἐμπορία appellata, ex urbe in emporium Piraeense ablegata erat, ubi omnium rerum ex peregrinis terris advectarum specimina in δείγματι exponebantur: verumtamen etiam eas res, quae in foro venibant, quotidianisque magis vitae necessitatibus subveniebant, non ab indigenis tantum, sed etiam peregrinis in forum Atheniense allatas esse, et per se intelligitur, et confirmatur ab Atticis scriptoribus, ut ab Aristophane in Pace 1004: videntur autem peregrini fori usum vectigali quodam soluto, redemisse (v. Boeckh. de oeconom. publ. Athen. III, 4.). Alia tamen res est τὸ ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐργάζεσθαι, in foro opus facere, quod ne quis peregrinus ibi faceret, olim Solo et post libertatem restitutam Aristophon interdixerunt (v. Demosth. in Eubul. 1308.): quos ab eo interdicto metoecos tamen exemisse, apparet, dummodo civitati vectigal, τὰ ξενικὰ, penderent. V. Demosthenes p. 1309. Hac appellatione, τῶν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐργαζομένων, multa continebantur

negotia et opificia, ut cauponum, *καπήλον*, qui cibaria cocta et ad vescendum parata vendebant, a quo hominum genere non differt Agoracritus Aristophanis, homo *ἐν ἀγορᾷ τεθραμμένος* (Eqq. 181. 292. 636.), coquorum, quorum certa in foro statio erat (Meineke. in Menandr. p. XVII), taeniopolidum (v. Demosthene p. 1308.), coniunctarumque cum illis stephanepolidum, quae in ipso foro coronas, quae poscebantur, nectere solebant (Aristoph. Thesmophor. 458.), qualis illa Glycera fuit Pausiae tabula nobilitata, tonsorum aliorumque multorum sellulariorum opificum, quorum opera et ministeria ab hominibus in foro ambulantibus maxime requiri solebant. Nec ipsa prostibula ex eo numero, *τῶν ἐν ἀγορᾷ ἐργαζομένων*, exemerim, quae in Ceramico maxime corporis quaestum exercuisse grammatici saepe memorant. V. Schol. Aristoph. Eqq. 782. (769.), Hesych. v. *Κεραμεικός*, Suidas v. *Κεραμεικόν*, p. 215. ed. Bernhardy, Photius aliique. Horum hominum turbae cum publica aedificia, ubi versarentur et merces vel operas suas venderent (*πωλητήρια*), non essent extructa, quod ut fieret civibus suis Xenophon suasit, de vectigal. 3, 13: tabernae ad eum usum cratesve ex tempore parabantur. Ac tabernas quidem Pnyci vicinas significare videtur Aristophanes in Thesmophor. 688: *τὴν Πνύκα πᾶσαν καὶ τὰς σκηνὰς καὶ τὰς διόδους διαθρῆσαι*, nisi quis forte *σκηνὰς* ad tentoria illa referre malit, in quibus Scythae excubabant, de quibus infra dicetur. Quantopere autem his tabernis cratibusve obstructum fuerit forum et impeditus aditus ad Comitium, intelligitur ex iis, quae Demosthenes praeclaro illo loco orationis de corona p. 284. §. 169. post Elateam a Philippo occupatam Athenis facta esse narrat, prytanis statim opifices illos sellularios e tabernis per forum exegisse et crates incendisse; postridie autem populum totum in Pnyce jam congregatum fuisse, antequam senatus in curia de imminenti discrimine deliberasset. Crates eas (*γέρρα* ait Demosthenes) Harpocratio quidem v. *γέρρα* tabernis obtentas fuisse putat et ob eam caussam crematas esse, ne populus cira res venales in foro subsisteret et moraretur (quocirca alias solebant res venales a foro tolli, v. Schol. in Acharn. 22.): credibilius tamen mihi videtur, crates a tabernis diversas et has magis opificiis, illas quotidianis mercibus continendis et proponendis destinatas fuisse, combustasque eas esse iccirco, ne magna civium multitudo, quam in comitium postridie affore

sperabatur, in adeunda Pnyce iis praepediretur. V. etiam quae congessit Taylor. ad orat. in Neaer., T. V. Schaeferiani apparatus p. 577 sqq.

9. Tot rebus cum unum forum jam vix sufficeret, iis maxime temporibus, quibus Athenae et incolarum multitudine et commerciorumfrequentia mirum quantum effloru erant, id est a Themistocle inde: Athenis, ut Romae aliisque in urbibus factum est, alterum forum constitutum esse, minime incredibile est. Eiusque rei testem nobis habere videmur luculentum, Apollodorum apud Harpocrationem et Suidam s. *πάνδημος Ἀφροδίτη* (Apollodori fragm. p. 395. ed. Heyne): *Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ θεῶν πάνδημόν φησιν Ἀθήνησι κληθῆναι τὴν ἀφιδρυθεῖσαν περὶ τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν διὰ τὸ ἐνταῦθα πάντα τὸν δῆμον συνάγεσθαι τὸ παλαιὸν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἃς ἐκάλουν ἀγοράς.* Qui quod dicit, eo loco, quo Venus Pandemus colebatur, in antiquo foro, olim omnem populum ad comitia convenisse, favet aperte iis quae supra dixi, ipsam *ἀγορὰν* olim comitiorum fuisse locum. Delubrum autem Veneris Pandemi, quod Apollodorus significavit, Pausanias describit I, 22, 1 — 3. Erat id templum in via a theatro ad propylaea arcis, inter Themidis aedem et Terrae *Κουροτρόφου* Cererisque *Χλόης* sacellum, quod ei arcis angulo, qui a propylaeis proximus est, subiectum fuisse constat. Prope erat Hippolyti sepulcrum, unde eadem Venus etiam Hippolytia dicta est, *πέτραν παρ' αὐτῆς Παλλάδος* culta, et Euripides ait. V. Hippolyt. v. 30. cum Scholiis et Boeckh. in Corp. Inscr. Graec. ad n. 481. p. 470., atque Leakius in Athenarum topograph. p. 232. ed. Germ. Hinc colligitur, illud ipsum forum, quod propylaeis subiectum fuisse ostendimus, vetus Athenarum forum fuisse. Video quidem, Rossium, archaeologum Athenarum situs peritissimum, in libello de Theseo p. 16. dubitare, an Pausaniae Pandemus Venus diversa sit ab ea, quam Apollodorus eo nomine appellet, eam ob caussam, quod illa a Phaedra Hippolyti amore correpta, haec a Solone primum culta esse dicatur. Sed in tanta fabularum de eiusdem sacri origine varietate, quanta saepe apud Graecos observatur, hoc minus offendit. Gravius est, quod adiicit, ab illa acropoleos parte, in qua ea Veneris aedis a plerisque topographis collocatur, conspici non posse Troezenem, quam ab ea aede conspectam esse narrat Euripides, propter obiacentem Musei collem, atque ob eam caussam Hippolytiam

Venerem in australi arcis latere, longius a fori situ, collocandam esse. Verum tamen, cum Rossius ipsam tantum Troezenem illinc conspici posse neget, Euripides autem, princeps eius rei auctor, agrum Troezenium, qui aliquantum ultra urbis situm protenditur, ex ea aede cerni (*κατόψιον γῆς τῆςδε ναὸν Κύπριδος ἐγκαθείσατο*): Leakii rationes, alioquin inter se optime congruentes, illis argumentis turbatas et refutatas esse nondum liquet, sed interim cum docto Britanno contenderim, antiquum illud quod Apollodorus dicit forum ad propylaea, et paulo ulterius fortasse, pertinuisse.

10. In una tamen re illae rationes laborare videntur, quod nusquam adhuc in veteribus scriptoribus nomen novi fori, *νέας ἀγορᾶς*, repertum est. Nihilosecius perinde esse, omnes facile fatebuntur, si novum forum, ac si forum aliquod a scriptore designatum esse ostenditur, quod a vetere et celebrato illo differat, et recentioribus temporibus *κατ' ἐξοχὴν* forum dictum sit. Idque fieri posse, persuasi mihi, postquam appellationum fori et Ceramici ratio diligenter definita fuerit. *Ceramicum*, constat, pagum sive *δῆμον* fuisse Ceramensium, *τῶν Κεραμέων*. *Δῆμος* autem et portionem quandam agri Attici et vicum significat in ea situm. Ac Ceramicus distinguebatur exterior et interior. Hos duos Ceramicos quidam habere videntur pro duobus vicis, inter se cognominibus, altero intra muros sito, altero extra. Non recte tamen, cum alter Ceramicus alterius fines attigerit,ita ut uterque coniunctus unam Attici territorii portionem efficeret, nulla alia re disiunctam, nisi quod alter Ceramicus intra moenia urbis comprehensus, muroque ab altero disseptus erat. Sicut enim interior Ceramicus a Dipylo versus interiorem urbem extendebatur, ut Plutarchus ait in Sulla 14: *πάντα τὸν ἐντὸς τοῦ Διπύλου Κεραμεικόν*, cf. Lucian. dial. mort. 4, 3. Scytha 3: ita qui Dipylo exierant, statim in exteriori Ceramico versabantur. Nam publica sepulcra, quae ad viam a Dipylo in Academiam (*κατὰ τὴν ὁδὸν ἐς Ἀκαδημίαν*, Pausan. I, 29, 2.), dextra laevaque (*ἔνθεν καὶ ἔνθεν*, Schol. in Aristoph. Eqq. 782 [769]), structa erant, in Ceramico, *ἐν τῷ Κεραμεικῷ*, fuisse, et Menecles Callistratusque, auctores topographiae Athenarum primarii, in Schol. Aristoph. Av. 395., et alii scriptores affirmant. Haec via, quae per exteriorem Ceramicum sex stadiorum spatio (v. Cicero de fin. V, 1.) ad Academiam usque porrigebatur, facile omnium extra urbem latissima et splendidissima erat: de qua re Livii verba, XXXI,

24, apponere etiam propter alias caussas utile videtur. *Ab Dipylo, ait, accessit Philippus; porta ea, velut in ore urbis posita, maior aliquanto patentiorque quam ceterae, est; et intra eam extraque latae sunt viae, ut et oppidani dirigere aciem a foro ad portam possent, et extra limes mille ferme passus, in Academiae gymnasium ferens, pediti equitique hostium liberum spatium praeberet.* Ferebat ea via, ut Livius ait, in Academiae gymnasium, sed nec Minervae delubrum, cui gymnasium illud adiunctum erat, poterat ab eadem via distare, cum Promethei ara in eo esset (v. Schol. in Sophocl. Oed. Col. 56.), a qua lampadephori versus urbem currere incipiebant (Pausan. I, 30, 2.), quae decursionis quin in lata illa via ad Dipylum institutae fuerint, dubitare non licet. V. etiam Aristophan. Ran. 1094. Hoc delubrum cum gymnasio non solum splendidissima, sed etiam maxima pars Ceramici fuisse videtur, ita ut plerumque, ubi Ceramicus exterior appellatur, Academia significetur, velut in iis quae de lampadedromiis *ἐν Κεραμεικῷ* narrantur (v. Aristoph. Ran. 129. cum Scholiis), atque Academia et Ceramicus *συνωνύμως* dicantur (v. Stephan. Byz. v. *Ἑκαδήμεια*, et Hesych. v. *Ἀκαδημία*): quanquam ad delubrum illud etiam alia et publica demotarum et privata aedificia (v. Plato in Parmenide p. 127.) adiecta fuisse consentaneum est. Sed haec multo minus illustria erant; nec Thucydidem, ubi dicit publica sepulcra esse versus pulcerrimum suburbium, *ἐπὶ τοῦ καλλίστου προαστείου*, alia significare eaque laude ornare puto aedificia, ac quae Academiae nomine comprehendi solebant..

Κεραμεικὸς autem cum adiectivum nomen sit derivatum a *Κεραμεύς* et ipsi incolae pagi *Κεραμεῖς* dicti sint, ita puta *Γύλων ἐκ Κεραμέων*: apparet, totum hunc pagum sive populum appellatum esse a figulis, non quo omnes eius cives unquam severa lege coactos esse putem, ut figulinam artem a patribus ad filios traditam exercerent, sed quia et consuetudo et loci commoditas et artis societas permultum olim faciebant, ad certa opificia certis in gentibus et locis stabilienda. Nam quae Plinius N. H. XXXV, 12, 45. §. 155. narrat: *Fecit et Chalcosthenes cruda opera Athenis, qui locus ab officina eius Ceramicos appellatur*, ea ita invertere licebit, ut Chalcostenes unus ex illis figulis, qui antiquitus in Ceramico consederant, habeatur, qui arte a vasorum fabricatione ad plastica artificia translata inter collegas suos primus inclarue-

rit. Magna enim harum figulinarum antiquitus ipsis Deorum sacris (in quibus antiquissimorum temporum memoria superesse solet) demonstratur. Ac figuli quidem omnium deorum maxime Vulcanum, ignis praesidem quo vasa coquebantur, et Minervam, quae primum figlinum finxisse dicebatur, sanctissime colebant: hinc factum, ut iidem dii et in exteriori et interiori Ceramico sacra haberent coniuncta, quae non dubito quin a sacris in arce factis, aliique hominum generi destinatis cf. Plato in Critia p. 112.), olim fuerint diversissima. In exteriori Ceramico non exiguum erat τέμενος, quod cum gymnasio coniunctum Academiam vocabant, cum aede Minervae et Vulcano et, qui et ipse inter praestites artis figulinae censebatur, Prometheo dicata, eiusdemque Promethei ara sub divo, unde lampadedromorum decursiones incipiebant. Id efficitur coniunctis testimoniis Pausaniae I, 30, 2. et Scholiorum in Sophocl. Oed. Col. 56. cf. Welcker. de Aeschyli trilogia p. 120. Ad interiorem autem Ceramicum Vulcanal erat, aedis Vulcano proprie dedicata, sed ita tamen, ut etiam hic Minerva eius contubernio, ut σύνναος θεὸς, addita esset (v. Pausan. I, 14, 5.): cuius aedis situm mox paullo diligentius definiemus.

11. Hac urbis regione, qua uterque Ceramicus pertinebat, moenia olim multum fuisse contractiora, Thucydides ostendit, ubi antiquum asty ab arce versus austrum maxime structum fuisse narrat. Itaque cum Themistocles post Atticam a Persis receptam murorum, quos denuo extruxit, ambitum in omnes partes amplificaret, consentaneum est, id maxime versus aquilonem et Dipyli situm factum esse. Hinc intelligitur Athenarum urbem, quae in universum vicos non bene dispositos habebat (κακῶς ἐῤῥυμοτομημένην dicit Dicaearchus), splendidiorem illam speciem circa Dipylum, quam Livii verba supra apposita optime declarant, tum accepisse. Nam cum eae areae, in quibus cives ante bellum habitaverant, statim a dominis suis occuparentur et nova aedificia superstruerentur (cf. Thuc. I, 89.): illa tamen spatia, quae tum primum urbi addebantur, nihil prohibebat quominus ad certam normam per vias et plateas distinguerentur et majori cura excolerentur. Ac Cimonem maxime, qui Themistocli in his rebus administrandis successit, eas urbis partes exornasse Plutarchus significat, cum dicit, eum forum platanis consevisse, Academiamque aquis et umbrosis viis distinxisse et omnino curasse, ut Athenienses haberent, ubi commode et

liberaliter ambularent et otia, ut solebant, sermocinando terent. *Πρῶτος δὲ*, ait in Cimone 10, *ταῖς λεγομέναις ἐλευθερίοις καὶ γλαφυραῖς διατριβαῖς, αἳ μικρὸν ὕστερον ὑπερφυῶς ἠγαπήθησαν, ἐκαλλώπισε τὸ ἄστυ.* —

Postquam Ceramici ambitum, et quae eo nomine comprehendantur, pro hujus loci ratione satis, ut videtur, definivimus: iam de eo ejusdem appellationis significatu dicendum est, quo Ceramicus pro nobilissima interioris Ceramici parte, id est pro foro, dicitur. Et is quidem eius nominis usus quotidiana consuetudine ita invaluit, ut plerumque, ubi *ἐν Κεραμεικῷ* simpliciter dicitur, forum intelligendum sit. Ita tyrannicidarum statuas *ἐν Κεραμεικῷ* esse dicit Arrianus cum Pausania I, 8, 5, *ἐν ἀγορᾷ* Aristophanes et Aristoteles (v. supra §. 2.); Leocorium in foro Demosthenes, in medio Ceramico Grammatici (§. 6.); Metroum in foro Aeschines in Timarch. §. 60. 61, in Ceramico Pausan. I, 3, 4; Curiam in Ceramico idem Pausan. I, 3, 4, in foro Xenophon Hell. II, 4, 56, Lysias de bonis Aristoph. §. 55, Harpocratio v. *ὁ κάτωθεν νόμος;* statuam Lycurgi in Ceramico Pausan. I, 8, 3, auctor Vit. X. Orat. in Plutarchi Operibus p. 256. ed. Tubing., in foro plebiscitum apud eundem p. 279; Demosthenis statuam in foro plebiscitum apud eundem p. 275, in Ceramico Pausan. I, 8, 4; Cononis et Timothei statuas in foro Cornel. Nepos Timoth. 2; in Ceramico Pausan. I, 3. 1; sicut omnino statuae, quas singulorum civium honori in foro positas multi memorant, *οἱ ἐν Κεραμεικῷ ἀνδριάντες* dicuntur a Plutarcho de vitioso pudore 7.

12. Eandem Ceramici et fori homonymiam etiam in Vulcanali sive Hephaesteo observamus. Hanc eadem Pausanias *ὑπὲρ τὸν Κεραμεικὸν* esse dicit I, 14, 5, *πλησίον τῆς ἀγορᾶς* est Harpocrationi v. *Κολωνίτας* cum Suida. Et hac quidem parte Ceramicum attingebat Colonus, qui *ἀγοραῖος* dicebatur, ut distingueretur ab altero Colono *τῷ ἱππίῳ*, plane ut Ceramicus appellatione *τοῦ ἐντὸς* distinguebatur ab exteriori. Hunc Colonum Harpocratio, quem modo laudavimus, ita designat: *παρὰ τῷ Κολωνῷ, ὅς ἐστι πλησίον τῆς ἀγορᾶς, ἔνθα τὸ Ἡφαίστειον καὶ τὸ Εὐρυσάκειόν ἐστι.* Pollux VII, 29, 133 eum dicit esse *ἐν τῇ ἀγορᾷ παρὰ τὸ Εὐροσάκειον*, auctor argumenti Victoriani in Sophoclis Oedipum Colonensem *πρὸς τῷ Εὐρυσακείῳ.* Apparet hic definiri situm illius Coloni, in quo operae variorum generum mercede conduci

poterant, ubi *μισθωτήριον* erat (v. Hesych. et Photius v. *ὕφ' ἦλθες*). Hic quidem erat locus non admodum amplus, apertus, foro ita contiguus, ut illi quoque accenseri posset, unde nomen *τοῦ ἀγοραίου* et illa dubitatio, in foro fuerit an prope forum. Vulcanal autem et Eurysaceum, si ulla Harpocrationi fides est, non prope vel circa Colonum, sed cum eo coniuncta erant, et ita quidem ut Vulcanal ad Ceramicum conversum esset, Eurysaceum, de quo postea videbimus, contrariam regionem obtineret. Colonum autem non areae illius finibus fuisse coercitum, sed nomen, quod in illo maxime loco haesit, perinde ac Ceramici nomen in foro, latius potuisse, vel ex ipso Coloni nomine colligi potest. Id enim nomen aut suam et propriam significationem habet, aut communem cum Colono Hippio extra urbem sito. Ac propriam significationem ita tantum habere posset, si *Κολωνὸς* quidem sive collis hac in urbis parte esset, a quo vicus ille nomen duxisset. At enim vero nec praeter Areopagi collem et locum paullo editum, quem Theseum totum occupat, quisquam collis iis regionibus est, nec quivis collis Graece dicitur *Κολωνὸς*, sed tumulus quidam vel collis tumuli forma similis, paullo altior et a latiori fundo in cacumen aliquod fastigatus. Itaque alteram oportet amplecti sententiam, qua Coloni urbani nomen ab agresti ducitur: in quam et id concedere nos cogit, quod Colonum Agoraeum a Ceramico orientem versus sitam esse, Pausaniae itinere per urbem explorato apparet, Colonum Hippium autem, certissimum est, ad orientale latus Academiae et Ceramici exterioris fuisse.

Pars quarta.

1840.

13. Collytum conjunctnm fuisse cum Diomea (Steph. Byz. v. *Διόμεια*, Hesych. v. *Διομεῖς*), quem in pagum etiam Melitenses quidam sedes suas transtulerunt (Plutarch. de exilio 6). Diomeam cum Cynosarge gymnasio, quod cum illo populo eodem jure conjunctum erat, qua Academia cum Ceramico (v. Steph. Byz. v. *Κυνόσαργες*), ab urbe orientem versus sitam fuisse. Haec, quae singillatim percensui, si quis

forte in tabula Athenarum urbis agrique urbi proxime subiecti describere tentaverit, mox intelliget, se necessitate quadam compelli, ut regionum urbis situm ordini demorum extra urbem conformet. Nam qui anuli in hac duplici serie et catena desiderari videntur, velut quod certo scriptoris testimonio demonstrari nequit, Meliten extra urbem finitimam fuisse Colono: ii analogia reliquarum partium, maxime exemplo Ceramici, quod omnium clarissimum est, sufficienti cum probabilitate resarciuntur. Quae analogia quantum praeponderet tenui illi et fallaci veritatis speciei, quam qui criticam suam artem paullo ambitiosius vendidant, ex ambiguis singulorum locorum verbis extundere laborant, clarius intelligetur, postquam probabilitatis leges in historicis studiis attentius pensitatae erunt, quam a plerisque literatis, qui solis literis se mancipant, observari solent. Sed redeundum est in viam ab hac παρεκβάσει, quam extortam nobis esse fatemur a Car. Gu. Kruegero in quaestionibus de Thucydidis Vita p. 87 sqq. et maxime in epicrisi earum quaestionum p. 31.

14. In eo, quem aliquatenus iam designavimus, fori situ per temporum decursum a Cimone inde usque ad Antoninorum tempora aut non multum aut nihil esse mutatum, scriptorum, quorum testimonia attulimus, concordia ostendit. Nec dubium est, quin Pausanias fori speciem ab ea haud absimilem viderit, quam Aristophanes et Plato ante oculos habebant. Iam cum ad *Pausaniae fori Athenarum periegesin* examinandam nos convertamus, primum observanda est regula vel methodus, quam Pausanias in omni periegesi sequitur constantissime. Pausanias omnium locorum et monimentorum descriptionem annectit primario alicui itineri quod nullo spatio intermisso semper continuatur et in sex prioribus libris a Piraeeo Athenas, deinde per Megaridem, Argolidem, Laconicam, Messeniam, Eleam, Achaiam, Arcadiam, quasi Ariadnaeum aliquod filum deductum nunquam omittitur. Huic autem adiunguntur permulta diverticula sive secundaria itinera, quae omnia ita instituuntur, ut certo cuidam primarii itineris loco annectantur et inde eo usque continuentur, donec propositum locum attigerint: quo facto non, quo itinere periegeta ab illo termino in primarium ita redierit, describitur (quod a Pausania ne semel quidem factum esse non magis mirabile quam certum est), sed subito ad primarium iter recurritur, vel, si commodum visum fuerit, aliud diverticulum

ab eodem primarii itineris loco instituitur. Neque ulla in hoc periegeticae enarrationis artificio varietas deprehenditur in urbibus et in terris describendis. Ita, ut de Athenis dicamus, postquam Pausanias a Piraeeo in urbem ingressus est, recta via tendit in Ceramicum, ubi dicit in dextra esse regiam porticum, a qua progressus pleraque Ceramici aedificia et monumenta continuo ordine persequitur usque ad Harmodii et Aristogitonis statuas; hinc progreditur ad loca Ilisso et Callirrhoae vicina, quae cum australi fori parte platea quadam coniuncta fuisse ex ipso hoc periegeseos ordine colligi debebat. Haec igitur postquam etiam ultra Ilissum persecutus est: repente reversus denuo incipit a Ceramico et regia porticu, et iam ab Hephaesteo, quod ultra Ceramicum et regiam porticum (*ὑπὲρ τὸν Κεραμεικὸν καὶ στοὰν τὴν καλουμένην βασίλειον*) fuisse dicit, primarium iter ulterius per Athenarum urbem dirigit. Et hoc quidem apertum est ea loca, quae ab arce versus aquilonem sita erant, comprehendere, postea autem ad eum arcis angulum, qui orienti soli obversus est, ubi prytaneum situm erat, scindi iterum in duo itinera.

Ac prius quidem a prytaneo in inferiora urbis loca, ubi Olympium erat, descendit et suburbia quoque orientem versus sita complectitur. Alterum, quod primarium dixeris, quia longius continuatur, ab eodem prytaneo occidentem versus arcis australe latus sequitur et sic, postquam ad propylaea pervenit, inde in acropolin ascendit. Post arcem Pausanias ea, quae propylaeis proxime subiecta erant, Paneum Areopagum et Furiarum delubrum describit, ut appareat, haec neque ab eo in illa via, qua per Ceramicum ad Ilissum usque pervenerat et propylaea ad sinistram sita transierat, neque in ea, qua ab australi inde parte ad propylaea accesserat, tangi potuisse. Nam in universum, qui singulare illud artificium, quo Pausanias totam suam periegesin composuit, consideraverit, affirmare non dubitabit, in itineribus eius per Athenas factis neque ullam illustriorem partem plane esse omissam, neque eadem urbis loca bis ab eo esse peragrata. Post Areopagum filum illud, quo urbis periegesis deducta est, abrumpitur, et, postquam praecipui vici in agro Attico siti per diverticulum visitati sunt, primarium iter universae periegeseos a Dipylo resumitur et per Eleusinem Megara et in Peloponnesum deducitur. —

15. Iam, ut Pausaniae periegesis per Athenarum urbem

ad locorum quae etiamnunc supersunt, situm adaptari possit, ante omnia opus est, ut certum aliquod eius principium ponatur, in qua quidem re ut summa est topographorum discrepantia ita gravissimarum quaestionum inde pendet solutio. Dico *Pausaniae in urbem introitum.*

Iam Pausaniam apparet bis ad urbem accessisse, prius a Phalarensi portu, I, 2, 1; hic Itoniam portam attingit, eaque, quae proxime ab illa orta erant, describit, ut intelligitur comparato Axiocho dialogo p. 364. e. et Plutarchi Theseo 27; hinc, ut assolet, non, qua via redierit, significat, sed denuo a Piraeeo egressus, alia via in urbem ascendit. Piraeeus autem cum ab urbe occidentem versus situs sit, omnes Pausaniam sumpserunt ab eadem coeli regione urbem adiisse, sed ita tamen, ut Piraicam portam, qua eum in urbem intrasse statuunt, iam magis magisque versus septentrionem et Dipylum traherent. Nam cum olim Pausaniae aditus ad urbem cum Piraica porta, recta linea a Piraeensis oppidi centro ad centrum urbis deducta, inter Museum et Pnycis collem poneretur (ita Barthelemyus in Anacharside et Hawkinsius in Walpolii Memor. p. 483, quos ante hos XX et quod excurrit annos secutus sum in Encyclopaedia Halensi v. Attica, nec nunc saepius considerato Plutarchi Theseo c. 27 Piraicam portam ab ea convalle avelli posse putaverim), mox Leakius eandem portam Pausaniaeque introitum in urbem inter Pnycis collem eumque, qui olim Lycabettus, nunc Nymphaeum dictus est, collocavit, et assentientem habuit Krusium in Hellade T. II, p. 101 sqq.: denique Rossius in libello gallice scripto: *le monument d'Eubulides,* iterum edito in Schornii Annalibus artium anni 1837 n. 93, Piraicas pylas etiam magis septentrionem versus ultra Nympharum illum collem promovit, ita ut iam a Dipylo haud longe distarent. Quasi vero necesse esset, peregrinos, qui ex portu urbem petebant, omnibus temporibus recto limite in eam esse introductos, neque ut nunc fit, praesertim in urbibus regiis et ambitiosius ornatis, advenientes circumacto itinere potuissent ad frontem urbis, qua latissimae et splendidissimae patebant plateae, tanquam haec omnium proxima esset via perduci. Id ipsum vero, quod dixi factum esse Athenis, iis, quibus Pausanias eas vidit, temporibus, Lucianus, Pausaniae suppar, dubitare non sinit. Lucianus enim eos, quos in navigio sive votis colloquentes introduxit, narrat, postquam in Piraeeo

advenientes naves contemplati essent, per Dipylum reversos esse in urbem. *Ἐγὼ δὲ*, ait c. 17, *ὀλίγον ὅσον ἡμιστάδιον τὸ πρὸ Διπύλου ἐπιλήψομαι τῇ εὐχῇ* cf. c. 46. Nec fingere licet, illos homines proprio quodam animi motu hanc viam, qua in urbem redirent, sibi elegisse; nam eandem c. 14 *τὴν ἐκ Πειραιῶς ἐς τὸ ἄστυ* appellat, et in ea triginta a Piraeeo stadiis olearam arbustum cum sedilibus commemorat, c. 35, peregrinantium ambulantiumque gratia exstructis, quae frequentem et celebrem eam viam esse ostendunt. Neque aliam viam significat Lucian. in Scytha 3, Iove Tragoedo 15, dial. meretr. IV, 2, 3. Itaque Athenienses licet olim, cum longi muri urbem cum Piraeeo conjungerent, singulari porta, quae intra hos longos muros fuisse videtur, in eo itinere uterentur, tum quidem via paulo magis ad septentrionem flexa per Dipylum urbem adire solebant; quod fortasse ab eo tempore fieri coepit, quo Thriasiae pylae splendidius ornatae et Dipyli nomine distinctae sunt, post Periclis demum tempora, si fides Plutarcho, qui in Pericle 30 Anthemocritum sepultum esse dicit *παρὰ τὰς Θριασίας πύλας, αἳ νῦν Δίπυλον ὀνομάζονται.* Cf. Polyb. XVI, 25, 4. 7.

16. Pausaniam vero in itinere suo Piraeensi nullum alium morem, ac qui tum invaluerat, secutum esse, ipsa, quae indicat, monimenta confirmant. Primum in urbem ingresso offert se ei Pompeum, aedificium, ut ait, apparatum continens pomparum cum solennibus sacris, aut annuis, aut maiora per intervalla temporis celebratis coniunctarum. Id nescio ubi commodius strui potuerit, quam in ore eius viae, qua maximas quasque pompas deductas esse ostendimus. Ab ipsa autem porta usque ad Ceramicum (i. e. forum) continuas narrat porrigi porticus, innumeris statuis ornatas: quales porticus non nisi in splendidissima urbis parte fuisse consentaneum est. Neque eas porticus facile crediderim in aliis praeterquam planis et patentibus urbis locis sitas fuisse, eam potissimum, quae non plateae solum latus ornabat, sed etiam templa et gymnasium continebat, consimili, ut videtur, structura, ac quae Romae in porticu Metelli, quae postea Octaviae dicta est, observatur *Ἡ δὲ ἑτέρα τῶν στοῶν ἔχει μὲν ἱερὰ θεῶν, ἔχει δὲ γυμνάσιον Ἑρμοῦ καλούμενον, ἔστι δὲ ἐν αὐτῇ καὶ Πολυτίωνος οἰκία,* dicit Pausanias I, 2, 7. Apparet, haec omnia aedificia in ea porticu fuisse inclusa, ut Iovis et Iunonis templa in Octaviae porticibus v. Plin. N. H. XXXVI, 5, 4. Ac Poly-

tionis domus inter lautissimas erat Athenarum, v. Meurs. Athen. Attic. I. 3. Opp. T. I. p. 115. Gymnasium autem cum vix sine stadio esse possit, (cf. Vitruv. V. 11.), intelligitur, quantus huius porticus ambitus fuerit, etiamsi stadii non integram fuisse sexcentorum pedum longitudinem concedamus. Accedit, quod Pausanias, nisi per Dipylum in urbem ingressus est, splendidissimam urbis partem silentio praetermisit, quae ignota illi esse non poterat, praesertim cum per Dipylum et Academiam et Eleusinem petierit. Denique Ceramicensis viae quam imaginem proponit Himerius, ubi de navi in Panathenaica pompa per urbem deducta dicit: *Εὐθὺς ἐκ πυλῶν διὰ μέσου τοῦ δρόμου κομίζεται, ὃς εὐθυτενὴς καὶ λεῖος καταβαίνων ἄνωθεν σχίζει τὰς ἑκατέρωθεν αὐτῷ παρατεταμένας στοάς, ἐφ᾽ ὧν ἀγοράζουσιν Ἀθηναῖοί τε καὶ οἱ λοιποί*, in Orat. III, 12, p. 146.: eam plateae, qua Pausanias in urbem ingressus est, ad amussim congruere, haud facile quisquam negabit.

Hanc sententiam, cuius caput iam ante aliquot annos in annot. ad Leakium p. 458, sed dubitans tum reique incertus proposueram, certissimo nunc documento confirmatam esse puto, ex quo Eubulidis monumentum a Pausania I, 2, 4. commemoratum denuo cognitum est. Pausanias enim narrat, in eadem stoa, quae gymnasium comprehendebat, etiam Polytionis domum, famosam olim profanatis Cereris initiis, postea Baccho dedicatam, inesse; ibidemque (ante eam domum, puto, vel in peristylio eiusdem) Minervae, Iovis, Mnemosynes, Musarum, Apollinis signa esse ab Eubulide et facta et dedicata. Iam a. 1837 Martio mense inter templum Thesei et eam portam, qua Turcarum sub imperio in Moream peninsulam ibant, circa muros, quibus tum urbs circumdata erat, nunc destructos, magna quaedam basis e porinis saxis composita reperta est, cuius in eo latere, quod solum rudere egesto conspici poterat, literae scriptae supererant: *ΧΕΙΡΟΣ ΚΡΩΠΙΔΗΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ*, quas Rossius comparato titulo in Corp. Inscr. Graec. 666. Addend. p. 916 aliisque indiciis certissima ratione efficit ita esse restituendos: *ΕΥΒΟΥΛΙΔΗΣ ΕΥΧΕΙΡΟΣ ΚΡΩΠΙΔΗΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ*. Iam cum apertum sit, magnam hanc basin eandem esse, in qua Eubulides tredecim illa deorum musicorum signa posuerit et dedicaverit (nam dedicationis titulo, *Εὐβουλίδης ἀνέθηκεν*, in contrario eiusdem baseos latere spatium relictum erat sat amplum): colligitur inde, eum locum, ubi id monimentum repertum est, qui ferme medius inter Dipylum et

Theseum est, incidere in magnam illam porticum, quam facile sexcentorum pedum quadratum occupasse crediderim. Haec autem porticus cum sinistra Ceramicensis plateae patentiori in campo porrigeretur, nam dextra propter acclinitatem soli tam amplae structurae area deesse videtur: efficitur inde, ipsam plateam aliquanto spatio interiecto in dextram partem ab Eubulidis monimento fuisse dissitam, quod, cum ea via recto limite a Dipylo ad forum deducta fuerit, ad locorum situm, quem ostendimus, plane congruere videtur.

Quod autem ei sententiae, quam professus sum, opponi potest, et iam oppositum est a Rossio (ap. Schornium p. 391), Pausaniam, si per Dipylum in urbem intrasset ac Ceramicum pede primum in urbe posito statim attigisset, non tum demum Ceramici mentionem iniecturum fuisse, ubi forum ingrederetur: id plane expediri arbitror eo nominis usu, quem modo (§. 11.) observavi. Nam cum forum Ceramici pars esset illustrissima, ita ei nomen totius regionis adhaesit, ut Pausaniae tempore iam Ceramicus pro foro diceretur. Ipse Pausanias hunc suum vocabuli usum perspicuo exemplo confirmat, cum I, 20. 4. scripserit: *Σύλλας δὲ ὡς ἐς τὴν Ἀττικὴν ἐπανῆλθε, τοὺς ἐναντιωθέντας Ἀθηναίους καθείρξας ἐς τὸν Κεραμεικόν, τὸν λαχόντα σφῶν ἐκ δεκάδος ἑκάστης ἐκέλευσεν ἄγεσθαι τὴν ἐπὶ θανάτῳ.* Hic enim Ceramicum liquet non totam significare urbis regionem, cuius in aedificiis vicisque et angiportibus hostilis illa Atheniensium factio includi non poterat, sed solum forum, cuius patentibus locis cives illos coactos et undique militum corona circumdatos esse nihil est quod credere prohibeat. At video etiam Anthemocriti statuam illi sententiae a Leakio in libello on certain disputed positions in the topography of Athens inscripto p. 24. esse obiectam a Pausania non in ingrediendo urbem, sed tum demum memoratam, ubi Eleusinem abit, 36, 3. quamquam eam prope a Thriasia porta sive Dipylo afuisse constata (*παρὰ ταῖς Θριασίαις πύλαις* Harpocratio v. *Ἀνθεμόκριτος*). Quo autem iure Leakius hacpropter negat, Pausaniam per Dipylum ad urbem accessisse: eodem, nisi fallor, negare poterat, periegetam per Dipylum in Academiam ex urbe esse egressum, nam etiam in hoc via describenda (I, 29, 2.) Anthemocriti statuae non meminit. Itaque intelligitur, statim a Dipylo plures vias in diversum abiisse, aliam in Piraeense emporium, aliam Eleusinem, aliam in Ceramicum exteriorem,

easque ita inter se distinctas, ut monimentum, quod ad principium Eleusiniae viae esset, a Piraeensi aliquantulo intervallo distaret. Et Eleusiniam quidem et Megarensem viam iam Periclis tempore per Dipylum sive Thriasiam portam in urbem fuisse deductam, Anthemocriti signum et quae de eius fato narrant scriptores ostendere videntur: quamquam eam ob causam sacram et Thriasiam portam eandem habendam esse non magis concesserim, quam Piraeensem et Thriasiam, Plutarchus certe, *ἱερὰν πύλην* et *Δίπυλον* si distinguere noluisset, pessime scripsisset, quae scripsit in Sulla **14**: nec, quod Dipylum quattuor iam nominibus appellatur, *Θριάσιαι, Κεραμεικαὶ, Δημιάδες πύλαι* et *Δίπυλον*, eo faciliores, sed difficiliores esse debemus in quinto nomine ad eandem portam referendo.

17. Hactenus de Pausaniae in urbem introitu et ad forum accessu: quae quaestio merito quasi caput topographiae Athenarum habetur. Hinc autem facilis transitus est ad solvendam illam alteram, quam supra iam proposuimus, sed non absolvimus, de veteri et novo foro. Et hanc puto rectissime ita tractari, ut primum quaeramus, quae loca Pausanias appellet Ceramicum, quae *ἀγοράν*. Ac Pausanias quidem magna constantia omnia haec aedificia, porticum regiam, XII deorum porticum, Metroum, Curiam, Tholum, eponymorum statuas, Ceramico assignat, non solum in ipsa locorum periegesi I, 3 — 8., collato I, 14, 5., sed etiam in aliis inferioribus operis sui partibus, ubi ad monimenta illa respicit, ut VIII, 9, 4. verbis *ἡ ἐν Κεραμεικῷ γραφὴ* tabulas in XII deorum porticu pictas designat. Neque in omnibus his rebus semel fori meminit, quanquam aliis scriptoribus collatis manifestum sit, vetustissimam fori partem ab eo describi. Contra idem Pausanias, postquam ultra Ceramicum, ut ait, et regiam porticum Vulcani Venerisque Caelaestis aedes adiit, ad Poecilen porticum tendens primum Mercurium Agoraeum memorat (qui etiam Luciano in Iov. trag. 33. *ὁ ἀγυραῖος, ὁ παρὰ τὴν Ποικίλην*, audit): deinde a Poecile reversus *ἀγορὰν* disertis verbis describit, sed paucissimis. Nam praeter Misericordiae aram nihil in ea esse dicit, quod omnibus memorabile esse videatur, sive, ut ipsa eius verba apponam: *Ἀθηναίοις δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ἄλλα ἐστὶν οὐκ ἐς ἅπαντας ἐπίσημα καὶ Ἐλέου βωμός*, I, 17, 1. (de cuius arae nobilitate multa contulit Meursius Ceram. gemin. c. 16. p. 507): quibus aperte

significat, reliqua, quae in eo foro conspiciantur Atheniensibus quidem utilia esse, sed inter Graecos nullam habere famam. Hinc ad gymnasium Ptolemaei transit, a foro ut ait, non multum distans (I, 17, 2.), inde ad Thesei delubrum, quod prope ab illo gymnasio abesse ait: a quo diverticulo reversus Anaceum et Aglaurium visit, quae ad boreale arcis latus sita fuisse constat. Itaque Pausanias quam *ἀγορὰν* dicit, ea et a Ceramico seiuncta erat et peculiare aliquod efficiebat forum, circumdatum porticibus aliisve publicis aedificiis, in quibus Andronici Cyrrhestae horologium, marmoream turrim octogonon fuisse satis credibile est, cum id nunquam aptius quam in foro collocari potuerit. Neque amplius quaerendum videtur illud forum, quod cum a vetere distingueretur, recte novum dicitur, sed cum doctis Britannis, Hawkinsio, Leakio, exclamandum: Hoc est: *εὑρήκαμεν*! Sed restant quaedam dubitationes vel cautiones. Primum quidem, quod novum hoc forum satis antiquum fuisse deprehenditur: usum tamen eius nominis excusabit Varro, qui de L. L. VI, §. 59. de ea Romani fori parte, quae sub Novis dicebatur, scripsit: quod vocabulum ei pervetustum, ut Novae Viae, quae via iam diu vetus. Nam Agoraeum Mercurium, quem accepimus a novem archontibus tum positum esse, cum Piraeenses muros ii struere coepissent, iam Aristophanes in Equitibus 297. eo nomine appellat, ubi Agoracritus, homo in foro inter venales merces nutritus, per hunc Mercurium iurat; ipsamque Poecilen ad *ἀγορὰν* fuisse dicit Aeschines in Ctesiph. §. 186. Etiam Solonis statuam, quam ante Poecilen vidit Pausanias I, 16, 1. *ἐν ἀγορᾷ* stetisse docent Demosth. in Aristogit. Or. II. p. 807. et Aelian. V. H. VIII, 16. Quid quod Melanthius, poëta Cimonis fere aequalis, Polygnotum, quod Poecilen gratis pictura ornaverit, laudans dicit:

Αὑτοῦ γὰρ δαπάναισι θεῶν ναοὺς ἀγοράν τε
Κεκροπίαν κόσμησ' ἡμιθέων ἀρεταῖς,

apud Plutarch. Cimon. 4. Cf. Schneidewin. in delect. poesis elegiacae p. 130. Qua in re non tam mirabile est, quod eius fori hi meminerunt scriptores, quam quod id simpliciter forum dicunt et ita de eo loquuntur, tanquam unum tantum fuerit Athenarum forum. V. inprimis Aesch. in Ctesiph. §. 186: *Προςέλθετε δὴ τῇ διανοίᾳ καὶ εἰς τὴν στοὰν τὴν ποικίλην· ἁπάντων γὰρ ὑμῖν τῶν καλῶν ἔργων τὰ ὑπομνήματα ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀνάκειται.* Verum et hoc iustam habet excusationem.

Etenim regia porticus, quam in Ceramico fuisse constat, cum Poecile coniuncta erat platea quadam quae ab *Hermis* dicebatur. De his Menecles sive Callistratus apud Harpocrationem v. Ἑρμαῖ: *ἀπὸ γὰρ τῆς Ποικίλης καὶ τῆς τοῦ βασιλέως στοᾶς εἰσὶν οἱ Ἑρμαῖ καλούμενοι. διὰ γὰρ τὸ πολλοὺς κεῖσθαι καὶ ὑπὸ ἰδιωτῶν καὶ ἀρχόντων ταύτην τὴν προσηγορίαν εἰληφέναι συμβέβηκεν.* Hos Hermas eo fere in fori loco fuisse apparet, a quo Pausanias Ceramici periegesin incepit et per quem a Ceramico in id forum, quod proprie *ἀγορὰν* dicit, transgressus est. Ab eodem loco Xenophon de officio mag. equ. 3, 2. suadet ut equites circuitum fori facere incipiant: *τὰς μὲν οὖν πομπάς*, ait, *οἴομαι ἂν καὶ τοῖς θεοῖς κεχαρισμενωτάτας καὶ τοῖς θεαταῖς εἶναι, εἰ. ὅσων ἱερὰ καὶ ἀγάλματα ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐστι, ταῦτα ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν Ἑρμῶν κύκλῳ περὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὰ ἱερὰ περιελαύνοιεν, τιμῶντες τοὺς θεούς. . . . ἐπειδὰν, δὲ πάλιν πρὸς τοῖς Ἑρμαῖς γένωνται περιεληλακότες, ἐντεῦθεν καλόν μοι δοκεῖ εἶναι κατὰ φυλὰς εἰς τάχος ἀνιέναι τοὺς ἵππους μέχρι τοῦ Ἐλευσινίου.* Ad eosdem Hermas in foro equitatus praefectos versari et Phidonem iuvenes in equitando instituere solitum esse, Mnesimachus ostendit in versibus lepidissimis ap. Athenaeum IX, p. 402. f. Nec absonum ab ea re est, quod Demetrius quidam traditur, cum equitatus magister esset, ad Hermas amicae suae Aristagorae tabulatum ad spectanda Panathenaea erexisse Hermis altius (vid. Athen. IV, p. 167 f.). Non diversam ab his Hermis, qui ad regiam porticum et poecilen pertinebant, porticum Hermarum fuisse, commemoratam ab Aeschine in Ctesiph. §. 183. conferendo cum Demosth. in Leptin. p. 491. Harpocratio in Ἑρμαῖ significat. Iam intelligitur, hanc Hermarum porticum et plateam quasi sinum veteris in Ceramico fori fuisse, quo id cum novo foro ita coniungeretur, ut utrumque unum forum efficere videretur. Hinc etiam Lucianus Poecilen pluribus locis ita cum Ceramico composuit, ut brevi transitu ab hoc ad illam perventum esse intelligatur. V. Piscat. 13. Iup. tragoed. 15. Icarom. 34. Quanquam Poecilen non Ceramico, sed Colono contiguam fuisse vel inde intelligitur quod, Hephaesteum, quo superato Pausanias ad Poecilen pervenit, Ceramico et Colono quasi pro termino erat, et confirmatur simplicissima Aristophanis illius versus de Metone: *ὃν εἶδεν Ἑλλὰς χὠ Κολωνός*, interpretatione, qua Metonem in Colono habitasse et *συνοικίαν* habuisse sumitur (v. Schol. in Aristoph. Aves. 998). Atqui Metonem

constat ad Poecilen aedes habuisse (v. Aelian. V. H. XIII, 11. cf. Plutarch. Nic. 13.), qua in regione urbis multae privatae aedes fuisse videntur (v. Lucian. dial. meretr. VIII, 2. cf. navig. 13.), quibus congruit etiam Aeschines, qui in Timarch. §. 125. τῆς ἐν Κολωνῷ συνοικίας τῆς Δήμωνος καλουμένης meminit. Hanc Poecilen si certum esset etiam *longum porticum*, τὴν μακρὰν στοὰν, dictam esse, qua secundum urbis determinationes Melite regio finiebatur, etiam huius regionis situs diligentissima constitui posset: sed, cum ea opinio nullis confirmari possit aut testimoniis aut gravioribus argumentis, ab ea ulterius persequenda abstinebo. Unum adiicio huic de novo foro et Colono quaestioni: eorum locorum formam non potuisse non aliquantum mutari, cum *Ptolemaei gymnasium* extrueretur, quod iam Ciceroni notum (de finib. V, 1.) et Plutarcho tempore primarium erat Athenarum gymnasium, qui id τὸ νῦν γυμνάσιον nominat, in Theseo 36. Id gymnasium cum omnibus, ut videtur, puerorum, iuvenum, virorum exercitiis sufficeret, ut non palaestram solum, sed stadium, xystos, ambulationes haberet, opus erat, quae coniuncta non possunt nisi permagno spatio includi. Quamobrem Rossium censeo eo offendi non debuisse, quod ab eo loco, quo Ptolemaei, Iubae filii, statuae basis reperta est, quam in eo gymnasio positam fuisse iure statuatur (v. Boeckh. in Corp. Inscr. Graec. 360). Theseum stadii fere spatio distet, quoniam maximam huius spatii partem gymnasium illud implevisse minime est incredibile. Huic autem gymnasio et aedificiorum privatorum non paucorum areae, et Colonus Agoraeus, cui hic locus convenientissimus est, insumptus esse videtur. Chrysippi statua, quam in Ceramico fuisse dicunt Cicero de finibus I, 11. Diog. Laërt. VII, 182., atque ea eiusdem Stoici imago, quam Pausanias in Ptolemaei gymnasio vidit (I. 17, 2.), eademne fuerit an diversae, ignorare me fateor.

18. Iam in hac disputatione, liberiore quodam gradu ab antiquis temporibus ad Pausaniae usque aetatem progressa, plerasque difficultates attigimus et, quantum poteramus, sustulimus, quibus fori designatio premitur, et situm finesque eius ad certos quosdam cardines accurate nobis cognitos, Propylaea arcis, Pnycem, Areopagum, Ptolemaei gymnasium, ita alligavimus et inde quasi suspendimus, ut fines quidem vel magis contrahi vel extendi, sed ab illis locis non amplius possint avelli. Et hic quidem situs ab eo vix differt, quem et

Leakius et commentationis huius auctor olim demonstraverant, nisi quod, mutato Pausaniae per urbem itinere, totum forum quasi circa centrum suum convertitur. Superest, ut singula aedificia et monimenta percenseamus: qua in re Pausaniae periegesin ita sequemur ut eam per cardines illos in certas partes dividamus.

I. *Inter Ceramicensem viam et Pnycem.*

Prima in hac fori parte est *Regia Porticus* *ἡ βασίλειος στοά, ἡ στοὰ ἡ βασιλίς*, ut Aristoteles ait ap. Photium v. *κύρβεις* p. 189. quae ad ipsam plateam, qua a Dipylo forum petebatur, dextra (Pausan. I, 3, 1.) ad fori angulum latusque porrigebatur. Pausanias quae de ea profert verba plena appono, ut locum lacunae definiam, quam critici senserunt quidem, sed plerique minus recte indicaverunt: *πρώτη δέ ἐστιν ἐν δεξιᾷ καλουμένη στοὰ βασίλειος, ἔνθα καθίζει βασιλεὺς ἐνιαυσίαν ἄρχων ἀρχὴν καλουμένην βασιλείαν· ταύτης ἔπεστι τῷ κεράμῳ τῆς στοᾶς ἀγάλματα ὀπτῆς γῆς, ἀφιεὶς Θησεὺς ἐς θάλασσαν Σκίρωνα καὶ φέρουσα Ἡμέρα Κέφαλον, ὃν κάλλιστον γενόμενόν φασιν ὑπὸ Ἡμέρας ἐρασθείσης ἁρπασθῆναι, καί οἱ παῖδα γένεσθαι Φαέθοντα . . . . καὶ φύλακα ἐποίησε τοῦ ναοῦ.* Haec libri manuscripti, nisi quod lacuna in iis obliterata est: collatis aliis fabulae auctoribus, inprimis Hesiodo in Theogon. 984- apparet haec fere scripta fuisse: *φαέθοντα ὃν ἡ Ἀφροδίτη νέον ὄντα ἔθρεψε καὶ φύλακα κ. τ. λ.* De figlinorum signorum supra tectum in acroteriis positorum congruenti inter se forma nuper dixit Panofka in comment de Scironis et Patrocli nece, Berolini 1836. Totius autem porticus figura non in speciem columnatae ambulationis, ut facere solent, fingenda est, sed ad exemplum potius Romanarum basilicarum conformanda, cum eas et nomen et formam a Regia Atheniensium porticu sumpsisse appareat. Ac *βασιλικὴν* eandem dicit Plato in Charmide p. 135. qui etiam fanum cum ea coniunctum fuisse ostendit (*τὸ τῆς βασιλικῆς ἱερόν*). In foro et splendidissima urbis parte eam sitam fuisse ostendit etiam Synesius in Epist. 59. p. 195. ed. Petav. Huius porticus apud Athenienses multa est mentio in comoediis et orationibus, quas hic indicare supervacaneum est, cum neque de situ neque de forma aedificii quidquam inde colligi possit. Quod autem Hesychius dicit: *δύο εἰσὶν Ἀθήνησιν βασίλειοι στοαί, ἥ τε τοῦ λεγομένου βασιλέως Διός, καὶ ἡ τοῦ Ἐλευθε-*

ρίου, mirum quidem est non uno nomine, et propter Iovem regem, cum non a Iove, sed ab Archonte rege porticum dictam esse constet, et propter alterius Regiae porticus mentionem, cum Attici omnes scriptores singulari numero appellent Regiam porticum. Quam autem Meurs. in Atticis Lectt. VI, 17. et Ceram. gemino 4. propusuerit correctionem; *δύο εἰσὶν Ἀθην. στοαί, ἥ τε βασίλειος ἡ τοῦ λεγ. κ. τ. λ.*, ea nec probabilitatem habet, neque errorem, quem diximus, plane tollit. Ut tamen in his argutatus sit grammaticus, aliquod tamen eius verbis momentum tribui peterit in difficultate expedienda, qua proximae porticus notitia obscuratur. Prope a Regia porticu aberat lapis ille, ad quem novem archontes se civitatis leges observaturos esse iurabant, ut Pollux ait VIII, 9, 86.: *ὤμνυον δὲ οὗτοι πρὸς τῇ βασιλείῳ στοᾷ ἐπὶ τοῦ λίθου*; sic enim rectius scribi apparet, quam *ἢ ἐπὶ τοῦ λίθου*.

Iovis Liberatoris porticum Athenis fuisse affirmat Harpocratio gravissimis adductis testibus p. 70. Bekk. (cum Etymol. Magno. p. 329, 45. ed. Sylb.): *Ἐλευθέριος Ζεύς. Ὑπερίδης. „τῷ μὲν τοίνυν Διΐ, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἡ ἐπωνυμία γέγονε τοῦ Ἐλευθέριον προςαγορεύεσθαι διὰ τὸ τοὺς ἐξελευθέρους τὴν στοὰν οἰκοδομῆσαι τὴν πλησίον αὐτοῦ.“ ὁ δὲ Δίδυμός φησιν ἁμαρτάνειν τὸν ῥήτορα· ἐκλήθη γὰρ Ἐλευθέριος διὰ τὸ τῶν Μηδικῶν ἀπαλλαγῆναι τοὺς Ἀθηναίους ὅτι δὲ ἐπιγέγραπται μὲν Σωτήρ, ὀνομάζεται δὲ καὶ Ἐλευθέριος, δηλοῖ καὶ Μένανδρος.* Eiusdem porticus etiam meminit Xenoph. in Oecon. 7. ibidemque habentur sermones in dialogis Platoni subditis, Theage p. 121. et Eryxia p. 392. Pausanias autem nusquam nomen eius appellat: sed postquam Regiam porticum descripsit, prope ab ea positos esse dicit Cononem, Timotheum, Cononis filium, Euagoram, Salaminis regem: ibidemque (*ἐνταῦθα*) stare etiam Iovem Eleutherium et Adrianum Imperatorem I, 3, 2, cuius statuae ea basis fuisse videtur, cuius titulus est in Corp. Inscr. Graec. 322. inventa haud longe a Theseo templo, Piraeum versus V. Chandler. Inscr. p. XXVI, ad P. II. 44. Hoc autem Eleutherii Iovis signum etiam *Servatoris Iovis* dictum fuisse et Scholia Pausaniae affirmant (p. 14. ap. Schubart et Walz) et Isocrates ostendit in Euagora §. 57., ubi de Cimone et Euagora dicit: *τὰς εἰκόνας αὐτῶν ἐστήσαμεν, οὗπερ τὸ τοῦ Διὸς ἄγαλμα τοῦ Σωτῆρος, πλησίον ἐκείνου τε καὶ σφῶν αὐτῶν.* Hinc colligitur, Eleutherii Iovis porticum, quam Hyperides dicit, circa eundem locum fuisse quo Pausanias eius-

dem dei statuam fuisse ostendit. Cur autem Pausanias eam porticum non memoraverit, intelligi nequit, nisi si Regia porticus in duas partes divisa erat, alteram, quae propria Regia dicebatur, alteram Iovi Liberatori vel Servatori dicatam. Idque grammaticos in illa, quam attuli, Hesychii glossa significare voluisse arbitror. Quanquam alii in eo substiterunt, ut Eleutherii Iovis stoam prope abfuisse affirmarent ab Regia, ut Harpocratio cum Suida v. *βασίλειος στοά* (*δύο εἰσὶ στοαὶ παρ' ἀλλήλας ἥ τε τοῦ Ἐλευθερίου Διὸς καὶ ἡ βασίλειος*) et Eustath. in Odyss. A. p. 1425, 43. ed. Roman. Templum Iovis Servatoris eodem loco fuisse a nullo idoneo auctore proditur, sed in Piraeeo fuisse coniunctum cum fano Minervae ostendunt Livius XXXI, 30. *Piraeei Iovem Minervamque*, Pausan. I, 1, 3.: *ἐν Πειραιεῖ Ἀθηνᾶς καὶ Διὸς τέμενος*, Strabo IX, p. 396.: *τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος*. Ad idem delubrum spectant, quae Plin. N. H. XXXIV, 19, 14 de Cephissodoto sculptore scribit, fecisse eum Minervam mirabilem in portu Atheniensium et aram ad templum Iovis Servatoris in eodem portu, cui pauca comparentur. Hanc aram notum est ex Demosthenis vita in solennibus Iovis sacris splendide instructam et ornatam esse. V. Plutarch. Demosth. 27. et XII. Orator. vitae p. 204. ed. Tubing. ubi dicitur *ὁ βωμὸς τοῦ Σωτῆρος Διὸς ἐν Πειραιεῖ*. Idemque delubrum apparet significari a Lycurgo in Leocratem §. 17., quem Leocratem orator dicit, cum ex portu clam et furtim solveret, *οὐδὲ τὴν ἀκρόπολιν καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος καὶ Ἀθηνᾶς τῆς Σωτείρας* respexisse et hostibus prodere timuisse. Nam acropolis quidem, sed nullum in urbe templum ex portu marive prospici (*ἀφορᾶσθαι*) poterat. Non praefracte quidem negaverim, illud Iovis Servatoris fanum, cuius sacerdos ab Aristophane in Pluto v. 1171 introducitur, in urbe fuisse, ut Scholiasta affirmat: *ἐν ἄστει Σωτῆρα Δία τιμῶσιν, ἔνθα καὶ Σωτῆρος Διός ἐστιν ἱερόν. Τὸν αὐτὸν δὲ ἔνιοι καὶ Ἐλευθέριόν φασι.* Quanquam et hoc, quod de duplici dei nomine dicitur, a porticu Iovis Servatoris vel Liberatoris translatum esse videtur, et ipse Aristophanes ad Piraeensem aedem digitum intendit, cum inter eos, qui Servatori Iovi sacra facere consueverint, primum mercatorem e mari servatum memoret (v. 1179). Certe Hemsterhusius in annotatione ad Scholia in Plutum p. 263 ed. Dindorf saepissime laudata non recte facit, quod cum alia, tum Lycurgi verba, quae appo-

sui, ad eam Iovis Servatoris aedem, quae ab Aristophane commemoratur, rettulit et hanc nihilominus in urbe Athenarum fuisse contendit. Iovis Servatoris sacra et publice et privatim ab Atheniensibus a vetustissimo inde tempore culta esse, haud facile negaverim (v. disputata ad Aeschyl. Eumen. p. 188): sed hinc non sequitur, aedem eius Deo Athenis fuisse, non magis quam ex Diipoliis colligitur, Iovis Poliei praeter aram etiam aedem fuisse in arce. Ac Piraeense illud templum, quod inter splendidissima Atheniensium erat, post Piraeeum a Conone restitutum conditum esse inde efficitur, quod Cephisodotus, qui circa Ol. CII floruit, et aram ante aedem et Minervae cum Iove coniunctae statuam fecisse traditur. Porticum autem Servatoris vel Liberatoris Iovis in foro Didymus probabiliter narrat post bella Persica, Atheniensium salute et libertate restituta, exstructam esse; cui opinioni et duplex dei nomen favet et ipse locus, quem in foro occupavit: quoniam, quae in foro maxime boream spectant, credibile est post Themistoclem, Athenis hac potissimum regione amplificatis, nova addita esse. Denique firmat eam opinionem etiam aliorum grammaticorum assensus, qui non Didymum, sed alium auctorem secuti esse videntur, ut Hesychius: *Ἐλευθέριος Ζεύς· τῶν Μήδων ἐκφυγόντων ἱδρύσαντο τὸν Ἐλευθέριον Δία· τοῦτον δὲ ἔνιοι καὶ Σωτῆρά φασι· τιμᾶται δὲ καὶ ἐν Συρακούσαις καὶ παρὰ Ταραντίνοις καὶ ἐν Πλαταιαῖς καὶ ἐν Καρίαις.* (Palmer. recte *Καρύαις*) *ὁ Ἐλευθέριος Ζεύς.* cf. v. *Σωτήρ.*

Sequitur porticus *duodecim deorum*, quam Pausanias dicit Regiae a tergo (*ὄπισθεν*) exstructam esse. Id dubito an ita non possit intelligi, ut regia intra fori aream patentem et XII deorum porticum sita fuerit; si quidem XII deos, quorum haec porticus erat, ipsius quasi fori praesides habitos esse supra ostendimus. Sed ita potius Pausaniae verba puto interpretanda, ut ei Regiae porticus lateri, quod a Ceramicensi platea aversum erat, XII deorum stoa transversa apposita esse videatur. Aut hanc aut Eleutherii Iovis stoam dicit Aristoph. in Ecclesiaz. 685, ubi Praxagora cives non ad iudicandum, sed ad coenandum in porticus Athenarum distribuit:

καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ' ἐπὶ τὴν στοὰν ἀκολουθεῖν
τὴν βασίλειον δειπνήσοντας· τοὺς θῆτ' ἐς τὴν παρὰ ταύτην.
τοὺς δ' ἐκ τοῦ κάππ' ἐς τὴν στοὰν χωρεῖν τὴν ἀλφιτόπωλιν:

quae grammatici, nimis absurde, sic interpretati sunt: *τοὺς θῆτας, τοὺς μισθωτοὺς, ἐς τὸ Θησεῖον· ἐπεὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ θῆτα ἄρχεται*, decepti nimirum fortuita *τοῦ βῆτα* et *βασιλείου στωᾶς*, congruentia quanquam fieri non poterat, ut literae illae, quibus *δικαστηρίων* sive decuriarum numeri per totum annum significabantur et nomina tribunalium porticuumque, in quas, ut ibi judicarent, certis diebus mittebantur, inter se constanti ratione congruerent. Sed, quae hanc rem premere videntur difficultates, magnam quidem partem iam profligatas a Schoemanno, non huius loci est explicare. Ut ad Regiam porticum revertar, in hac XII deorum signa nulla fuisse videntur, secus ac Romae, ubi XII deorum consentium imagines ad forum auratae stabant, sex mares et feminae totidem (ut Varro ait, de R. R. I. 1): sed in tabulis tamen picti erant, cum aliis argumentis ex fabulis et rebus gestis Atheniensium sumptis. Omnia autem, quae Pausanias in ea porticu picta fuisse narrat, XII deos, Theseum, Democratiam et Demon, proelium denique Atheniensium Mantinense, in quo equitatum maxime conflixisse constat, Euphranoris fuisse opera, magis perspicue, quam Pausanias, docet Plinius N. H. XXXV, 11, 40, §. 128: *Opera eius* (Euphranoris) *sunt equestre proelium, XII dii, Theseus, in quo dixit, eundem apud Parrhasium rosa pastum esse, suum vero carne.* Cf. Plut. de glor. Athen. c. 2. Valer. Max. VIII, 11, ext. 3 et Sillig. in Catalogo Artif. p. 207.

Deinceps a Pausania commemoratur *Apollinis Patroi aedis*, aliis auctoribus non cognita, quanquam a vetustissimis inde temporibus hoc loco prope Pnycem ea sacra facta esse credibile est. Apollo enim Patrous, cum inter Ionum esset gentilicium Deos, etiam in forensium numinum ordinem eo tempore receptus esse videtur, quo Iones Atticam occupaverant. Cum ea aede coniunctam fuisse puto Apollinis aram in foro, memoratam in XII Orat. Vit., in Lycurgo, p. 258.

II. *Inter Pnycem et Martis templum.*

19. Pnycem accurate describere et longum est et a nostro instituto alienum. Circa Pnycem fuisse multas privatas aedes ostendit

ὅ τ' Ἀδωνιασμὸς οὗτος οὑπὶ τῶν τεγῶν,

quem Probulus ille apud Aristoph. in Ecclesiaz. 389 in comitiis clare auditum esse narrat, et veriloquium grammatico-

rum: *Πνύξ.... ἀπὸ τοῦ πυκνὰ εἶναι τὰ περὶ αὐτὴν οἰκήματα.* V. Photius p. 435 ed. Porson.

Metroum post Apollinis Patroi aedem ita commemorat Pausanias, ut, quantum inter ea aedificia intervallum fuerit, inde colligi nequeat, *Ὠικοδόμηται δὲ καὶ Μητρὸς θεῶν ἱερὸν,* dicit I, 3, 4. Sed aliis scriptoribus adductis supra (§. 2. 3.) ostendimus, Metroum e regione Propylaeorum et a Pnyce proximum fuisse, ut iam ipsum eius delubri locum in tabula demonstrare liceat. Olim eo loco voraginem sive barathrum quoddam fuisse, postea ab Atheniensibus obrutum et clausum, paroemiographi et grammatici multi narrant. (V. Apostol. XII, 72, Arsenius p. 353 ed. Walz, Schol. in Aristoph. Plut. 431, Suidas v. *Μητραγύρτης* p. 840 ed. Bernh. et v. *βάραθρον*): quod barathrum minus recte idem habitum est (v. Ross de Theseo p. 18), quod in Furiarum delubro fuisse traditur: id enim, cum Furiarum quasi ostium haberetur, vix poterat sine magno periculo obrui. Metroum autem et fanum erat Magnae Deae, deae signo ab ipso Phidia facto (quod describit Arrianus peripl. Ponti Euxini p. 9) conspicuum: et Atheniensium tabularium, qua propter Dinarcho in Demosth. §. 86. Mater deorum *ἡ πάντων τῶν ἐν τοῖς γράμμασι δικαίων φύλαξ τῇ πόλει καθέστηκε.* Huius tabularii multa mentio est apud Athenienses, sed haec nostrum non est hic referre. Magis nostra interest cognoscere, quem ad modum Metroum cum Curia sive *βουλευτηρίῳ* coniunctum fuerit. Curiam autem ad forum sitam fuisse, multi scriptores ostendunt (v. inprimis Xenoph. Hellen. II, 4, 56. Andocides de myst. §. 36, Anaximenes ap. Harpocrat. v. *ὁ κάτωθεν νόμος* p. 136 ed. Bekk.); neque ut a Pnyce longe abesset patiebatur Senatus deliberationum cum comitiis populi exacta coniunctio, cum interdum fieret, ut Senatus populo iam in Pnyce congregato consultaret omnisque populus, dum Senatores e Curia prodirent, avide exspectaret, ut fit apud Demosthen. de corona p. 285. Id vero obscurum est, Curia prope afuerit a Metroo, ut Pausanias ait et Aeschines (in Ctesoph. §. 187: *ἐν τῷ Μητρῴῳ παρὰ τὸ βουλευτήριον*); an in ipso fuerit Metroo, sicut Suidas v. *Μητραγύρτης* narrat, ad expiandam Metraegyrtae in barathrum coniecti necem Curiam Magnae Matri fuisse consecratam (alii in eum locum pro *βουλευτηρίῳ* male *δικαστήριον* invexerunt). Gravius, quod Lycurgus ante mortem se *εἰς τὸ Μητρῷον καὶ τὸ Βουλευ-*

τήριον portari iussit, ut ibi rerum publicarum, qua administraverat, rationem redderet, ut legitur in Vitis X Orat. p. 255. Haec ita, puto, optime inter se concinent, si statuamus, Matris Magnae fanum, tabularium, Curiam cum adiunctis Iovis Bulaei et Minervae Bulaeae sacellis (quae ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ fuisse dicit Antiphon de choreuta §. 45), omnia uno περιβόλῳ inclusa et ita disposita fuisse, ut unum quasi efficerent aedificium. Mirifica sunt, quae in Anecdotis Bekkeri p. 273 leguntur: Κρόνιον τέμενος, τὸ παρὰ τὸ νῦν Ὀλύμπιον μέχρι τοῦ Μητρῴου τοῦ ἐν ἀγορᾷ; quae si ad Athenas spectant, omnem fere australem eius urbis partem inde ab angulo fori, in quo Metroum situm fuisse videtur, fabulosis temporibus Saturno consecratam fuisse significant.

Prope a Curia aberat *Tholus* (ἡ θόλος), quod aedificium propter orbicularem formam et hoc nomine et Σκιάς dicebatur (V. Corp. Inscr. Graec. n. 123. 184. 191. sqq. cf. p. 326., Ammonius περὶ βωμῶν ap. Harpocrat. v. θόλος, Hesych. Timaeus aliique grammatici in eadem v.) quae tecti forma non lignis ita constructis, sed lapidum ornicatione effecta erat. Ἦν γὰρ θολοειδὴς καὶ ὀροφὴν εἶχε περιτρεφῆ οἰκοδομητήν, οὐχὶ ξυλίνην, ὡς τὰ ἄλλα οἰκοδομήματα, legitur in lexico rhetor., Bekkeri Anecdot. Graec. p. 264, et similiter ap. Photium p. 93 Pors., atque in eandem formam restitutum est Etymol. Magn. p. 453, 30. Hoc aedificium constat longe dissitum fuisse a Prytaneo, contrario arcis angulo vicino: sed usu tamen ita coniunctum erat, ut difficile sit alterum ab altero scriptorum mentione certis indiciis discernere. In Tholo certum est continuam fuisse prytanum stationem, ita ut ii in magno rerum publicarum discrimine etiam in Tholo noctem degere iuberentur. V. Andocid. de myster. §. 45. Etiam sacra prytanes hic fecisse, et Pausanias I, 5, 1 et tituli ostendunt, maxime Phosphoris Diis (v. Boeckh. in Corp. Inscr. Graec. n. 184. 190. p. 316. 326), sed quae antiquioribus temporibus inprimis erant sollennia, matris deorum sacra (cf. Theophrast. charact. 21 cum Demosth. prooem. p. 1460), ut in ipso Metroo fierent, consentaneum erat. E prytaneo vero an civitatis focus (ἡ τῆς πόλεως ἑστία) cum igne aeterno in Tholum transferri non potuerit, dubitamus. Publicas prytanum epulas, quibus civitatis scribae aliique, qui aisiti dicebantur, intererant, in Tholo fuisse, et tituli illi significant et grammatici magno consensu affirmant. V. Har-

pocratio, Hesychius, Photius, Timaeus v. *θόλος* et Pollux VIII, 13, 155 (sed hic tamen aisitos cum civibus bene meritis in Prytaneo epulantibus coniungit, IX, 5, 40). Neque eam rem Demosthenis tempore aliter fuisse institutam ipse orator ostendit, cum de Aeschine eiusque propinquis dicit: *καὶ τὸ τελευταῖον ὑφ' ὑμῶν γραμματεῖς χειροτονηθέντες δύο ἔτη διετράφησαν ἐν τῷ θόλῳ*, de falsa legat. p. 419, 26 cf. 442, 20. Eas autem epulas quibus aliarum civitatum legati civesque bene meriti publico sumptu excipiebantur, lautiores puto solita prytanum coena, etiam tum in Prytaneo ad communem civitatis forum (v. Pollux IX, 5, 40) apparatas esse, ea verba demonstrant, quibus Demosthenes saepe utitur: *εἰς τὸ πρυτανεῖον καλεῖν, ἐπὶ τὸ δεῖπνον εἰς τὸ πρυτανεῖον καλεῖν* (sic in Polyclem p. 1210., et cf. quae de *σιτήσει ἐν Πρυτανείῳ* composuit Ant. Westermann de publicis Athenarum honoribus p. 45 sqq.), in quibus Prytaneum pro Tholo poni minus verisimile est, quanquam grammatici, inficeto veriloquio, Tholum etiam Prytaneum dictum esse affirmant, *ἐπεὶ πυρῶν ἦν ταμιεῖον*. V. Photius, Timaeus, Suidas ll. ll. Quocirca mirum non est, a Scholiis Venetis in Pacem Aristoph. v. 1182 eponymos heroas prope a *Prytaneo* dici abesse, cum *a Tholo* dici deberent.

A Tholo non longe afuisse puto tentoria, in quibus *Scythae* degebant, qui barbari securitatis publicae custodes a Prytanibus maxime, ubi opus esse videretur, advocari solebant. V. Aristoph. Thesmophor. 929., Lysistr. 437. Haec tentoria (*σκηνὰς*) olim in foro fuisse fixa, postea in Areopagum translata, narrat Schol. in Aristoph. Acharn. 54.

20. Altiori loco, quam Tholus, et maxime conspicuo (*ἐν ἐπισήμῳ τόπῳ*, ut legitur in Schol. Demosth. Leptin. 75, p. 84 ed. Wolf.) *eponymorum heroum statuae, οἱ τῶν ἐπωνύμων ἀνδριάντες*, (v. Aristoph. in Pace v. 1183 cum Schol.) collocatae erant. Hic fori locus facile illustrissimus erat, ubi primus archon, *ὁ ἄρχων*, versabatur (*παρὰ τοὺς ἐπωνύμους*, Bekk. Anecd. I p. 449, 22. Suidas v. *ἄρχων* p. 777 ed. Bernh.), ubi novae leges antequam nomothetarum iudicium subirent, publico examini subiiciebantur, ubi denique certa actionum genera libellis propositis promulgabantur. Cf. Schoemann. de litibus Athenar. p. 606. Boeckh. de publ. oeconom. I, p. 435. Neque ullus locus statuis hominum de republica meritorum ponendis honoratior erat, ut Lucian. ait.

Anach. 17. *ἀναστῆσαί τινα χαλκοῦν παρὰ τοὺς ἐπωνύμους ἢ ἐν πόλει παρὰ τὴν Ἀθηνᾶν* (nam illo *ἢ*, quod interposuimus, carere non possumus, cf. etiam Timon 51. *παρὰ τὴν Ἀθηνᾶν ἐν ἀκροπόλει*). Ac vidit eo loco Pausanias statuas Lycurgi, Calliae, Demosthenis. Haec quidem statua Demosthenis in Vitis X Orat. p. 266 ed. Tubing. *πλησίον τοῦ περισχονίσματος καὶ τοῦ βωμοῦ τῶν δώδεκα θεῶν* fuisse traditur, unde colligi debet, aram XII deorum a porticu eorundem deorum longius afuisse, fortasse ita ut in obversa illi fori parte esset, *περισχόνιστα* autem, cum ad Regiam porticum secreti caussa interdum fune circumdatam (vid. Demosth. in Aristogit. Or. I p. 116.) vix trahi possit, ubi fuerit, praestat inscitiam fateri, quam vanam quandam veri speciem captare. Prope eam statuam creverat platanus (v. Plutarch. Demosth. 31), quo arborum genere Cimon fori partem, humiliorem puto et ubi mollius solum erat, conseverat, V. §. 10 et cf. Aristoph. in *Γεωργοῖς* frg. 162 ap. Dindorf. Ut autem ad eponymos redeam, horum signa cum *ἀνδριάντες*, non *ἀγάλματα* dicuntur, aereas fuisse statuas consentaneum est; idque disertis verbis affirmat Etymol. Magn. p. 369, 8: *οἱ κατὰ τὴν ἀρετὴν καταπρέποντες ἀστοὶ καὶ ξένοι χαλκαῖς εἰκόσιν ἐτιμῶντο, ἀφ' ὧν ἐνίων καὶ ταῖς φυλαῖς ἐπίθετο ὄνομα.* Quod unum virorum doctorum opinioni hic satis habeo opponere, qui anguipedes Telamones *bicorpores Gigantes magnosque Atlantes*, ut Naevii verbis utar, qui nuper in alia urbis parte e marmore sculpti reperti sunt, Cecropem et Erichthonium interpretantur et in his eponymis fuisse autumant. V. de his Radulphi Rochettii epistolam ad Klenzium missam in Novis Annalibus Instituti Archaeolog. Parisiensibus, Tom. I: ac cf. de XLII eponymis, ne forte hi ei quaestioni immisceantur, Boeckhii de ephebia eximias commentationes, in indicibus lectionum univ. Berol. a. 1819 et 1820. Statuae enim eponymorum Athenis nunquam plures esse poterant quam tribus, decem, dum libera erat respublica, duodecim, ex quo Antigonus et Demetrius in eum numerum recepti erant (quo spectat Schol. in Aristoph. Pac. 1183), post Hadrianum tredecim.

Sequitur in Pausaniae periegesi *Martis templum*, quod in ipso fuisse Areopago, qua is collis exadversum arcem maxime attollitur, cum Leakio p. 177 affirmare non dubito. Nam cum Areopagus antiqua sedes esset Martis sacrorum

ab ipsis olim Amazonibus, ut fama ferebat, conditorum, (v. Aeschyl. Eumen. 659): ea ab Atheniensibus non video cur inde in aliam urbis regionem translata essent. Ac multa sunt, quae ad Eumen. 154 exposui, propter quae Martis sacra ab Areopago colle vix poterant ab Atheniensibus unquam divelli. Eam autem Areopagi collis partem, in qua iudicia de caede habebantur, extra fori limites fuisse supra (§. 4.) observavimus.

Post statuas quasdam, quae circa Martis templum erant, Pausanias narrat *Harmodii et Aristogitonis* fuisse simulacra, non longe ab illis remota, I, 8, 5. Haec autem at antiquiorum et Pausaniae aequalium scriptorum testimoniis optime edocti sumus fuisse in acclivi illo solo, quo ad acropolin ascendelatur, quod *τὸ πρὸς πόλιν χωρίον, τὸ σιμὸν,* appellat Aristoph. in Lysistr. 288.

Post tyrannicidarum statuas cum Pausanias repente diverticulo quodam facto in australem urbis partem secedat, apparet eum fori ambitum non ita peragere, ut ad Ceramicum plateam et boreale fori latus continuo periegesus ordine revertatur: sed, ut solet, postquam ad diverticuli finem ab initio maxime dissitum pervenit, subito ad principium viae recurrit et indidem aliud iter ingreditur. Neque exiguam fori partem, quae Pausaniae minus illustris videretur, ab eo omissam esse, ostendunt monimenta ab ipso non memorata, ut Pherrhephaltium, quod Demosthen. in Conon. p. 1259 in foro fuisse ostendit, Aeacique fanum (v. Herod. V, 89). Adde tribunalia iudicum, tabernas areasve rerum venalium, palaestras, ut Taureae illam, e regione fani basilicae sitam (v. Plat. in Charmid. p. 153), ut intelligas, quanta fuerit aedificiorum multitudo ad forum, quorum e numero etiam privatae aedes exclusae non erant, velut Pythodori domus ap. Demosth. in Conon. p. 1258. Haec ad Areopagi collis id latus; quod occidentem spectat, pleraque fuisse existimo. Pausaniam autem in periegesi sua ad eundem in foro locum, unde egressus fuerit, absoluto toto ambitu, rediisse, Rossio (de Theseo p. 18. 21,) vix concesserim, propter unam Pindari statuam, a Pausania cum Demosthenis imagine coniunctam I, 8, 5, quam quidem personatus Aeschines in Epistola IV, p. 475 apud Bekk., si modo eandem intelligit, ante Regiam porticum fuisse dicit. Hanc enim si Pausanias *πρὸ τῆς βασιλείου στοᾶς*, ut Aeschines iste ait positam vidisset, eo-

dem loco, quo hanc porticum describit, etiam illam memorasset statuam: sed sophistae, qui illam epistolam finxit, cum in aliis aperte nugatus sit, etiam in hac re fidem denegabimus. Cf. Boeckh. Pind. T. II, II p. 18. At vero Rossius Athenarum urbis et imprimis omnium antiquitatis reliquiarum, quae nuper effossae sunt, nunc facile peritissimus, etiam plura videtur in locis ipsis vestigia sibi repperisse, propter quae forum ultra Areopagum et a Pnyce longius removeret, mihi quidem parum cognita et perspecta: quae antequam Athenis ipse investigaverim et cognorim, hanc disputationem non absolvam.

Register.

Berichtigungen.

Band I.	S. 9	Zeile 9	v. u.	aetatem	statt	actatem
	11	19	»	Olympiae	»	Olympia
	12	2	»	quippe	»	qui pe
	59	17	»	Phoebus	»	Phoebas
	60	1	»	p. 46	»	p. ...
	165	3	v. o.	und	»	uad
	166	20	v. u.	Dekret	»	Drekret
	185	17	v. o.	Δελφικὴ	»	Δελφικḷ
		22	»	der	»	dcr
Band II.	72	5	v. u.	hierinn	»	hieriro
	78	1	v. o.	Vorsaal	»	Vorsaa
	100	1	v. u.	Bd. I	»	Bd. II.
	149	11	v. o.	Kanon	»	Konon
	155	4	»	Nankydes	»	Nankides
	166	18	v. u.	Lysippos	»	Lisippos
Band III.	1	1	»	Bd. II p. 186ff.	»	Bd. II. p.
Band V.	27	10	»	Muris	»	Muris,
	50	12	»	Huius	»	Huins
	83	17	»	quem	»	qnem
	95	3	v. o.	delubrum	»	deluburm
	104	7	»	Daphnaei	»	Daephnaei

Druck von J. Draeger's Buchdruckerei (C. Feicht) in Berlin.





